ENCHIRIDION
SACRORUM RITUUM

AD USUM PRÆCIPUE SEMINARIORUM

complectens

SUMMORUM PONTIFICUM CONSTITUTIONES
ET SACRÆ RITUUM CONGREGATIONIS GENERALIA QUÆDAM DECRETA DE BREVIARIO,
MISSALI, RITUALI, CÆREMONIALI EPISCOPORUM ET PONTIFICALI ROMANO;
COMPUTUM ECCLESIASTICUM;
BREVIARII MISSALISQUE RUBRICAS GENERALES, ET RUBRICAS QUASDAM SPECIALES;
EXCERPTA EX RITUALI, CÆREMONIALI EPISCOPORUM ET PONTIFICALI ROMANO;
INSTRUCTIONEM CLEMENTINAM PRO ORATIONE XL. HORARUM.

PARISIIS
APUD J. LEROUX ET JOUBY, BIBLIOPOLAS
7, VIA MAJORUM AUGUSTINIANORUM

1856

ENCHIRIDION

SACRORUM RITUUM

APPROBATIO.

JACOBUS MARIA JOSEPH,

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS LUCIONENSIS.

Cùm magni referat, ad sufficientem sacrorum rituum notitiam adipiscendam, clericos, ex quo seminarium ingrediuntur, posse liturgicis seriò intendere studiis, sedulâ ratione quæ in cæremoniarum scholâ sunt explicanda prælibantes, quædam memoriæ fideliter mandantes, et à cæremoniarum magistro commentarii more explicata seorsim memoriæ revocantes; cùm aliunde ad sacram Ordinationem in Diœcesi nostrâ non pateat aditus, quin pro diversis Ordinibus suscipiendis, prævium peragatur examen, in quo Ordinandus quisque de rubricis Breviarii, Missalis, Ritualis, etc. respondere debet : ideo volumen hoc, mole quidem exiguum, pro rerum autem quæ in eo continentur pondere et gravitate maximum, typis mandari curavimus, ut ab unoquoque Clerico, licèt Breviario aliisque ritualibus libris destituto, possit liturgiæ studium inchoari et fructuosè prosequi. Aliundè non omninò inutilis erit hæc opella ipsismet sacerdotibus Missale sibi proprium plerumque non habentibus, aut minutiori charactere, quo rubricæ tum in Breviario tum in Missali exaruntur, uti non valentibus. Versetur ergo sæpius hoc enchiridion clericalibus sacerdotalibusque manibus, et cunctis proficiat ad sacros ritus addiscendos, retinendos, exequendos et ad amussim summâque religione et pietate perficiendos.

Datum Lucionii, ex ædibus nostris episcopalibus sub signo sigilloque nostris, et Secretarii nostri subscriptione, in festo Purificationis B. V. M., die 2 februarii 1856.



JACOBUS MARIA JOSEPH,
Episc. Lucion.

De Mandato Illust. ac RR. DD. Episcopi.
Morin, *Can. Secr.*

PARISIIS. — EX TYPIS SIMONIS RAÇON ET SOCIOR., VIA D'ERFURTH, 1.

Liturgies — Latin Rite — Ceremonials

ENCHIRIDION

SACRORUM RITUUM

AD USUM PRÆCIPUE SEMINARIORUM

COMPLECTENS

Summorum Pontificum constitutiones et Sacræ Rituum Congregationis generalia quædam decreta de Breviario, Missali, Rituali, Cæremoniali Episcoporum et Pontificali Romano; computum Ecclesiasticum; Breviarii Missalisque Rubricas generales, et Rubricas quasdam speciales; excerpta ex Rituali, Cæremoniali Episcoporum et Pontificali Romano; Instructionem Clementinam pro Oratione XL Horarum.

PARISIIS

APUD J. LEROUX ET JOUBY, BIBLIOPOLAS,

7, VIA MAJORUM AUGUSTINIANORUM.

1856

ENCHIRIDION
SACRORUM RITUUM

PARS PRIMA.

SUMMORUM PONTIFICUM CONSTITUTIONES ET SACRÆ RITUUM CONGREGATIONIS GENERALIA QUÆDAM DECRETA.

SECTIO PRIMA.

DE BREVIARIO ROMANO.

PIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI,

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Exordium. Divini officii forma a Gelasio I et Gregor. I instituta, et Gregor. VII reformata, sed tamen postea multis modis immutata fuit. Et ex hac varietate orandi, mala hic expressa orta sunt.

QUOD a nobis postulat ratio pastoralis officii, in eam curam incumbimus, ut omnes quantum Deo adjutore fieri poterit, sacri Tridentini Concilii decreta exequantur : ac multo id etiam impensius faciendum intelligimus, cum ea quæ in mores inducenda sunt, maxime Dei gloriam, ac debitum Ecclesiasticarum personarum officium complectuntur. Quo in genere existimamus in primis numerandas esse sacras preces, laudes, et gratias Deo persolvendas, quæ Romano Breviario continentur. Quæ divini Officii formula pie olim ac sapienter a summis Pontificibus, præsertim Gelasio ac

Gregorio primis constituta, a Gregorio autem septimo reformata, cum diuturnitate temporis ab antiqua institutione deflexisset; necessaria visa res est, quæ ad pristinam orandi regulam conformata revocaretur. Alii enim præclaram veteris Breviarii constitutionem, multis locis mutilatam, alii incertis et alienis quibusdam commutatam, deformarunt : plurimi specie Officii commodioris allecti, ad brevitatem novi Breviarii, a Francisco Quignonio tituli sanctæ Crucis in Jerusalem Presbytero Cardinale compositi, confugerunt. Quin etiam in provincias paulatim irrepserat prava illa consuetudo, ut Episcopi in Ecclesiis quæ ab initio communiter cum ceteris veteri Romano more Horas Canonicas dicere ac psallere consuevissent, privatum sibi quisque Breviarium conficerent, et illam communionem uni Deo, una et eadem formula preces et laudes adhibendi, dissimillimo inter se, ac pæne cujusque Episcopatus proprio Officio discerperent. Hinc illa tam multis in locis divini cultus perturbatio : hinc summa in Clero ignoratio cæremoniarum ac rituum Ecclesiasticorum, ut innumerabiles Ecclesiarum ministri, in suo munere indecore, non sine magna piorum offensione, versarentur.

Ideo Paulus IV id emendare tentavit, sed morte præventus non perfecit.

Hanc nimirum orandi varietatem gravissime ferens fel. mem. Paulus Papa quartus emendare constituerat. Itaque provisione adhibita, ne ulla in posterum novi Breviarii licentia permitteretur, totam rationem dicendi ac psallendi Horas Canonicas ad pristinum morem et institutum redigendam suscepit.

Pius IV perfectionem hujus operis

Sed eo postea, nondum iis quæ egregie inchoaverat perfectis, de vita decedente, cum a

piæ mem. Pio Papa quarto Tridentinum Concilium, antea varie intermissum, revocatum esset, Patres in illa salutari reformatione ab eodem Concilio constituta, Breviarium ex ipsius Pauli Papæ ratione restituere cogitarunt. Itaque quidquid ab eo in sacro opere collectum, elaboratumque fuerat, Concilii Patribus Tridentum a prædicto Pio Papa missum est.

commisit Patribus Conc. Trid.

Ubi cum doctis quibusdam et piis viris a Concilio datum esset negotium, ut ad reliquam cogitationem, Breviarii quoque curam adjungerent, instante jam conclusione Concilii, tota res ad auctoritatem judiciumque Romani Pontificis ex decreto ejusdem Concilii relata est : qui illis ipsis Patribus ad id munus delectis, Romam vocatis, nonnullisque in Urbe idoneis viris ad eum numerum adjunctis, rem perficiendam curavit. Verum eo etiam viam universæ carnis ingresso,

Sed Concilium id remisit Pontifici, ut habes in Concilii pag. pen. Sed Pius IV non perfecit morte præventus.

Nos, ita divina disponente clementia, licet immerito ad Apostolatus apicem assumpti, cum sacrum opus, adhibitis etiam ad id aliis peritis viris, maxime urgeremus, magna in nos Dei benignitate (sic enim accipimus) Romanum hoc Breviarium vidimus absolutum. Cujus rationе dispositionis, ab illis ipsis qui negotio præpositi fuerant, non semel cognita, cum intelligeremus eos in rei confectione ab antiquis Breviariis nobilium Urbis Ecclesiarum, ac nostræ Vaticanæ bibliothecæ, non discessisse, gravesque præterea aliquot eo in genere scriptores secutos esse, ac deinde remotis iis quæ aliena et incerta essent, de propria summa veteris divini Officii nihil omisisse : opus probavimus, et Romæ imprimi, impressumque

Hic vero Pontifex perfecit Breviarium, et approbavit.

divulgari jussimus. Itaque ut divini hujus Operis effectus re ipsa consequatur, auctoritate præsentium, tollimus in primis et abolemus Breviarium novum a Francisco Cardinale prædicto editum, et in quacumque Ecclesia, Monasterio, Conventu, Ordine, Militia, et loco virorum et mulierum, etiam exempto, tam a primæva institutione, quam aliter ab hac Sede permissum :

Et modo prohibet aliud Breviarium alias editum a Franc. Card. omniaque alia Breviaria non approbata in primæva institutione, vel consuetudine excedente annos ducentum.

Ac etiam abolemus quæcumque alia Breviaria, vel antiquiora, vel quovis privilegio munita, vel ab Episcopis in suis Diœcesibus pervulgata, omnemque illorum usum de omnibus orbis Ecclesiis, Monasteriis, Conventibus, Militiis, Ordinibus, et locis virorum et mulierum, etiam exemptis, in quibus alias Officium divinum Romanæ Ecclesiæ ritu dici consuevit, aut debet : illis tamen exceptis, quæ ab ipsa prima institutione, a Sede Apostolica approbata, vel consuetudine, quæ, vel ipsa institutio, ducentos annos antecedat, aliis certis Breviariis usa fuisse constiterit : quibus ut inveteratum illud jus dicendi et psallendi suum Officium non adimimus, sic eisdem, si forte hoc nostrum, quod modo pervulgatum est, magis placeat, dummodo Episcopus, et universum Capitulum in eo consentiant, ut id in Choro dicere et psallere possint, permittimus.

Revocat etiam quæcumque statuta, et facultates orandi juxta formam antiquorum Breviariorum.

Omnes vero, et quascumque Apostolicas et alias permissiones ac consuetudines, et statuta etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia firmitate munita, necnon privilegia, licentias, et indulta precandi et psallendi, tam in Choro, quam extra illum, more et ritu Breviariorum sic suppressorum, prædictis Ecclesiis,

Monasteriis, Conventibus, Militiis, Ordinibus, et locis, necnon S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, et aliis Ecclesiarum Prælatis, ceterisque omnibus et singulis personis Ecclesiasticis sæcularibus et regularibus, utriusque sexus, quacumque causa concessa, approbata, et innovata, quibuscumque concepta formulis, ac decretis, et clausulis roborata, omnino revocamus : volumusque illa omnia vim et effectum de cetero non habere.

Breviariumque istud novum recipi, et juxta ejus formam orari præcipit.

Omni itaque alio usu quibuslibet, ut dictum est, interdicto, hoc nostrum Breviarium, ac precandi psallendique formulam in omnibus universis orbis Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus, et locis etiam exemptis, in quibus Officium ex more et ritu dictæ Romanæ Ecclesiæ dici debet, aut consuevit, salva prædicta institutione, vel consuetudine prædictos ducentos annos superante, præcipimus observari. Statuentes Breviarium ipsum nullo unquam tempore vel totum, vel ex parte mutandum, vel ei aliquid addendum, vel omnino detrahendum esse : ac quoscumque, qui Horas Canonicas ex more et ritu ipsius Romanæ Ecclesiæ, jure vel consuetudine dicere vel psallere debent, propositis pœnis per Canonicas sanctiones constitutis in eos, qui divinum Officium quotidie non dixerint, ad dicendum et psallendum posthac in perpetuum Horas ipsas diurnas et nocturnas, ex hujus Romani Breviarii præscripto et ratione omnino teneri : neminemque ex iis, quibus hoc dicendi psallendique munus necessario impositum est, nisi hac sola formula satisfacere posse,

Monet quoque Ecclesiarum Prælatos ut hoc Breviarium introducant.

Jubemus igitur, omnes et singulos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, et ceteros Ecclesiarum Prælatos, ut omissis quæ sic suppressimus et abolevimus, ceteris omnibus etiam privatim per eos constitutis, Breviarium hoc in suis quisque Ecclesiis, Monasteriis, Conventibus, Ordinibus, Militiis, diœcesibus, et locis prædictis, introducant : et tam ipsi, quam ceteri omnes presbyteri, et clerici sæculares et regulares, utriusque sexus, necnon milites et exempti, quibus Officium dicendi et psallendi quomodocumque, sicut prædicitur, injunctum est, ut ex hujus nostri Breviarii formula, tam in Choro, quam extra illum, dicere et psallere procurent.

Indulg. dat dicentib. Ps. Pœnitent. vel Grad. vel officium B. Mariæ, et Defunctorum diebus in eis præscriptis.

Quod vero in Rubricis nostri hujus Officii præscribitur, quibus diebus Officium beatæ Mariæ semper virginis, et Defunctorum, item Septem Psalmos Pœnitentiales, et Graduales dici ac psalli oporteat : Nos propter varia hujus vitæ negotia, multorum occupationibus indulgentes, peccati quidem periculum ab ea præscriptione removendum duximus; verum debito providentiæ pastoralis admoniti, omnes vehementer in Domino cohortamur, ut remissionem nostram, quantum fieri poterit, sua devotione ac diligentia præcurrentes, illis etiam precibus, suffragiis, et laudibus, suæ et aliorum saluti consulere studeant. Atque ut fidelium voluntas ac studium magis etiam ad salutarem hanc consuetudinem incitetur, de omnipotentis Dei misericordia, beatorumque Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, qui illis ipsis diebus, in Rubricis præfinitis, beatæ Mariæ, vel Defunctorum Officium dixerint, toties

centum dies, qui vero Septem Psalmos, vel Graduales, quinquaginta, de injuncta ipsis pœnitentia relaxamus. (Hoc autem concedimus sine præjudicio sanctæ consuetudinis illarum Ecclesiarum, in quibus Officium parvum beatæ Mariæ semper virginis in Choro dici consueverat, ita ut in prædictis Ecclesiis servetur ipsa laudabilis et sancta consuetudo celebrandi more solito prædictum Officium.)

Forma publ.

Ceterum, ut præsentes litteræ omnibus plenius innotescant, mandamus illas ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, et Cancellariæ Apostolicæ, et in acie Campi Floræ publicari, earumque exemplar de more affigi. Volumusque, et Apostolica auctoritate decernimus, quod post hujusmodi publicationem, qui in Romana Curia sunt præsentes, statim lapso mense : reliqui vero, qui intra montes, tribus : et qui ultra ubique locorum degunt, sex mensibus excursis, vel cum primum venalium hujus Breviarii voluminum facultatem habuerint, ad precandum et psallendum juxta illius ritum, tam in Choro, quam extra illum, maneant obligati. Ipsarum autem litterarum exempla manu Notarii publici, et sigillo alicujus Prælati Ecclesiastici, aut illius curiæ obsignata, vel etiam ipsis voluminibus absque prædicto, vel alio quopiam adminiculo Romæ impressa, eamdem ubique locorum fidem faciant, quam ipse præsentes, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Breviarium Romæ tantum, et non alibi, sine licentia Pont. imprimi potest.

Sed ut Breviarium ipsum ubique inviolatum et incorruptum habeatur : prohibemus, ne alibi usquam in toto orbe, sine nostra, vel specialis ad id Commissarii Apostolici, in singulis Chri-

stiani orbis regnis et provinciis deputandi, expressa licentia imprimatur, proponatur, vel recipiatur. Quoscumque vero, quid illud secus impresserint, proposuerint vel receperint, excommunicationis sententia eo ipso innodamus.

Sanctio pœnalis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ ablationis, abolitionis, permissionis, revocationis, jussionis, præcepti, statuti, indulti, mandati, decreti, relaxationis, cohortationis, prohibitionis, innodationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

D. P. an. III, 7 julii.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Domin. MDLXVIII, septimo Idus Julii, Pontificatus nostri anno tertio.

M. Dat.

CÆS. GLORIERIUS.

H. CUMYN.

Anno a Nativitate Domini millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, Indictione undecima, die vero decimaquinta mensis Julii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, et D. N. D. Pii divina providentia Papæ quinti anno tertio retroscriptæ litteræ Apostolicæ lectæ, affixæ et publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, Cancellariæ Apostolicæ, et in acie Campi Floræ, dimissis ibidem præsentibus litteris per aliquantulum temporis spatium, ut moris est, affixis, et deinde amotis per nos Julium Parinum et Joannem Bornotum prælibati SS. D. N. Papæ Cursores.

ANTONIUS CLERICI, *Magister Cursorum.*

CLEMENS PAPA VIII,

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Exordium. Orandi varietas in Ecclesia Dei vitanda est.

Cum in Ecclesia Catholica a Christo Domino nostro sub uno capite, ejus in terris Vicario instituta, unio, et earum rerum quæ ad Dei gloriam, et debitum Ecclesiasticarum personarum officium spectant, conformatio semper conservanda sit, tum præcipue illa communio uni Deo, una et eadem formula preces adhibendi, quæ Romano Breviario continetur, perpetuo retinenda est, ut Deus in Ecclesia per universum orbem diffusa, uno et eodem orandi et psallendi ordine a Christi fidelibus semper laudetur et invocetur.

Pius ideo V Breviarium Romanum restituit, et immutationem prohibuit.

Quamobrem ex decreto Sacri Concil. Trident. fel. rec. Pius Papa V prædecessor noster pie ac sapienter admodum varietatem illam Breviariorum, quæ in singulis Ecclesiis fere diversa habebantur, nonnullis tantum exceptis sustulit, ac ipsum Breviarium restituit, et Romæ accuratissime imprimi et promulgari curavit : quod ut integrum, inviolatumque ab omnibus haberetur, debita provisione adhibita, inter alia statuit, ne ullo unquam tempore totum, vel ex parte mutaretur, aut illi aliquid adderetur, vel omnino detraheretur, sub pœnis in ejusdem constitutione contentis.

Attamen immutatum in multis.

Cum vero progressu temporis, Typographorum negligentia et incuria, et nimia aliorum etiam, ea quæ ad ipsos non pertinent, temere sibi assumentium, audacia, ac licentia, multi errores in illud irrepserint : ac tum in sacra

Scriptura et Lectionibus Patrum, tum in vitis Sanctorum, et Rubricis, aliisque locis, sine nostra, et Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum auctoritate, pro cujusque arbitrio pleraque addita et immutata fuerint, ita ut nulla jam reperiantur Breviaria, quæ a prima editione ejusdem Pii in multis non discrepent, atque dissentiant, et aliqua recognitione indigeant :

Hic propterea Pont. Breviarium iterum inspici, et examinari, et restitui mandavit, et Romæ in Typographia Vaticana imprimi fecit.

Nos, qui pro Pastorali nostra sollicitudine in eam curam præcipue incumbimus, ut ea quæ a prædecessoribus nostris sancte ac pie instituta sunt, perpetuo integra et inviolata conserventur : quæ vero hominum culpa immutata sunt atque corrupta, et quæ recognitionem exigunt, in pristinum statum restituantur, et reformentur : mandavimus nonnullis piis et eruditis viris, quorum consultatione et opera in hujusmodi rebus frequenter utimur, ut idem Breviarium nova adhibita diligentia accuratius inspicerent, atque examinarent, et ea quæ depravata esse, et recognitione indigere animadverteret, pro sua doctrina et pietate restituerent. Quod cum ab iis exacte ac profecto non mediocri cum emolumento præstitum sit, ita ut ex superiori illo incommodo per occasionem non parum utilitatis provenerit : Nos illud in nostra Typographia Vaticana quam emendatissime imprimi, ac divulgari jussimus.

Illud non alibi quam in d. Typographia de cetero imprimi posse jubet nisi prævia Inquisitorum, et eis non extantib. Ordinariorum licentia.

Ut autem illius usus in omnibus Christiani orbis partibus, perpetuis futuris temporibus conservetur, ipsum Breviarium in alma Urbe nostra in eadem Typographia tantum, et non alibi imprimi posse decernimus; extra Urbem vero juxta exemplar in dicta Typographia nunc

editum, et non aliter, hac lege imprimi posse permittimus, ut nimirum Typographis quibuscumque illud imprimere volentibus, id facere liceat, requisita tamen prius et in scriptis obtenta dilectorum filiorum Inquisitorum hæreticæ pravitatis in iis locis, in quibus fuerint, ubi vero non fuerint, Ordinariorum locorum licentia :

Typographis aliter, vel alibi imprimentibus, et Bibliopolis vendentibus pœnas imponit.

Alioquin si absque hujusmodi licentia dictum Breviarium sub quacumque forma de cetero ipsi imprimere, aut Bibliopolæ vendere præsumpserint, Typographi, et Bibliopolæ extra statum nostrum Ecclesiasticum existentes excommunicationis latæ sententiæ, a qua nisi a Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo constituti, absolvi nequeant; in alma vero Urbe, ac reliquo Statu Ecclesiastico commorantes, quingentorum ducatorum auri de Camera, ac amissionis librorum, et typorum omnium Cameræ prædictæ applicandorum pœnas absque alia declaratione irremissibiliter incurrant eo ipso. Et nihilominus eorumdem Breviariorum per eos de cetero absque hujusmodi licentia imprimendorum, aut vendendorum usum ubique locorum, et gentium sub eisdem pœnis perpetuo interdicimus, et prohibemus.

Licentiarumque sic concedendarum formam præscribit.

Ipsi autem Inquisitores, seu Ordinarii locorum, antequam hujusmodi licentiam concedant, Breviaria ab ipsis Typographis imprimenda, et postquam impressa fuerint, cum hoc Breviario auctoritate nostra recognito, et nunc impresso, diligentissime conferant, nec in illis aliquid addi, vel detrahi permittant, et in ipsa licentia originali de collatione facta, et quod omnino

concordent, manu propria attestentur, cujus licentiæ copia initio, vel in calce cujusque Breviarii semper imprimatur : quod si secus fecerint, Inquisitores videlicet privationis suorum officiorum, ac inhabilitatis ad illa, et alia in posterum obtinenda, Antistites vero et Ordinarii locorum suspensionis a divinis, ac interdicti ab ingressu Ecclesiæ, eorum vero Vicarii privationis similiter officiorum, et beneficiorum suorum, et inhabilitatis ad illa, et alia in posterum obtinenda, ac præterea excommunicationis absque alia declaratione, ut præfertur, pœnas incurrant eo ipso.

Usum vero Breviariorum jam impressorum permittit.

Ceterum pauperum Clericorum, et aliarum personarum Ecclesiasticarum, ac Typographorum, et Bibliopolarum quorumcumque indemnitatis ex benignitate Apostolica rationem habentes, eisdem Breviaria hactenus impressa penes se habentibus, ut ea retinere, et illis uti, eaque vendere respective possint, similiter permittimus, et indulgemus.

Clausulas contrariorum derogatorias apponit.

Non obstantibus licentiis, indultis, et privilegiis quibuscumque Typographis hactenus per Nos, seu Romanos Pontifices prædecessores nostros Breviarium prædictum Pii V imprimendi concessis, quæ per præsentes expresse revocamus, et revocata esse volumus, necnon constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis generalibus, et specialibus, in contrarium præmissorum quomodocumque concessis, confirmatis et approbatis, quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et expressa mentio habenda esset, tenores hujusmodi præsentibus pro expressis habentes, hac vice duntaxat specialiter, et ex-

presse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut præsentium nostrarum litterarum exemplaribus etiam in ipsis Breviariis impressis, vel manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptisque credi jubet.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die 10 Maii MDCII, Pontificatus nostri anno undecimo.

Datum die 10 Maii 1602, an. XI.

M. Vestrius Barbianus.

URBANUS PAPA VIII,

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Divinam Psalmodiam sponsæ consolantis in hoc exilio absentiam suam a sponso cœlesti, decet esse non habentem rugam, neque maculam : quippe cum sit ejus Hymnodiæ filia, quæ canitur assidue ante Sedem Dei et Agni, ut illi similior prodeat, nihil quantum fieri potest, præferre debet, quod psallentium animos, Deo ac divinis rebus, ut convenit attentos, avocare alio ac distrahere possit : qualia sunt, si quæ interdum in sententiis aut verbis occurrant non tam apte concinneque disposita, ut tantum tantique obsequii ac ministerii opus exigeret. Quæ causæ quondam impulere summos Pontifices prædecessores nostros felicis memoriæ Pium hujusce nominis quintum, ut Breviarium Romanum incertis per eam ætatem legibus vagum, certa stataque orandi methodo inligaret, et Clementem VIII, ut illud ipsum lapsu temporis, ac Typographorum incuria depravatum, decori pristino re-

stituere. Nos quoque in eamdem cogitationem traxere, et sollicitudo nostra erga res sacras, quas primam et optimam partem muneris nostri censemus, et piorum doctorumque virorum judicia et vota, conquerentium in eo contineri non pauca, quæ sive a primo nitore institutionis excidissent, sive inchoata potius quam perfecta forent ab aliis, certe a Nobis supremam imponi manum desiderarent. Nos itaque huic rei sedulam operam navavimus, et jussu nostro aliquot eruditi et sapientes viri suam serio curam contulerunt, quorum diligentia studioque perfectum opus est, quod gratum omnibus, Deoque et sanctæ Ecclesiæ honorificum fore speramus : siquidem in eo Hymni (paucis exceptis) qui non metro, sed soluta oratione, aut etiam rhythmo constant, vel emendatioribus codicibus adhibitis, vel aliqua facta mutatione ad carminis et Latinitatis leges, ubi fieri potuit, revocati ; ubi vero non potuit, de integro conditi sunt : eadem tamen, quoad licuit, servata sententia. Restituta in Psalmis et Canticis interpunctio editionis Vulgatæ, et canentium commoditati, ob quam eadem interpunctio mutata interdum fuerat, additis Astericis consultum. Patrum Sermones et Homiliæ collatæ cum pluribus impressis editionibus, et veteribus manuscriptis, ita multa suppleta, multa emendata atque correcta. Sanctorum Historiæ ex priscis, et probatis auctoribus recognitæ. Rubricæ detractis nonnullis, quibusdam adjectis, clarius et commodius explicatæ. Denique omnia magno et longo labore diligenter accurateque ita disposita et expolita, ut quod erat in votis, ad optatum exitum perductum sit. Cum igitur tanta tamque exacta doctorum hominum industria, ne plane in irritum recidat, requirat Typographorum fidem, mandavimus dilecto filio Andreæ Brogiotto, Typographiæ nostræ Apostolicæ Præfecto, procurationem hujus Breviarii in lucem primo edendi ; quod exemplar, qui posthac Romanum Breviarium impresserint, sequi omnes teneantur. Extra Urbem vero nemini

licere volumus idem Breviarium in posterum typis excudere, aut evulgare, nisi facultate in scriptis accepta ab Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, siquidem inibi fuerint, sin minus, ab locorum Ordinariis. Quod si quis quacumque forma contra præscriptam, Breviarium Romanum aut Typographus impresserit, aut impressum Bibliopola vendiderit, extra ditionem nostram Ecclesiasticam excommunicationis latæ sententiæ pœnæ subjaceat, a qua nisi a Romano Pontifice (præterquam in mortis articulo constitutus) absolvi nequeat; in alma vero Urbe, ac reliquo Statu Ecclesiastico commorantes quingentorum ducatorum auri de Camera, ac amissionis librorum, et typorum omnium eidem Cameræ applicandorum pœnas, absque alia declaratione irremissibiliter incurrant; et nihilominus Breviaria sine prædicta facultate impressa, aut evulgata, eo ipso prohibita censeantur. Inquisitores vero, locorumque Ordinarii facultatem hujusmodi non prius concedant, quam Breviarium tam ante, quam post impressionem cum hoc ipso exemplari, auctoritate nostra vulgato, diligenter contulerint, et nihil in iis additum detractumque cognoverint. In ipsa autem facultate, cujus exemplum in fine aut initio cujusque Breviarii impressum semper addatur, mentionem manu propria faciant absolutæ hujusmodi collationis, repertæque inter utrumque Breviarium conformitatis, sub pœna Inquisitoribus privationis suorum officiorum, ac inhabilitatis ad illa, et alia in posterum obtinenda; Ordinariis vero locorum suspensionis a divinis, ac interdicti ab ingressu Ecclesiæ; eorum vero Vicariis privationis officiorum et beneficiorum suorum, et inhabilitatis ad illa, et alia in posterum obtinenda, necnon excommunicationis absque alia declaratione incurrendæ. Sub iisdem etiam prohibitionibus et pœnis comprehendi intendimus et volumus ea omnia, quæ a Breviario Romano ortum habent, sive ex parte, sive in totum; cujusmodi sunt Missalia, Diurna, Officia parva

beatæ Virginis, Officia majoris Hebdomadæ, et id genus alia, quæ deinceps non imprimantur, nisi prævia illorum, et cujuslibet ipsorum in dicta Typographia per eumdem Andream impressionem, ut omnino cum Breviario de mandato nostro edito concordent. Injungimus autem Nuntiis nostris ubique locorum degentibus, ut huic negotio diligenter invigilent, cunctaque ad præscriptum hujus voluntatis nostræ confici curent. Nolumus tamen his litteris Breviaria, et alia prædicta, quæ impressa sunt hactenus, prohiberi, sed indemnitati omnium consulentes, tam Typographis et Bibliopolis vendere, quam Ecclesiis, Clericis, aliisque retinere, atque iis uti Apostolica benignitate permittimus et indulgemus. Non obstantibus licentiis, indultis et privilegiis Breviaria imprimendi quibuscumque Typographis per Nos, seu Romanos Pontifices prædecessores nostros hucusque concessis, quæ per præsentes expresse revocamus, et revocata esse volumus; necnon constitutionibus, et ordinationibus generalibus, et specialibus in contrarium præmissorum quomodocumque editis, confirmatis, et approbatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda esset, tenores hujusmodi præsentibus pro expressis habentes hac vice duntaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentium litterarum nostrarum exemplaribus, etiam in ipsis Breviariis impressis, vel manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die vigesima quinta Januarii MDCXXXI, Pontificatus nostri anno octavo.

M. A. Maraldus. I. Savenier.

EX DECRETORUM REGISTRO

SACRÆ RITUUM CONGREGATIONIS

HÆC AD BREVIARIUM ROMANUM ATTINENT.

Sacra Rituum Congregatio declaravit et decrevit, non potuisse post Bullam S. Pii V de Breviario Romano, neque posse locorum Ordinarios, tam sæculares quam regulares, addere Kalendariis, etiam propriis, Sanctorum officia, nisi ea dumtaxat, quæ Breviarii Romani Rubricis, vel sacræ Rituum Congregationis, seu Sedis Apostolicæ licentia conceduntur : neque propria auctoritate, quovis prætextu, mutare ritum, qui habetur in Kalendario Romano, seu Rubricis Breviarii, in altiorem ritum; neque extendere concessa Officia de loco ad locum.

Item vetuit et prohibuit celebrari per totam Civitatem vel Diœcesim, etiam de cujuscumque Ordinarii auctoritate, Festum cum Officio, eo quod in loco adsit Ecclesia Parochialis, vel Regularis, vel Abbatialis, aut aliqua Reliquia ; sed tantum in ipsius Sancti Ecclesia titulari, seu ubi asservatur corpus, aut insignis Reliquia, et non alibi.

Insignes autem Reliquias declaravit esse caput, brachium, crus aut illam partem corporis, in qua passus est Martyr, modo sit integra, et non parva et legitime ab Ordinariis approbata.

De Sanctis Episcopis locorum, Martyribus, Civibus, et aliis Festis, de quibus in Kalendario Romano, seu Rubricis Breviarii nihil habetur, uti etiam de Beatis nondum canonizatis, nihil propria auctoritate constituatur, sed omnino consulatur sacra Rituum Congregatio.

Decretum quoque nuper editum super electione Sanctorum in Patronos, et impressum, omnino servetur.

Et hæc omnia decrevit, statuit, et mandavit innovando pœnas Constitutionis S. Pii V respective.

Facta demum relatione horum Decretorum SS. D. N. Urbano Papæ VIII, ea laudavit et approbavit, atque ab omnibus ubique sub prædictis pœnis servari præcepit; necnon in novis Breviariis de mandato Sanctitatis suæ imprimendis apponi jussit.

Loco ✝ Sigilli.

T. Tegrimius, *Episcopus Assisien. Secr.*

EJUSDEM PRO SANCTIS AD LIBITUM.

Eadem Sac. Rit. Congreg. habita die 2 Decembris 1673, statuit ex mandato Clementis X Festa Sanctorum ad libitum in posterum non esse transferenda, si eorum festivitas incidat in diem Dominicum, vel aliquem diem Festorum mobilium, sed tunc illo anno eorum Officia esse omittenda. Quod ipsum postea Innocentius Papa XI in Congreg. habita 24 Januarii 1682, generali decreto confirmavit, et extendit insuper etiam ad Octavas et Natalitia Sanctorum, de præcepto in aliqua Religione vel Diœcesi, ex indulto Apostolico recitanda. Ita ut ne quidem dictis festis vel octavis festa ad libitum tunc incidentia possint recitari, sed omitti prorsus debeant.

Permisit tamen, ut festum translatum quod alias eo die celebrandum foret, in alium diem non impeditum transferatur : item ut eodem die omitti possit Officium semel per hebdomadam aut mensem recitandum ex indulto Apostolico, ut ita locus sit celebrando Officio ad libitum.

EJUSDEM PRO SANCTIS IN MARTYROLOGIO NON DESCRIPTIS.

Officia Sanctorum ratione Corporis, seu insignis Reliquiæ recitanda, ex Decret. S. R. Congreg. 11 Augusti 1691, intelligi debere de Sanctis duntaxat in Martyrologio Romano descriptis, et dummodo constet de identitate Cor-

poris, seu Reliquiæ insignis illiusmet Sancti qui reperitur in Martyrologio Romano descriptus : de ceteris autem Sanctis in prædicto Martyrologio non descriptis, aut quibus a S. Sede non fuerit specialiter concessum, officia recitari, et Missas celebrari vetuerunt, non obstante quod ipsorum corpora, vel insignes Reliquiæ in Ecclesiis asserventur, quibus tamen ab Ordinariis locorum approbatis debitam Fidelium venerationem (prout hactenus servatum est) exhibendam esse censuerunt, sed absque Officio, et Missa, sub pœnis de non satisfaciendo præcepto recitanti Officium, aliisque in Constitutione S. Pii contentis. Die 11 Augusti 1691. Et Sanctiss. approbavit die 19 Octobris ejusd. anni 1691.

Loco ✝ Sigilli.

J. Vallemanus, *S. R. C. Secret.*

DECRETA GENERALIA CIRCA RUBRICAS.

Cum Sacrorum Rituum Congregationi demisse supplicatum fuerit sequentia dubia declarare.

Primum. An, cum multis Congregationibus, Religionibus, sive Ecclesiis, vel Nationibus concessum sit a Sancta Sede Apostolica, ut semel, vel pluries in singulis hebdomadis, vel mensibus celebrentur varia Officia per annum, v. g. de Sanctissimo Sacramento, vel de Sanctis in diebus non impeditis aliquo Festo duplici, vel semiduplici, liceat ejusmodi Officia facere etiam in diebus Sanctæ Quadragesimæ, Adventus, Vigiliarum, et Quatuor Temporum, etiam si de his diebus nulla sit facta specialis mentio in aliquibus Officiorum concessionibus?

Secundum. An dies impeditus Festo duplici, vel semiduplici pro dictis Officiis recitandis, intelligantur etiam dies, in quibus ponendum est Officium de Festo duplici, vel semiduplici translato, quemadmodum dicitur responsum fuisse olim a Sacra Congregatione; Quod scilicet

Festum duplex vel semiduplex etiam translatum necnon dies Octavæ sit dies impeditus respectu talium Officiorum?

Tertium. An Regulares absque speciali privilegio, sed sola communicatione privilegiorum aliarum Religionum possint addere nomen Sancti Fundatoris in Litaniis, et Confiteor, itemque recitare Officia et Missas concessa aliis Religionibus?

Sacrorum Rituum eadem Congregatio ad relationem Eminentissimi et Reverendissimi Domini Card. Colloredo respondit :

Ad primum Negative, et hujusmodi indulta non habere locum in Feriis Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Vigiliarum, sive cum jejunio, sive absque jejunio, nec in Feria secunda Rogationum, nec in illa Feria, in qua secundum Rubricas sit reponendum Officium Dominicæ.

Ad secundum Affirmative.

Ad tertium Negative in omnibus.

Et ita declaravit, ac servari voluit. Ac insuper ut Declarationes, seu Decreta prædicta omnibus innotescant, typis ea imprimi mandavit. Die 20 Martii 1706.

G. Card. Carpineus.

Loco ✝ Sigilli.

B. Inghirami, *Sac. Rit. Congr. Secr.*

SECTIO SECUNDA.

DE MISSALI ROMANO.

PIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI,

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Exordium.

Quo primum tempore ad Apostolatus apicem assumpti fuimus, ad ea libenter animum viresque nostras intendimus et cogitationes omnes deximus, quæ ad Ecclesiasticum purum retinendum cultum pertinerent, eaque parare, et Deo ipso adjuvante, omni adhibito studio efficere contendimus.

Ex Decreto Concilii Trid. Catechismus Missale et Breviar. emendanda erant, et Breviarium jam fuit emendatum, et ab isto Pontifice confirmatum.

Cumque inter alia S. Tridentini Concilii decreta, nobis statuendum esset de sacris libris, Catechismo, Missali, et Breviario edendis atque emendandis; edito jam, Deo ipso annuente, ad populi eruditionem Catechismo, et ad debitas Deo persolvendas laudes Breviario castigato, omnino, ut Breviario Missale responderet, ut congruum est et conveniens (cum unum in Ecclesia Dei psallendi modum, unum Missæ celebrandæ ritum esse maxime deceat) necesse jam videbatur, ut, quod reliquum in hac parte esset, de ipso nempe Missali edendo, quam primum cogitaremus.

Et mox emendari fecit Missale, quod nunc confirmat, ac recipi, et juxta illud ubique celebrari ju-

Quare eruditis delectis viris onus hoc demandandum duximus: qui quidem diligenter collatis omnibus cum vetustis nostræ Vaticanæ Bibliothecæ, aliisque undique conquisitis, emendatis, atque incorruptis codicibus, necnon vete-

rum consultis ac probatorum Auctorum scriptis, qui de sacro eorumdem rituum instituto monumenta nobis reliquerunt, ad pristinam Missale ipsum SS. Patrum normam ac ritum restituerunt. Quod recognitum jam et castigatum, mature adhibita consideratione, ut ex hoc instituto, cœptoque labore, fructus omnes percipiant, Romæ quamprimum imprimi, atque impressum edi mandavimus : nempe ut Sacerdotes intelligant, quibus precibus uti, quos ritus, quasve cæremonias in Missarum celebratione retinere posthac debeant. Ut autem a Sacrosancta Romana Ecclesia, ceterarum Ecclesiarum matre et magistra, tradita ubique amplectantur omnes et observent, ne in posterum perpetuis futuris temporibus in omnibus Christiani orbis provinciarum Patriarchalibus, Cathedralibus, Collegiatis, et Parochialibus, Sæcularibus, et quorumvis Ordinum, Monasteriorum, tam virorum quam mulierum, etiam militiarum Regularibus, ac sine cura Ecclesiis, vel Capellis, in quibus Missa Conventualis alta voce cum Choro, aut demissa celebrari juxta Romanæ Ecclesiæ ritum consuevit, vel debet, alias quam juxta Missalis a Nobis editi formulam decantetur, aut recitetur, etiamsi eædem Ecclesiæ quovis modo exemptæ Apostolicæ Sedis indulto, consuetudine, privilegio, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel aliis quibusvis facultatibus munitæ sint; nisi ab ipsa prima institutione a Sede Apostolica approbata, vel consuetudine, quæ, vel ipsa institutio super ducentos annos Missarum celebrandarum in eisdem Ecclesiis assidua observata sit : a quibus, ut præfatam celebrandi constitu-

bet, nisi alia institutio, a Sede Apostolica approbata, vel consuetudo supra ducentum annos observata sit.

tionem, vel consuetudinem nequaquam auferimus; sic si Missale hoc, quod nunc in lucem edi curavimus, iisdem magis placeret, de Episcopi, vel Prælati, Capitulique universi consensu, ut quibusvis non obstantibus, juxta illud Missas celebrare possint, permittimus : ex aliis vero omnibus Ecclesiis præfatis eorumdem Missalium usum tollendo, illaque penitus et omnino rejiciendo,

Illudque immutari prohibet.

Ac huic Missali nostro nuper edito nihil unquam addendum, detrahendum, aut immutandum esse decernendo, sub indignationis nostræ pœna, hac nostra perpetuo valitura constitutione statuimus et ordinamus. Mandantes, ac districte omnibus et singulis Ecclesiarum prædictarum Patriarchis, Administratoribus, aliisque personis quacumque Ecclesiastica dignitate fulgentibus, etiamsi S. R. E. Cardinales, aut cujusvis alterius gradus et præeminentiæ fuerint, illis in virtute sanctæ obedientiæ præcipientes, ut ceteris omnibus rationibus et ritibus ex aliis Missalibus quantumvis vetustis hactenus observari consuetis, in posterum penitus omissis ac plane rejectis, Missam juxta ritum, modum, ac normam, quæ per Missale hoc a Nobis nunc traditur, decantent ac legant; neque in Missæ celebratione alias cæremonias vel preces, quam quæ hoc Missali continentur, addere vel recitare præsumant. Atque ut hoc ipsum Missale in Missa decantanda aut recitanda, in quibusvis Ecclesiis absque ullo conscientiæ scrupulo, aut aliquarum pœnarum, sententiarum, et censurarum incursu posthac omnino sequantur, eoque libere et licite uti possint et valeant, auctoritate Apostolica, tenore præsen-

tium, etiam perpetuo concedimus et indulgemus. Neve Præsules, Administratores, Canonici, Capellani, et alii quocumque nomine nuncupati Presbyteri sæculares, aut cujusvis Ordinis regulares, ad Missam aliter quam a Nobis statutum est, celebrandam teneantur; neque ad Missale hoc immutandum a quolibet cogi et compelli,

Clausulæ præservativæ.

Præsentesve litteræ ullo unquam tempore revocari aut moderari possint, sed firmæ semper et validæ in suo existant robore, similiter statuimus et declaramus.

Clausulæ derogativæ.

Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus; necnon Ecclesiarum prædictarum usu longissima et immemorabili præscriptione, non tamen supra ducentos annos, roborato, statutis et consuetudinibus contrariis quibuscumque.

Hæc constitutio quando incipiat ligare.

Volumus autem, et eadem auctoritate decernimus, ut post hujus nostræ constitutionis ac Missalis editionem, qui in Romana adsunt Curia Presbyteri, post mensem; qui vero intra montes, post tres; et qui ultra montes incolunt, post sex menses, aut cum primum illis Missale hoc venale propositum fuerit, juxta illud Missam decantare vel legere teneantur.

Impressores non imprimant Missale absque licentia.

Quod ut ubique terrarum incorruptum, ac mendis et erroribus purgatum præservetur, omnibus in nostro et S. Romanæ Ecclesiæ dominio mediate vel immediate subjecto commorantibus impressoribus, sub amissionis librorum, ac centum ducatorum auri, Cameræ

Apostolicæ ipso facto applicandorum ; aliis vero in quacumque orbis parte consistentibus sub excommunicationis latæ sententiæ, et aliis arbitrii nostri pœnis, ne sine nostra, vel specialis ad id Apostolici Commissarii in eisdem partibus a Nobis constituendi, licentia, ac nisi per eumdem Commissarium eidem impressori Missalis exemplum, ex quo aliorum imprimendorum ab ipso impressore erit accipienda norma, cum Missali in Urbe secundum magnam impressionem impresso collatum fuisse, et concordare, nec in ullo penitus discrepare prius plena fides facta fuerit, imprimere, vel proponere, vel recipere ullo modo audeant, vel præsumant, auctoritate Apostolica, et tenore præsentium similiter inhibemus.

Jussio publicandi et Fides exemplorum.

Verum, quia difficile esset præsentes litteras ad quæque Christiani orbis loca deferri, ac primo quoque tempore in omnium notitiam perferri, illas ad Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, et in acie Campi Floræ de more publicari et affigi, ac earumdem litterarum exemplis etiam impressis, ac manu alicujus publici tabellionis subscriptis, necnon sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eamdem prorsus indubitatam fidem ubique gentium et locorum haberi præcipimus, quæ præsentibus haberetur, si ostenderentur, vel exhiberentur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ permissionis, statuti, ordinationis, mandati, præcepti, concessionis, indulti, declarationis, voluntatis, decreti, et inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, in-

dignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

D. P. An. V. 14 Julii.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo, pridie Idus Julii, Pontificatus nostri anno quinto.

CÆS. GLORIERIUS.

H. CUMYN.

Anno a Nativitate Domini millesimo quingentesimo septuagesimo, Indictione decimatertia, die vero vigesimanona mensis Julii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri Domini Pii divina providentia Papæ quinti, anno ejus quinto, retroscriptæ litteræ publicatæ et affixæ fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, et in acie Campi Floræ, ut moris est, per nos Jannem Andream Rogerium, et Philibertum Cappuis, Cursores.

SCIPIO DE OCTAVIANIS, *Magister Cursorum.*

CLEMENS PAPA VIII,

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Exordium. Idem Ritus Missæ sacrificio servandus.

Cum sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, quo nos Christus Dominus sacri sui Corporis participes effecit, atque apud nos usque ad consummationem sæculi permanere decrevit, maximum sit omnium Sacramentorum, illudque in sacra Missa conficiatur, ac pro peccatis totius populi Deo Patri offeratur; sane omnino conveniens est, ut qui omnes unum sumus in

uno corpore, quod est Ecclesia, et de uno Corpore Christi participamus una et eadem celebrandi ratione, uniusque officii et ritus observatione in hoc ineffabili et tremendo sacrificio utamur.

Pius V Missale Romanum emendari, et imprimi curat.

Quod cum Romani Pontifices prædecessores nostri semper optarint, atque in hoc diu multumque desudarint, tum in primis fel. recordat. Pius Papa quintus Missale Romanum ex Decreto Sacri Concilii Tridentini ad veterem et emendatiorem normam restitui, Romæque imprimi curavit.

Nonnulli postmodum in illud errores irrepserant.

Qui etsi multis propositis pœnis severissime caverit, ne quid illi vel adderetur, vel ulla ratione demeretur; tamen progressu temporis, sive Typographorum, sive aliorum temeritas et audacia effecit, ut multi in ea quæ his proximis annis excusa sunt Missalia, errores irrepserint, quibus vetustissima illa sacrorum Bibliorum versio, quæ etiam ante sancti Hieronymi tempora celebris habita est in Ecclesia, et ex qua omnes fere Missarum Introitus, et quæ dicuntur Gradualia et Offertoria accepta sunt, omnino sublata est; Epistolarum et Evangeliorum textus, qui hucusque in Missæ solemniis prælectus est, multis in locis perturbatus; ipsis Evangeliis diversa ac prorsus insolita præfixa initia : plurima denique passim pro arbitrio immutata sint; cujus rei prætextus fuisse videtur, ut omnia ad præscriptum sacrorum Bibliorum Vulgatæ editionis revocarentur, quasi id alicui propria auctoritate, atque Apostolica Sede inconsulta facere licitum sit.

Clemens illud corrigi mandat.

Quod nos animadvertentes, pro nostra Pastorali sollicitudine, qua omnibus in rebus, ac

præcipue in sacris Ecclesiæ ritibus, optimam, eamque veterem normam studemus tueri et conservare, primum prædicta Missalia impressa sic depravata prohiberi et abrogari, eorumque usum in celebratione Missarum interdici jussimus, nisi ad præscriptum exemplaris sub ipso Pio V editi integre in omnibus emendarentur; deinde mandavimus nonnullis venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus in sacris Litteris versatis, et Ecclesiasticæ antiquitatis peritis, ut curam Missale ad pristinam, et quam maxime emendatam formam restituendi susciperent : qui pro sua erga nos fide, et in Romanam Ecclesiam pietate et studio, adhibitis etiam aliis rerum Ecclesiasticarum peritis et eruditis viris, et veteribus Missalibus, aliisque præterea libris, qui ad eam rem opportuni videbantur, accurate perquisitis et diligenter inspectis, Missale Romanum suæ integritati restituere, ac ipsius Pii V, et eorum qui ab eo delecti fuerant, laborem et diligentiam confirmare et comprobare curarunt. Verum in eo munere peragendo factum est, ut nonnulla ex diligenti librorum antiquorum collatione in meliorem formam redacta, et in regulis et rubricis aliqua uberius et clarius expressa sint, quæ tamen ex illorum principiis et fundamentis quasi deducta, illorum sensum imitari potius et supplere, quam aliquid novi afferre videantur.

Emendatum imprimi jubet.

Missale itaque quod idem Pius V ediderat, sic recognitum, in nostra Typographia Vaticana, quam emendatissime imprimi, et ad communem utilitatem publicare jussimus.

Typographis pœnas indicit illud impri-

Ut autem illius usus in omnibus Christiani orbis partibus, perpetuis futuris temporibus

conservetur, ipsum Missale in alma Urbe nostra in eadem Typographia tantum, et non alibi imprimi posse decernimus; extra Urbem vero juxta exemplar in dicta Typographia nunc editum, et non aliter, hac lege imprimi posse permittimus, ut nimirum Typographis quibuscumque illud imprimere volentibus, id facere liceat, requisita tamen prius, et in scriptis obtenta dilectorum filiorum Inquisitorum hæreticæ pravitatis in iis locis in quibus fuerint, ubi vero non fuerint, Ordinariorum locorum licentia; alioquin si absque hujusmodi licentia dictum Missale sub quacumque forma de cetero ipsi imprimere, aut Bibliopolæ vendere præsumpserint, Typographi et Bibliopolæ extra Statum nostrum Ecclesiasticum existentes, excommunicationis latæ sententiæ, a qua nisi a Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo constituti, absolvi nequeant: in alma vero Urbe, ac reliquo Statu Ecclesiastico commorantes, quingentorum ducatorum auri de Camera, ac amissionis librorum, et typorum omnium Cameræ prædictæ applicandorum, pœnas absque alia declaratione irremissibiliter incurrant eo ipso,

mentibus non servatis iis, quæ hic præscribuntur.

Et nihilominus eorumdem Missalium per eos de cetero absque hujusmodi licentia imprimendorum aut vendendorum usum ubique locorum et gentium sub eisdem pœnis perpetuo interdicimus et prohibemus.

Cavetque, ne aliter impressa Missalia usu recipiantur.

Ipsi autem Inquisitores, seu Ordinarii locorum antequam hujusmodi licentiam concedant, Missalia ab ipsis Typographis imprimenda, et postquam impressa fuerint, cum hoc Missali auctoritate nostra recognito, et nunc impresso,

Pœnæ contra Inquisitores, et Ordinarios sancitas hic leges non servantes.

diligentissime conferant, nec in illis aliquid addi, vel detrahi permittant, nec in præmissis prætextu incuriæ Typographorum, aut non factæ per correctores, vel alios ab ipsis forsitan deputandos diligentiæ, se aliquo modo excusare, quodque in infrascriptas pœnas non incurrerint, allegare valeant; et in ipsa licentia originali de collatione facta, et quod omnino concordent, manu propria attestentur: cujus licentiæ copia initio, vel in calce cujusque Missalis semper imprimatur. Quod si secus fecerint, Inquisitores videlicet privationis suorum Officiorum, ac inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda, Antistites autem et Ordinarii locorum suspensionis a divinis, ac interdicti ab ingressu Ecclesiæ, eorum vero Vicarii privationis similiter Officiorum et beneficiorum suorum, et inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda, ac præterea excommunicationis, absque alia declaratione, ut præfertur, pœnas incurrant eo ipso.

Quæ prohibita non sunt, vendi adhuc, et retineri permittit.

Ceterum pauperum Ecclesiarum, Clericorum, et personarum Ecclesiasticarum, ac Typographorum, et Bibliopolarum quorumcumque indemnitatis ex benignitate Apostolica rationem habentes, eisdem Missalia hactenus impressa penes se habentibus (iis duntaxat exceptis quæ auctoritate nostra, ut supra dictum est, interdicta et abrogata fuerunt) ut ea retinere, et illis uti, eaque vendere respective possint similiter permittimus, et indulgemus.

Obstantia tollit.

Non obstantibus licentiis, indultis, et privilegiis quibuscumque Typographis hactenus per nos seu Romanos Pontifices prædecessores nostros Missale prædictum Pii V imprimendi con-

cessis, quæ per præsentes expresse revocamus, et revocata esse volumus; necnon Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis generalibus, vel specialibus, in contrarium præmissorum quomodocumque concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et expressa mentio habenda esset, tenores hujusmodi præsentibus pro expressis habentes, hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi jubet.

Volumus autem ut præsentium transumptis etiam impressis, vel manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur quæ ipsis præsentibus haberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Datum die 7 Julii 1604. An. XIII.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris, die septimo Julii MDCIV, Pontificatus nostri anno decimo tertio.

M. VESTRIUS BARBIANUS.

URBANUS PAPA VIII,

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Siquid est in rebus humanis plane divinum, quod nobis superni Cives (si in eos invidia caderet) invidere possent, id certe est Sacrosanctum Missæ sacrificium, cujus beneficio fit, ut homines quadam anticipatione possideant in terris cœlum, dum ante oculos habent, et manibus contrectant ipsum cœli terræque Conditorem. Quo magis est mortalibus laborandum, ut hoc tantum privilegium cultu atque honore debito tueantur, caveantque Angelos negli-

gentiæ osores, qui sunt æmuli venerationis. Hinc factum est, ut hujus sacri Mysterii celebrandi rationem ac preces, quas Summi Pontifices prædecessores nostri Pius V et Clemens VIII diligentissime recognosci atque instaurari curaverunt; Nos quoque eorum vestigiis inhærentes, iterum examinari, et si quid forte in iis assiduus (quod plerumque contingit) temporis cursus corruperit, restitui jusserimus. Quamobrem, sicuti nuper ad divini Officii nitorem reformari Breviarium, ita demum hujus exemplo ad divini Sacrificii ornamentum corrigi Missale mandavimus. Et quoniam hasce quasi alas, quas Sacerdos instar Cherubim prisci mystici Tabernaculi quotidie pandit ad verum mundi propitiatorium, decet esse plane geminas atque uniformes, hujus rei curam commisimus viris eruditis ac piis, quorum diligentia ita opus perfectum est, ut nihil desiderari amplius possit. Nam rubricæ, quæ sensim ab usu rituque vetere degeneraverant, in pristinum restitutæ; quæ vero non ita captui legentium accommodatæ videbantur, clarius explicatæ : præterea collata omnia cum codice Sacræ Scripturæ Vulgatæ editionis, quæque diversa irrepserant, ad ejus unius exemplum normamque correcta sunt. Verumtamen parum prodesse consuevit solertia correctorum, nisi ad eam par Typographorum accedat industria; propterea dilecto filio Andreæ Brogiotto Typographiæ nostræ Apostolicæ præfecto mandavimus, ut Missale ita expurgatum in lucem emittat; sed quæ in posterum extra Urbem imprimi contigerit, ea non taliter, quam ad exemplar in dicta Typographia nunc editum imprimi posse permittimus, requisita tamen prius, et in scriptis obtenta dilectorum filiorum Inquisitorum hæreticæ pravitatis in iis locis in quibus fuerint, ubi vero non fuerint, Ordinariorum locorum facultate, alioquin si absque ea dictum Missale ipsi posthac imprimere, aut Bibliopolæ vendere præsumpserint, Typographi et Bibliopolæ extra Statum nostrum Ecclesiasticum existentes, excommunicationis latæ

sententiæ, a qua nisi a Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo constituti, absolvi nequent; in alma vero Urbe et reliquo Statu Ecclesiastico commorantes, quingentorum ducatorum auri de Camera, ac amissionis librorum et typorum omnium Cameræ prædictæ applicandorum, pœnas absque alia declaratione irremissibiliter incurrant eo ipso, et nihilominus eorumdem Missalium per eos de cetero absque hujusmodi licentia imprimendorum aut vendendorum usum ubique locorum et gentium sub eisdem pœnis interdicimus et prohibemus. Ipsi autem Inquisitores, seu Ordinarii locorum, antequam hujusmodi licentiam et facultatem concedant, Missalia ab ipsis Typographis imprimenda, et postquam impressa fuerint, cum hoc Missali auctoritate nostra recognito diligentissime conferant, nec in illis aliquid addi vel minui permittant. In ipsa vero licentia originali obtinenda, de collatione facta, et quod omnino concordent, manu propria attestentur, cujus licentiæ copia initio, vel in fide cujusque Missalis semper imprimatur. Quod si secus fecerint, Inquisitores privationis suorum officiorum, ac inhabilitatis ad illa, et alia in posterum obtinenda; Ordinarii autem locorum suspensionis a divinis, ac interdicti ab ingressu Ecclesiæ: eorum Vicarii privationis similiter Officiorum et beneficiorum suorum, et inhabilitatis ab illa et alia in posterum obtinenda, ac insuper excommunicationis absque alia declaratione pœnas incurrent eo ipso. Ceterum pauperum Ecclesiarum, Clericorum, et personarum Ecclesiasticarum, ac Typographorum, et Bibliopolarum quorumcumque indemnitatis ex benignitate Apostolica rationem habentes; eisdem Missalia hactenus impressa penes se habentibus, ut ea retinere, et illis uti, eaque vendere respective possint similiter permittimus et indulgemus. Non obstantibus licentiis, indultis, et privilegiis quibuscumque Typographis, per Nos, seu Romanos Pontifices prædecessores nostros Missale imprimendi concessis, quæ

per præsentes expresse revocamus, et revocata esse volumus; necnon constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis generalibus, vel specialibus, in contrarium præmissorum quomodocumque concessis, approbatis, et confirmatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et expressa mentio habenda esset, tenores hujusmodi præsentibus pro expressis habentes, hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus. Volumus autem ut præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die secundo Septembris MDCXXXIV, Pontificatus nostri anno duodecimo.

M. A. Maraldus. J. Savenier.

EX REGISTRO DECRETORUM

SACRÆ RITUUM CONGREGATIONIS.

Sacra Rituum Congregatio, inhærendo Decretis alias factis, prohibet omninò Missas a Sacra Rituum Congregatione non approbatas, et signanter Missas nuncupatas S. Gregorii pro Vivis et Defunctis, Missas quindecim Auxiliatorum, Missam de Patre Æterno, et quascumque alias, ut supra, non approbatas; exceptis tamen Missis Rosarii et de Monte Carmelo, quæ sunt permissæ Regularibus quibusdam, et iisdem duntaxat, nec possunt ab aliis celebrari etiam in ipsorum Regularium Ecclesiis.

Nemo audeat uti pileolo in celebratione Missarum sine expressa licentia Sedis Apostolicæ, non obstante quacumque contraria consuetudine.

Item prohibetur usus Rochetti, exceptis tamen quibus de jure competit; et præter hoc statuitur et declaratur nemini licere inservire aut assistere celebratione Missarum aut divinorum Officiorum cum Rochetto neque cum Cotta habente manicas angustas ad instar Rochetti; et idem servandum est in Concionibus.

Paramenta non debent sumi de Altari pro celebratione Missarum, cum id competat tantum Episcopis, sive solemniter, sive privatim celebrent : inferioribus vero habentibus usum Pontificalium, non nisi quando in Pontificalibus celebrant.

Demum renovando Decreta alias facta, mandat Sacra Congregatio in omnibus et per omnia servari Rubricas Missalis Romani, non obstante quocumque prætextu et contraria consuetudine, quam abusum esse declarat.

Et facta relatione horum Decretorum Sanctiss. D. N. Urbano VIII, Sanctitas sua annuit; et ab omnibus ubique servari, et in Missali Romano noviter imprimendo apponi mandavit.

JULIUS ROSPIGLIOSIUS, *Secret.*

EMINENTISSIMI Sac. Rituum Congregation. Præpositi, ob summam ac debitam venerationem, qua Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum prosequuntur, et ad augendum ejus cultum in toto terrarum Orbe, censuerunt prohibendum esse ne in posterum infra Octavam Sanctissimi Corporis Christi Missæ Votivæ quæcumque vel pro defunctis celebrentur, si Sanctissimo placuerit. Hac die 21 Junii 1670. Et facta de prædictis Sanctissimo relatione per me Secretarium, Sanctitas sua sensum ejusdem Sac. Congregationis approbavit, et prædictum Decretum edi mandavit eadem die ejusdem mensis et anni 1670.

M. EPISCOPUS PORTUENSIS, Card. GINETTUS.

Loco † Sigilli.

BERNARDINUS CASALIUS, *Sac. Rit. Congr. Secret.*

EADEM PRO SANCTIS IN MARTYROLOGIO NON DESCRIPTIS.

Officia Sanctorum, *etc.*, *ut supra*, *fol.* 18.

URBIS ET ORBIS.

Cum occasione Missalis typis Sacræ Congregationis de Propaganda Fide summa cura ac diligentia novissime impressi, et propediem publico usui exponendi, Sacræ Rituum Congregationis enixe fuerit supplicatum, ut nonnulla ejusdem Sacræ Congregationis Decreta alias jam edita et approbata, in prædicto novo Missali summatim apponi et imprimi posse, benigne concedere dignaretur, videlicet:

Missæ pro Defunctis, sive Requiem in Festis Duplicibus contra præscriptum Rubricarum Missalis Romani nullatenus celebrari debent. Quod si ex benefactorum institutione Missæ hujusmodi celebrandæ incidunt in Festum Duplex, tunc, ne dilatio animabus suffragia expectantibus detrimento sit, in aliam diem non impeditam minime transferantur, sed dicantur de Festo currenti cum applicatione Sacrificii juxta mentem eorumdem benefactorum. Die 5 Augusti 1662, approbatum a fel. rec. Alexandro VII, eadem die.

Prædictum Decretum ab ejusdem fel. rec. Alexandro VII, speciali Brevi quod incipit *Creditæ nobis*, denuo fuit confirmatum, ac insuper statutum, id servandum esse quoad Missas in Altaribus privilegiatis ex obligatione celebrandas, et indulgentias per ejusmodi privilegia concessas animabus in Purgatorio existentibus suffragari, perinde ac si celebratæ fuissent Missæ Defunctorum. Ac denique declaratum, Anniversaria et Missas cantatas de Requiem relictas ex dispositione testatorum quotannis in die ipsorum obitus, etiam in Duplici Majori contingentis, in præ-

dicto Decreto, die 5 Augusti edito, minime comprehendi, prout antea in una Novariensi 22 Novembris 1664, eadem Sac. Congr. Rit. declaraverat. Die 22 Januarii 1667, Pontificatus An. XII.

Deinde fel. record. Clemens IX, eadem Sac. Congr. Decreta, alio Brevi, cujus initium *Cum fel. record.* iterum confirmavit, prædictamque Alexandri VII dispositionem ad Altaria non in perpetuum, sed ad septennium, seu aliud brevius vel longius tempus, ac non in omnibus; sed aliquo, vel aliquibus tantum Hebdomadæ diebus nunc et in futurum quandocumque privilegiata extendit. Die 23 Septembris 1669, Pontificatus An. III.

Tandem proposito dubio, an supradictæ Alexandri VII et Clementis IX declarationes sibi locum vindicarent etiam in diebus Dominicis, et infra Octavas Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, et Corporis Christi, aliisque anni diebus, quibus licet a Festo Duplici non impediantur, adhuc tamen Missæ Defunctorum juxta ritum Ecclesiæ celebrari nequeunt, quatenus nimirum Missæ, quas iisdem diebus celebrari licet, servata ceteroquin privilegiatorum forma, ad Altaria privilegiata celebrarentur : eadem S. R. C. die 3 Aprilis 1688, prædictorum Pontificum declarationes pro omnibus diebus, quibus juxta Rubricas Missa Defunctorum celebrari non possunt, intelligendas esse respondit, ejusque Decretum subinde confirmatum fuit a fel. rec. Innocentio Papa XI, speciali Brevi quod incipit *Alias postquam*, dato die 4 Maii 1688.

Decretum a S. R. C. anno 1630 editum, quo permittitur posse in Ecclesiis recitari Officia, et Missas celebrari de illis Sanctis, quorum Corpora vel Reliquiæ insignes in eisdem asservantur, intelligendum est de Sanctis duntaxat in Martyrologio Romano descriptis, et dummodo constet de identitate Corporis eorumdem, vel insignis Reliquiæ; secus vero de Sanctis in eodem Martyrologio non descriptis. Quorum tamen Corporibus, et Reliquiis, ab Ordinariis

locorum approbatis debita a fidelibus veneratio exhibenda est, sed absque Officio et Missa, sub pœnis de non satisfaciendo præcepto recitandi Officium, aliisque in Constitutione sancti Pii V contentis. Die 11 Augusti 1691. Approbatum a fel. rec. Innocentio XII, die 19 Octobris.

Ad augendam fidelium venerationem erga Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, ejusque cultum in toto terrarum orbe promovendum, prohibitum est celebrari Missas votivas, vel pro Defunctis, infra Octavam Corporis Christi. Die 21 Januarii 1670, eademque die a fel. rec. Clemente IX approbatum.

Item prohibitum est, easdem Missas celebrari infra Octavam Nativitatis Domini. In Missis vero solemnibus pro re gravi infra eamdem Octavam celebrandis, dicenda est Præfatio juxta Rubricam generalem. Tit. 12, n° 4. Die 25 Septembris 1706, jam a Sanctissimo approbatum.

Re vero in S. R. C. ad relationem Eminentiss. et Reverendiss. D. Card. Barberini pluries discussa et mature perpensa, Sacra eadem Rituum Congregatio supradicta Decreta, tum ut Celebrantium instructioni et usui sint, tum ut nonnulli abusus, qui in aliquibus locis irrepserunt, penitus evellantur, in Missali post Rubricas generales apponi et imprimi posse censuit, si Sanctiss. D. Nostro visum fuerit. Die 15 Septembris 1714.

Factaque deinde per me Pro-Secretarium de prædictis Sanctiss. D. N. relatione, Sanctitas Sua sensum S. C. approbavit, eademque Decreta in Missali apponi et imprimi mandavit. Die 29 Septembris ejusdem anni 1714.

CARD. DE ABDUA, *Præfectus*.

Loco † Sigilli.

N. M. EPISC. TEDESCHI LIPARITANUS,
S. R. C. Pro-Secr.

SECTIO TERTIA.

DE RITUALI, CÆREMONIALI EPISCOPORUM

ET PONTIFICALI ROMANO.

SS. DOMINI NOSTRI BENEDICTI XIV

APOSTOLICÆ LITTERÆ

In forma Brevis de nova *Ritualis*, *Cæremonialis Episcoporum*, necnon et *Romani Pontificalis* editione.

BENEDICTUS PAPA XIV,

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

QUAM ardenti studio, incredibili sollicitudine, assidua cura, et indefesso, diuturnoque labore, adhibitis etiam, accitisque undequaque viris in Sacra Doctrina, disciplinaque Ecclesiastica versatis, æque ac de rerum Liturgicarum peritia peritissimis, sedulam operam navaverint, atque contenderint Prædecessores nostri Romani Pontifices, ut Rituale Romanum, Cæremoniale Venerabilium Fratrum Episcoporum, et Pontificale Romanum, sive emendatis erroribus, sive correctis inordinationibus, sive ablatis inutilibus, sive restitutis necessariis, ad eam tandem formam, normamque, juxta quam de præsenti usui sunt, maximo cum omnium virorum Ecclesiasticorum commodo et utilitate redigerentur; præstat in primis intelligere ex ipsis præsertim Apostolicis in simili forma Brevis litteris eorumdem Prædecessorum nostrorum qui post S. Pium

Papam V, felicis recordationis, Clemens VIII, Innocentius X, Paulus V, Urbanus VIII, et Benedictus XIII, ad gravissimum dignissimumque hujusmodi opus omnibus numeris adsolvendum sese pro viribus addiderunt.

Tenores autem memoratarum litterarum sunt, qui sequuntur. Ac primum quidem pro RITUALI ROMANO.

PAULUS PAPA V,

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Exordium.

APOSTOLICÆ Sedi per abundantiam divinæ gratiæ, nullis suffragantibus meritis, præpositi, nostræ sollicitudinis esse intelligimus, super universam domum Dei ita invigilando intendere, ut opportunis in dies magis rationibus provideatur, quo, sicut admonet Apostolus, omnia in ea honeste, et secundum ordinem fiant, præcipue vero quæ pertinent ad Ecclesiæ Dei Sacramentorum administrationem, in qua religiose observari Apostolicis traditionibus, et SS. Patrum decretis constitutos Ritus et Cæremonias pro nostri officii debito curare omnino tenemur.

Pius V Breviarium et Missale reformavit.

Quamobrem fel. rec. Pius Papa V, Prædecessor noster, hujus nostri tunc sui officii memor, ad restituendam sacrorum Rituum observationem in sacrosancto Missæ Sacrificio, divinoque Officio, et simul ut catholica Ecclesia in Fidei unitate, ac sub uno visibili capite B. Petri successore Romano Pontifice congregata, unum psallendi et orandi ordinem, quantum cum Domino poterit, teneret, Breviarium primum, et deinde Missale Romanum,

multo studio et diligentia elaborata, pastorali providentia edenda censuit.

Clemens VIII, Pontificale, et Cæremoniale pro Episcopis et Prælatis restitutum edidit.

Cujus vestigia eodem sapientiæ spiritus secutus similis memoriæ Clemens Papa VIII, etiam Prædecessor noster, non solum Episcopis et inferioribus Ecclesiæ Prælatis accurate restitutum Pontificale dedit, sed etiam complures alias in Cathedralibus et inferioribus Ecclesiis Cæremonias promulgato Cæremoniali ordinavit.

Hic modo Pontif. Rituale Rom. prævio diligenti examinatione edi, et servari mandat.

His ita constitutis, restabat, ut uno etiam volumine comprehensi, sacri et sinceri Catholicæ Ecclesiæ Ritus, qui in Sacramentorum administratione, aliisque Ecclesiasticis functionibus servari debent, ab iis qui curam animarum gerunt, Apostolicæ Sedis auctoritate prodirent, ad cujus voluminis præscriptum, in tanta Ritualium multitudine, sua illi ministeria tamquam ad publicam et obsignatam normam peragerent, unoque ac fideli ductu inoffenso pede ambularent cum consensu. Quod quidem jampridem agitatum negotium, postquam generalium Conciliorum græce latineque divina gratia editorum opus morari desivit, sollicite urgere nostri muneris esse existimavimus. Ut autem recte; et ordine, ut par erat,,res ageretur, nonnullis ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus pietate, doctrina et prudentia præstantibus, eam demandavimus, qui cum consilio eruditorum virorum, variisque præsertim antiquis, et quæ circumferuntur, Ritualibus consultis, eoque in primis, quod vir singulari pietatis zelo et doctrina clarus bonæ memoriæ Julius Antonius S. R. E. Cardin. S. Severinæ nuncupatus, longo studio, multaque industria et labore plenissimum com-

posuerat, rebusque omnibus mature consideratis, demum divina aspirante clementia, quanta oportuit brevitate, Rituale confecerunt. In quo cum receptos et approbatos catholicæ Ecclesiæ Ritus suo ordine digestos conspexerimus, illud sub nomine Ritualis Romani merito edendum publico Ecclesiæ Dei bono judicavimus.

Prælatos, et alios ut in sacris functionibus eo utantur hortatur.

Quapropter hortamur in Domino Venerabiles Fratres Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos, et dilectos filios eorum Vicarios, necnon Abbates, Parochos universos, ubique locorum existentes, et alios ad quos spectat, ut in posterum tamquam Ecclesiæ Romanæ filii, ejusdem Ecclesiæ omnium matris et magistræ auctoritate constituto Rituali in sacris functionibus utantur, et in re tanti momenti, quæ catholica Ecclesia, et ab ea probatus usus antiquitatis statuit, inviolate observent.

Dat. Die 17 Junii 1614, An. X.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 17 Junii MDCXIV, Pontificatus nostri anno X.

S. Cobellutius.

Sequitur vero pro Cæremoniali Episcoporum.

CLEMENS PAPA VIII,

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Hic Pontifex Pontificale reformatum edidit.

Cum novissime Pontificale Romanum, antea mendosum et corruptum, a piis et eruditis viris emendari, et restitui, et demum ad Epi-

scoporum et aliorum Ecclesiarum Prælatorum communem usum et commoditatem divulgari, et in universali Ecclesia ab omnibus observari mandaverimus; operæ pretium visum fuit, Cæremoniale Episcoporum omnibus Ecclesiis, præcipue autem Metropolitanis, Cathedralibus, et Collegiatis perutile ac necessarium, in quo Ritus et Cæremoniæ celebrandi Missas, Vesperas, et alia divina Officia, ac in aliis Ecclesiæ functionibus et actibus, ab eisdem Episcopis, ac aliis Prælatis inferioribus in eisdem observandæ, ac modus etiam præcedendi tam inter personas ipsas Ecclesiasticas, quam etiam inter eas et laicos, similiter servandus continentur, quodque pridem multis mendis respersum fuerat, similiter reformari et restitui curaremus. Eapropter id ipsum Cæremoniale Episcoporum a nonnullis piis ac eruditis, in hisque sacris Ritibus et Cæremoniis apprime versatis viris examinari, corrigi, et in optimam ipsique Pontificali reformato maxime congruentem formam redigi mandavimus. Quod opus cum ea, qua decuit fide et diligentia, jam absolutum fuisse accepimus. Porro reliquum est, ut hujus operis labor eum, ad quem directus est, finem consequatur.

Cæremoniale postea Episcoporum reformari curavit.

Idcirco Cæremoniale Episcoporum hujusmodi jussu nostro emendatum et reformatum motu proprio, et ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine perpetuo approbantes, illudque in universali Ecclesia ab omnibus, et singulis personis, ad quas spectat et in futurum spectabit, perpetuo observandum esse præcipimus et mandamus.

Illudque servari præcipit.

Ac Cæremoniale hujusmodi sic emendatum et

Et immutari vetat.

reformatum nullo unquam tempore in toto vel in parte mutari, vel ei aliquid addi, aut omnino detrahi posse.

Nec aliter debitis cæremoniis satis fieri decernit.

Ac quascumque personas prædictas, quæ sacerdotalia munera exercere, aut alia quæcumque in ipso Cæremoniali contenta facere aut exsequi debent, ad ea peragenda et præstanda juxta hujus Cæremonialis formam et præscriptum teneri, neminemque ex iis, quibus ea exercendi et faciendi munus impositum existit, nisi formulis, quæ hoc Cæremoniali continentur, servatis, satisfacere posse, perpetuo statuimus et ordinamus.

Antiqua Cæremonialia huic novo non contraria permittit.

Per præsentes autem antiqua Cæremonialia in his, quæ prædicto Cæremoniali reformato sunt conformia, minime aboleri aut abrogata censeri volumus, sed illorum usum (salva reformatione prædicta) permittimus.

Clausulas derogatorias apponit.

Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac etiam in Provincialibus et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus, necnon quarumvis Ecclesiarum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Tempus, quo hæc observanda declarat.

Volumus autem, et pari motu, et auctoritate decernimus, ut qui in Romana Curia sunt præsentes, lapsis duobus mensibus, qui vero intra montes, octo, et qui ultra ubique locorum degunt, duodecim integre excursis, vel alias ubi venalium hujus Cæremonialis voluminum notitiam et facultatem habuerint, sacras Cæremonias et Ritus in eodem Cæremoniali præscriptos, juxta illius modum et normam in quibuscum-

que actibus exercere et observare teneantur.

Ipsarum autem litterarum exempla, manu Notarii publici, et sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, aut illius Curiæ obsignata, vel in ipsis voluminibus absque prædicto, vel alio quopiam adminiculo Romæ impressa, eam ubique locorum et gentium fidem faciant, quam præsentes facerent, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Exemplis credi jubet.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die XIV Julii MDC, Pontificatus nostri anno nono.

Dat. die 14 Julii 1600, An. IX.

M. VESTRIUS BARBIANUS.

DEINDE INNOCENTIUS PAPA X,

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Etsi alias fel. rec. Clemens Papa VIII, Prædecessor noster, Cæremoniale Episcoporum, omnibus Ecclesiis, præcipue autem Metropolitanis, Cathedralibus et Collegiatis perutile ac necessarium, in quo Ritus et Cæremoniæ celebrandi divina Officia, ac in aliis Ecclesiæ functionibus et actionibus ab iisdem Episcopis aliisque Prælatis inferioribus observandæ, ac modus etiam præcedendi tam inter personas ipsas Ecclesiasticas, quam etiam inter eas et laicos, similiter servandus, continentur, multis antea mendis refertum, corrigi et restitui curaverit; attamen successu temporis compertum est plurimos errores et menda in idem Cæremoniale, sive diuturnitatis injuria, sive Typographorum

Exordium.

incuria, aliave de causa irrepsisse, illudque proinde iterata emendatione indigere.

Cæremoniale, de quo in rubr. corrigi et emendari mandat summus Pontifex.

Eapropter Nos pro Pastorali nostra sollicitudine id ipsum Cæremoniale Episcoporum a nonnullis Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, aliisque piis et eruditis, sacrorumque Rituum et Cæremoniarum apprime peritis viris corrigi et emendari mandavimus. Quod cum ab illis accuratissime præstitum fuisse acceperimus, idcirco ne tam utilis Ecclesiæ Catholicæ hac in re Cardinalium, et aliorum prædictorum labor optato frustretur effectu.

Sicque, recognitum, et emendatum confirmat, et approbat.

Motu proprio, ac ex certa scientia nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Cæremoniale Episcoporum hujusmodi jussu nostro, ut præmittitur, recognitum et emendatum perpetuo confirmamus et approbamus, illudque in universali Ecclesia ab omnibus, et singulis personis, ad quas spectat et in futurum spectabit, perpetuo observandum esse præcipimus et mandamus; ac Cæremoniale hujusmodi sic emendatum nullo unquam tempore in toto vel in parte mutari, vel ei aliquid addi, aut omnino detrahi posse, ac quascumque personas præfatas, quæ Sacerdotalia munera exercere, aut alia quæcumque in ipso Cæremoniali contenta facere aut exsequi debent, ad ea peragenda et præstanda juxta hujus Cæremonialis formam et præscriptum teneri, neminemque ex iis, quibus ea exercendi et faciendi munus impositum existit, nisi formulis, quæ hoc Cæremoniali continentur, servatis, satisfacere posse, perpetuo statuimus et ordinamus. Per præsentes autem antiqua Cæremonialia in his, quæ

præfato Cæremoniali emendato sunt conformia, minime aboleri aut abrogata censeri volumus; sed illorum etiam usum (salva emendatione prædicta) permittimus.

Contraria tollit.

Non obstantibus præmissis ac Apostolicis, etiam in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, necnon quarumvis Ecclesiarum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris Apostolicis, quibusvis Ecclesiis et personis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes ad præmissorum effectum specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Prædicti Cæremonialis usum injungit.

Volumus autem, et pari motu, et auctoritate decernimus, ut qui in Romana Curia sunt præsentes, lapsis duobus, qui vero intra montes, octo, qui ultra ubique locorum degunt, duodecim mensibus integre excursis, vel alias, ubi venalium hujus Cæremonialis voluminum notitiam et facultatem habuerint, sacras Cæremonias et Ritus in eodem Cæremoniali præscriptos juxta illius modum et normam in quibuscumque actibus exercere et observare teneantur.

Transumptis fidem haberi mandat.

Quodque earumdem præsentium litterarum exemplis manu Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, aut illius Curiæ, munitis, vel in ipsis voluminibus absque præfato, vel alio quopiam adminiculo Romæ impressis, eadem ubique lo-

corum et gentium fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. die 30 Julii 1650, An VI.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die XXX Julii MDCL, Pontificatus nostri anno sexto.

M. A. MARALDUS.

DEMUM BENEDICTUS PAPA XIII,

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Cæremoniale vetus innumeris scatebat erroribus.

LICET alias fel. rec. Clemens VIII ac subinde Innocentius X, Romani Pontifices Prædecessores nostri, Cæremoniale Episcoporum edendum atque a mendis expurgandum curaverint, processu tamen temporis compertum est novos errores non minus Typographorum imperitia, quam aliorum culpa et negligentia in illud irrepsisse, ac proinde Nos, qui in minoribus constituti, per annos quinquaginta Episcopi ac Metropolitæ munere et dignitate perfuncti sumus, cum nihil antiquius habuerimus, quam ut sacros Ritus et Cæremonias secundum antiquam ac laudabilem Romanæ Ecclesiæ disciplinam adamussim perageremus, diuturno eorum usu ac studio animadvertimus utile ac necessarium maxime futurum, si rursus idem Cæremoniale novis curis recognitum ederetur, obscura quædam in eo et ambigua illustrarentur, corrupta alia et depravata emendarentur, nonnulla præterea inter se pugnantia et contraria conciliarentur, aliaque demum hactenus prætermissa suis locis opportune adderentur.

Cæremoniale prædictum ab ipsomet Pontifice emendatum.

Ubi primum igitur ad summi Apostolatus fastigium, licet immeriti, et obluctantes evecti fuimus, in hanc etiam sollicitudinem cogitationes nostras direximus, Nosque ipsi hoc opus aggressi, illud, nonnullis etiam adhibitis piis ac eruditis viris, sacrorumque Rituum apprime peritis, qui operam suam in ipso Cæremoniali emendando ac restituendo Nobis contulerunt, benedicente Domino perfecimus. Itaque ne tam utilis Ecclesiæ Catholicæ hac in re labor suo frustretur effectu, motu proprio ac ex certa scientia nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Cæremoniale Episcoporum hujusmodi a Nobis, ut præmittitur, recognitum et emendatum, perpetuo confirmamus et approbamus, illudque in universali Ecclesia ab omnibus et singulis personis, ad quas spectat et in futurum spectabit, perpetuo observandum esse, in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus et mandamus; ac Cæremoniale hujusmodi sic emendatum, nullo unquam tempore, in toto vel in parte mutari, vel ei aliquid addi aut omnino detrahi posse, ac quascumque personas præfatas, quæ Pontificalia et Sacerdotalia munera exercere, aut alia quæcumque in ipso Cæremoniali contenta, facere aut exsequi debent, ad ea peragenda et præstanda, juxta hujus Cæremonialis formam et præscriptum teneri, neminemque ex iis, quibus ea exercendi et faciendi munus impositum existit, nisi formulis, quæ hoc Cæremoniali continentur, servatis, satisfacere posse, perpetuo statuimus et ordinamus. Per præsentes autem antiqua Cæremonialia in his, quæ præfato Cæremoniali emendato sunt conformia, minime aboleri, aut abrogata censeri

Cæremoniale præfatum sic emendatum comprobat, et observandum esse præcipit.

volumus; sed illorum etiam usum (salva emendatione prædicta) permittimus.

Clausulæ derogatoriæ.

Non obstantibus præmissis ac Apostolicis, et in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, necnon quarumvis Ecclesiarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris Apostolicis, quibusvis Ecclesiis et personis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus et singulis, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, ad præmissorum effectum specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda hujus constitutionis exemplis.

Volumus autem, et pari motu, et auctoritate decernimus, ut qui in Romana Curia sunt præsentes, lapsis duobus, qui vero circa montes, octo, et qui ultra ubique locorum degunt, duodecim mensibus integre excursis, vel alias ubi venalium hujus Cæremonialis voluminum notitiam et facultatem habuerint, sacras Cæremonias et Ritus in eodem Cæremoniali præscriptos, juxta illius modum et normam, in quibuscumque actibus exercere et observare teneantur. Quodque earumdem præsentium litterarum exemplis manu Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, aut illius Curiæ, munitis, vel in ipsis voluminibus absque præfato, vel alio quopiam adminiculo Romæ impressis, eadem ubique locorum et gentium fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die VII martii MDCCXXVII, Pontificatus nostri anno tertio.

Dat. 7 Mart. 1727, An. III.

Pro E. Cardinale Oliverio,

CAROLUS,
Archiep. Emissenus.

ITEM PRO PONTIFICALI ROMANO.

CLEMENS PAPA VIII,

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Exordium.

Ex quo in Ecclesia Dei multa, tum a sacris Conciliis, tum a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, ad Dei gloriam augendam, et ad Catholicæ fidei unitatem ubique retinendam, pie ac sapienter instituta sunt, nihil magis iidem Pontifices Prædecessores nostri curandum sibi esse statuerunt, quam ut communes Ecclesiastici muneris rationes ad propriam normam, servata antiquitatis auctoritate, revocarent.

Pius V Breviarium, et Missale restituit.

Hac sollicitudine impulsus fel. rec. Pius Papa V, Prædecessor noster, formulam primum psallendi Horas Canonicas et celebrandi Missas, varie prius constitutam, et a nonnullis Prædecessoribus nostris restitui et instaurari cœptam, ad unam pariter formam, Romano Breviario ac Missali propterea summo studio ac diligentia edito, redigendam curavit. Atque hoc sane consilio alii Romani Pontifices, qui eumdem Pium præcesserunt, Pontificales etiam cæremonias ac ritus, quibus ejusdem Catholicæ Ecclesiæ Præsules in suorum munerum functione uterentur,

Alii Pontif. Pontificale ediderunt.

certis similiter forma et modo præfinitis, in Romanum Pontificale retulerunt.

Sed postea ejus immutata forma.

Cæterum, quia eædem Cæremoniarum ac Rituum formulæ ibi expressæ postea, sive diuturnitatis injuria, sive Typographorum negligentia, sive alia de causa, in ipso Pontificali partim immutatæ, partim corruptæ, veteris instituti atque auctoritatis gratiam magna ex parte amiserant; idcirco necessaria res visa est, ut eædem formulæ in sacris Præsulum Ecclesiasticorum muneribus servandæ, recuperato prioris integritatis statu omnino restituerentur, et ab omnibus præscripta forma aliqua ratione observarentur.

Clemens itaque emendari, emendatumque edi, et divulgari jussit.

Nos igitur ad summum Apostolatus apicem, meritis licet imparibus, evecti, prædictorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, omni cura et sollicitudine adnitendum Nobis esse duximus, ut errores, qui quidem nec pauci, nec leves in idem Pontificale, depravatis passim locis, irrepserant, quam accuratissime tollerentur.

Idem enim Pontificale corrupti et mendosi voluminis speciem adeo præseferebat, ut (multis dictionibus, hinc inde partim in unam contractis, partim una in plures distincta, partis iisdem male ac perperam collocatis et trajectis, partim denique ipso orationis sensu mutato) dubium esset, quibus tandem officiis, vel laudibus iidem Ecclesiæ Præsules divinum Numen prosequerentur; prætcrquamquod in rubricis etiam sparsim turbata ordinis serie dispositis, tanta erat varietas et obscuritas, ut multis in locis rectene se haberent, opinione magis, quam judicio esset statuendum.

Hanc ergo ad rem, tam cum Ecclesiæ cultu officioque nostro conjunctam, tamque eorum, qui pro impositi oneris dèbito sacris Ecclesiæ muneribus vacare debent, concordiæ et unitati congruentem examinandam et absolvendam, piis quibusdam atque insignibus viris, diu multumque in Pontificalibus cæremoniis et ritibus versatis, negotium dedimus, dictum Pontificale undequaque corrigendi et restituendi, necnon quæcumque ad exactam illius editionem spectare viderentur, perquirendi et præstandi.

Cumque apud eos paterna hortatione ad hoc opus maturandum quotidie fere uteremur, re tòta tandem ad Nos perlata, et in hanc quæ nunc editur, formam redacta, singulari Dei benignitate (neque enim aliter accipimus) Pontificale Romanum tandem restitutum et absolutum est, atque ita ex omni parte dispositum (quod ii etiam, qui negotio ac muneri huic præfuere, confirmarunt) ut nihil ab antiquis Pontificalium codicibus, qui tum in clarioribus Urbis Ecclesiis, tum in nostra Vaticana Bibliotheca, ac denique in quibusdam aliis insignibus locis asservantur, alienum aut discrepans irrepserit.

Ad quam operam in vetustis libris inter se conferendis, strenue ac fideliter navatam, id commodi quoque accessit, quod ii, qui ea in re industriam collocarunt, ex gravissimis scriptoribus eos demum auctores, qui omnium probatissimi haberentur, secuti fuerint, quodque ambiguis omnibus ac dubiis rebus prætermissis, eas duntaxat, quæ essent in veteris Pontificalis volumine comprehensæ, delegerint, iis tamen exceptis, quæ ad Romanum Pontificem at-

tinebant, quod nimirum in Cæremoniali Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sunt expressæ.

Ex rubricis vero multis detractis, quæ exactiore methodo in librum Cæremoniarum Episcoporum sunt relata, plerisque etiam, uti necessitatis ratio postulabat, adjectis, et præterea non paucis quibusdam in melius commutatis, clariusque expositis, ac denique cantu plano in aptiorem modulationis formam (permultis syllabis, pro temporum natura, ubi ratio eas produci et corripi postulabat, contra quam prius in antiquo Pontificali expressum erat, magis apposite extensis, vel contractis) a viris ejus rei peritis, ad hoc jussu nostro delectis diligenter redacto, opus jam absolutum probavimus, et Romæ edi, editumque divulgari mandavimus.

Et modo observari præcipit, aliisque quemquam uti posse prohibet.

Ut autem ipsius operis labor finem eum, ob quem es susceptus, sortiatur, utque posthac in omnibus et singulis Ecclesiis uno eodemque modo cæremoniæ et ritus Pontificales observentur; motu proprio, et ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine omnia et singula Pontificalia in hunc usque diem in quibuscumque terrarum orbis partibus impressa et approbata, et quibusvis privilegiis Apostolicis munita, et decretis ac clausulis roborata, per præsentes supprimimus, et abolemus, eorumque usum in posterum universis Ecclesiis, Monasteriis, Conventibus, Militiis, Ordinibus, et locis, atque etiam omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, et aliis Ecclesiarum Prælatis, cæterisque omnibus et singulis Personis Ecclesiasticis, sæcularibus, et regularibus utriusque sexus interdicimus et prohibemus; et hoc nostrum Pontificale sic restitutum

et reformatum in omnibus universi terrarum orbis Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus, et locis etiam exemptis, si quæ sunt, recipi et observari præcipimus.

Immutari vetat.

Statuentes, Pontificale prædictum nullo unquam tempore in toto, vel in parte mutandum, vel ei aliquid addendum, aut omnino detrahendum esse ac quascumque personas, quæ Pontificalia munera exercere, vel alias quæ in dicto Pontificali continentur, facere aut exequi debent, ad ea peragenda et præstanda, ex hujus Pontificalis præscripto et ratione, teneri, neminemque ex iis, quibus ea exercendi, et faciendi munus impositum est, nisi formulis, quæ hoc ipso Pontificali continentur, servatis satisfacere posse.

Introductionem demandat.

Omnibus igitur et singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, et cæteris Ecclesiarum Prælatis, necnon aliis quibuscumque Personis Ecclesiasticis, sæcularibus et regularibus utriusque sexus ad quas id spectat, præcipimus ac mandamus, ut omissis, quæ sic suppressimus et abolevimus, cæteris omnibus Pontificalibus, hoc nostrum in suis Ecclesiis, Monasteriis, Conventibus, Ordinibus, Militiis, Diœcesibus, et locis prædictis recipiant, illoque posthac perpetuo utantur. Cæterum ut præsentes litteræ omnibus plenius innotescant, mandamus illas ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, et Cancellariæ Apostolicæ et in acie Campi Floræ publicari, earumque exemplar de more affigi.

Et ubique locorum recipi mandat.

Volumusque præterea, et motu atque auctoritate similibus decernimus, ut qui in Romana Curia sunt præsentes, lapsis duobus mensibus;

qui vero intra montes, octo; et qui ultrà ubique locorum degunt, duodecim integre excursis, vel alias ubi venalium hujus Pontificalis voluminum notitiam et facultatem habuerint, sacras cæremonias et ritus in eodem Pontificali præscriptos, juxta illius modum et normam, in quibuscumque actibus exercere, et observare teneantur.

Exemplis credi jubet.

Ipsarum autem litterarum exempla, manu Notarii publici, et sigillo alicujus Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ, aut illius Curiæ obsignata, vel in ipsis voluminibus, absque prædicto, vel alio quopiam adminiculo Romæ impressa; eam ubique locorum et gentium fidem faciant, quam præsentes facerent si essent exhibitæ, vel ostensæ.

D. R. Anno V. 10 Februarii 1596.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die X Februarii MDXCVI, Pontificatus nostri anno quinto.

M. VESTRIUS BARBIANUS.

AC LAUDATUS URBANUS PAPA VIII,

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

QUAMVIS alias fel. recor. Clemens Papa Octavus Prædecessor noster, Pontificale Romanum tunc multis et non levibus erroribus scatens, piorum atque insignium virorum in Pontificalibus cæremoniis et ritibus versatorum opera undequaque corrigi et restitui curaverit : attamen successu temporis compertum est, plurimos errores denuo in Pontificale hujusmodi Typographorum inscitia, seu incuria, aliave de causa irrepsisse.

Unde curæ nostræ Pastoralis esse rati sumus, ad novam

ejusdem Pontificalis, quod Cæremoniarum et rituum quibus catholici Antistites in suorum munerum functione uti debent, norma existit, correctionem animum appellere. Idcirco, ut idem Pontificale denuo typis quam emendatissime auctoritate nostra ederetur, emendationem errorum, qui in illud, ut præfertur, irrepserunt, nonnullis Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, et aliis viris doctrina et pietate conspicuis, Pontificalium Cæremoniarum et rituum peritis, commisimus, quorum opera cum Pontificale prædictum ab omnibus, quibus scatebat, mendis et erroribus accuratissime repurgatum fuerit. Nos, ne tam exacta Cardinalium, et aliorum prædictorum hac in re industria et diligentia optato frustretur effectu, mandavimus dilecto filio Andreæ Brogiotto, Typographiæ nostræ Apostolicæ præfecto, procurationem emendati Pontificalis hujusmodi elegantibus typis, et insigni forma in lucem edendi : quod exemplar, qui posthac Pontificale Romanum impresserint, sequi omnes teneantur.

Extra Urbem vero nemini licere volumus idem Pontificale in posterum typis excudere, aut evulgare, nisi facultate in scriptis accepta ab Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, siquidem inibi fuerint; sin minus, ab locorum Ordinariis.

Quod si quis quacumque forma contra præscriptum hoc Pontificale Romanum, aut Typographus impresserit, aut noviter impressum Bibliopola vendiderit, extra ditionem nostram Ecclesiasticam excommunicationis latæ sententiæ pœna subjaceant, a qua, nisi a Romano Pontifice (præterquam in mortis articulo constituti) absolvi nequeant; in alma vero Urbe, ac reliquo Statu Ecclesiastico commorantes, quingentorum ducatorum auri de Camera ac amissionis librorum et Typorum omnium eidem Cameræ applicandorum pœnas, absque alia declaratione, irremissibiliter incurrant; et nihilominus Pontificalia sine prædicta facultate impressa aut evulgata, eo ipso prohibita censeantur.

Inquisitores vero, locorumque Ordinarii facultatem hujusmodi non prius concedant, quam Pontificale tam ante, quam post impressionem cum hoc ipso exemplari auctoritate nostra vulgato diligenter contulerint, et nihil in iis additum detractumque cognoverint : in ipsa autem facultate, cujus exemplum in fine, aut initio cujuscumque Pontificalis impressum semper addatur, mentionem manu propria faciant absolute hujusmodi collationis, repertæque inter utrumque Pontificale conformationis, sub pœna Inquisitoribus privationis suorum officiorum, ac inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda; Ordinariis vero locorum, suspensionis a Divinis, ac interdicti ab ingressu Ecclesiæ; eorum vero Vicariis privationis officiorum et beneficiorum suorum, et inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda, necnon excommunicationis absque alia declaratione incurrendæ. Injungimus autem Nuntiis nostris ubique locorum degentibus, ut huic negotio diligenter invigilent, cunctaque ad præscriptum hujus voluntatis nostræ confici curent.

Non obstantibus licentiis, indultis, et privilegiis Pontificalia imprimendi quibuscumque Typographis per Nos, seu Romanos Pontifices Prædecessores nostros hucusque concessis, quæ per præsentes expresse revocamus, et revocata esse volumus; necnon constitutionibus, et ordinationibus generalibus et specialibus in contrarium præmissorum quomodocumque editis, confirmatis, et approbatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et expressa mentio habenda esset, tenores hujusmodi præsentibus pro expressis habentes, hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem ut præsentium litterarum nostrarum exemplaribus, etiam in ipsis Pontificalibus impressis, vel manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis,

eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XVII Junii MDCXLIV, Pontificatus nostri anno vigesimo primo.

M. A. MARALDUS.

Quoniam autem Nos pro paterna charitate vehementer cupientes, ut Christi fidelibus in articulo mortis constitutis, quoad fieri posset, universis Apostolica Benedictio nostro nomine impertiretur, et Plenaria omnium peccatorum suorum Indulgentia elargiretur, per alias nostras sub plumbo litteras anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLVII, nonis Aprilis, Pontificatus nostri anno septimo datas omnibus Ecclesiarum Antistitibus hujusmodi facultatem sub certis modo et forma expressam tribuimus, atque insimul formulam Benedictionis et Indulgentiæ hujusmodi dandæ præscripsimus; quemadmodum Encyclicam etiam nostram Epistolam die XIX mensis Martii anno MDCCXLIV, ad dilectos filios Generales Ordinum Regularium, quibus a Sancta Sede indulta vel indulgenda erat facultas Pontificiam Benedictionem effundendi super populum statis diebus, scripseramus super modo et ritu, quibus prædicta Benedictio danda est.

Præterea ad nonnullas lites et controversias exortas e medio tollendas itidem per alias nostras in simili forma Brevis litteras confirmaveramus leges et instituta super Cæremonialia jussu nostro edita pro Provinciarum Præsidibus, Gubernatoribus, Prælatis, et Apostolicis Vice-Legatis, quæ sunt tenoris sequentis :

BENEDICTUS PAPA XIV,

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Honores ab Antistibus, et Præsulibus invicem deferendi a Romanis Pontificibus præscripti.

Quod Apostolus universis Christi fidelibus consulebat, ut inter cætera officia sibi pariter exhibenda honore etiam sese invicem prævenirent, et honorem tamquam debitum, cui deferendus esset honor, redderent ; id maxime ab Antistitibus et Præsulibus vicissim inter sese in mutua tam civilium quam sacrorum Officiorum exhibitione præstandum esse intelligentes Romani Pontifices Prædecessores nostri, per Cæremoniale Episcoporum juxta uniuscujusque Ordinis, gradus et dignitatis conditionem, Leges et Statuta, quibus integerrime servatis, et unicuique ratio haberetur, et nemini inferretur præjudicium, sapientissime præscripserunt.

Abusus ea in re oborti.

Quoniam autem quosdam abusus in honoribus sibi invicem deferendis inter Venerabiles Fratres Archiepiscopos et Episcopos ex una, et inter dilectos filios Provinciarum Status nostri Ecclesiastici Præsides, Gubernatores Prælatos, et Apostolicos Vice-Legatos ex altera parte, quocumque pacto, ac tempore etiam immemorabili irrepsisse jam dudum, etiam dum in minoribus essemus, noveramus, ut eosdem penitus adimeremus, ne ullus unquam in posterum querelis ac dissidiis inter utrosque forsan oborientibus pateat aditus, nonnullis ex Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui Congregationibus Sacrorum

Quos Pontifex tollere intendit.

Rituum et Cæremoniarum præpositi sunt, negotium dedimus, ut Leges et Instituta Cæremonialia pro corrigendis, et auferendis iisdem abusibus opportuna et salutaria conderent.

Decreta a congregatione particulari super eo edita, approbantur, et confirmantur.

Hujusmodi vero Leges et Instituta Cæremonialia ab iisdem Cardinalibus præscripta, et a Nobis inspecta cum probassemus, quo firmius subsistant et serventur exactius, tenore præsentium, Apostolica auctoritate approbamus et confirmamus, atque ab omnibus et singulis, ad quos spectat et in futurum spectabit, perpetuo observanda esse statuimus, præcipimus et mandamus.

Clausulæ salutares.

Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super iis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibuscumque in contrarium præmissorum quomodolibet facientibus.

Decretum irritans.

Derogatio contrariis.

Volumus autem ut, earumdem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio quam extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Exemplorum fides.

Dat. die 15 Maii 1741, Anno I.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die XV Maii MDCCXLI, Pontificatus nostri anno primo.

D. Cardinalis PASSIONEUS.

DECRETUM.

CUM Sanctissimus Dominus noster BENEDICTUS PAPA XIV, ex Cardinalibus, qui Congregationi Sacrorum Rituum et Cæremoniali præpositi sunt, quatuor selegisset Eminentissimos, nempe Rufum Sacri Collegii Decanum, Lercarium, Accorambonum, et de Gentilibus, ut ab eisdem uniforme statueretur Cæremoniale, a Provinciarum Præsidibus, Gubernatoribus Prælatis et Vice-Legatis in suis respective Provinciis, vel Civitatibus, Sanctitate Sua prius approbante, posthac perpetuo et inconcusse observandum; ipsi Eminentissimi Patres pluribus idcirco præhabitis sessionibus, hæc, quæ sequuntur, mihi peculiaris hujus Congregationis Secretario, Sanctitati Suæ referenda demandarunt.

Factaque per me de infrascriptis omnibus Sanctitati Suæ relatione, Sanctissimus non tantum ea approbavit, verum etiam pro omnimoda illorum observantia publicari mandavit.

Hac die 18 Aprilis 1741.

T. Card. RUFUS, *Episc. Ostiens. et Veliternen.*

Loco † Sigilli.

Ignatius REALI, *Secretarius.*

Insuper Formulam itidem Benedictionis et Traditionis Pallii, ac jurisjurandi a Procuratoribus absentium Archi-

episcoporum, antequam a dilecto Filio nostro S. R. E. Cardinali Diacono idem Pallium accipiant, ipsorum Archiepiscoporum nomine præstandi, per nostram Constitutionem die XII mensis Augusti anno MDCCXLVIII, sub plumbo expeditam statuimus.

Porro accedit ad hæc methodus quoque Scholæ Sacrorum Rituum in Gregoriano Collegio Romano hujus almæ Urbis nostræ, Nobis approbantibus, institutæ, non sine uberi per hoc tempus in Sacris Ritibus addiscendis profectu, aliarumque ad instar ejusdem Scholæ, alibi jam erectarum vel erigendarum, quæ methodus multis in libris, et præcipue in decimo Operum nostrorum volumine Romanæ editionis reperitur inserta, plurimumque a Nobis commendatur, eamque plurimum studiosis Sacrorum Rituum prodesse compertum est.

Eapropter cum Nobis a quamplurimis supplicatum fuerit ut typis iterum reimprimendi Rituale Romanum, Cæremoniale Episcoporum et Pontificale Romanum hujusmodi, et non solum in iisdem antedicta omnia a Nobis statuta addendi, verum etiam nostro jussu in lucem emittendi, licentiam de Apostolica benignitate et auctoritate concedere et indulgere dignaremur: Nos itaque probe scientes, et experientia edocti quantum prosit ut in uno volumine simul collecta ad manum sint ea omnia, quæ sparsim ac divisim impressa inveniuntur, et considerantes quantam hujusmodi collectio utilitatem memoratæ Scholæ Liturgicæ in Collegio Societatis Jesu ejusdem almæ Urbis nostræ a Nobis institutæ, aliisque ubique locorum erectis afferre possit; Apostolica auctoritate tenore præsentium communibus tot insignium Virorum ac Præsulum votis et supplicationibus benigne annuentes, facultatem tribuimus et impertimur ut Rituale Romanum, Cæremoniale Episcoporum ac Pontificale Romanum sub iisdem modo et forma, quibus de præsenti impressa reperiuntur et usui sunt, una simul cum omnibus et singulis quæ, ut superius

relatum est, a Nobis præscripta, ordinata et publici etiam juris facta sunt, necnon cum sæpe dicta methodo Scholæ Sacrorum Rituum in Operibus nostris jam editis inserta jussu nostro, non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus, typis reimprimantur, et in lucem emittantur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die XXV Martii anno MDCCLII, Pontificatus nostri anno duodecimo.

CAJETANUS AMATUS.

PARS SECUNDA.

DE COMPUTO ECCLESIASTICO

JUXTA BREVIARIUM ET MISSALE ROMANUM.

DE ANNO ET EJUS PARTIBUS.

Annus menses habet duodecim, hebdomadas duas et quinquaginta, et diem unum; dies vero trecentos sexaginta quinque, et fere sex horas : tanto enim temporis intervallo Sol Zodiacum perlustrat. Quater autem sex horæ singulis quaternis annis diem constituunt; hinc annus ille intercalaris, Bissextus vel Bissextilis dicitur.

DE ANNI CORRECTIONE,

EJUSQUE NECESSITATE, AC KALENDARIO GREGORIANO.

Quod dictum est, Annum continere trecentos et sexaginta quinque dies, et fere sex horas, intelligendum est sex horas non esse integras; cum ad earum complementum aliqua minuta deficiant.

Ex quorum minutorum neglectu progressum est, ac si annus ultra dies 365 contineret integras sex horas; et factum est, ut minuta, quæ ultra debitam quantitatem annis singulis tribuebantur, tractu temporis ita excreverint, ut invicem juncta constituerint dies decem : qui causam dederunt, ut Æquinoctium vernum sedem suam mutaverit.

Cui malo occurrens Gregorius XIII, non solum Æquinoctium vernum restituit in pristinam sedem, a qua jam a Concilio Nicæno decem circiter diebus in anno correctionis

4.

1582 præcedendo recesserat, quod a Concilio ad xij Kalendas Aprilis fuerat constitutum, et xiv Lunam Paschalem suo in loco reposuit : sed viam quoque tradidit, et rationem qua cavetur ut in posterum et Æquinoctium vernum et xiv Luna Paschalis a propriis sedibus nunquam removerentur.

Ut enim Æquinoctium vernum ad xij Kalendas Aprilis restitueretur, statuit, ut dicti decem dies in mense Octobris ipsius anni 1582 eximerentur, ut post quartam diem Octobris S. Francisco sacram, sequens dies non esset quinta, sed decima quinta Octobris. Et ita error, qui in præteritum tot annorum circulis irrepserat, in momento temporis fuit correctus.

Ut autem in posterum idem error vitaretur, ne a xij Kalendas Aprilis Æquinoctium vernum recederet, statuit idem Gregorius Bissextum quarto quoque anno (uti mos est) continuari debere præterquam in centesimis annis; qui quamvis Bissextilis antea semper fuerint, qualem etiam esse voluit annum 1600, anno correctionis proximum; post eum tamen qui deinceps consequerentur, centesimi, non omnes Bissextiles essent, sed in quadringentis quibusque anni primi quique tres centesimi sine Bissexto transigerentur; quartus vero quisque centesimus esset Bissextilis, ita ut anni 1700, 1800, 1900, Bissextiles non sint, anno vero 2000 more consueto dies Bissextus intercaletur, Februario dies 29 continente; idemque ordo intermittendi intercalandique Bissextum diem in quadringentis quibusque annis perpetuo conservaretur.

QUATUOR TEMPORA.

Quatuor Tempora celebrantur quarta et sexta Feria, ac Sabbato post tertiam Dominicam Adventus, post primam Dominicam Quadragesimæ, post Dominicam Pentecostes, post Festum Exaltationis sanctæ Crucis.

NUPTIÆ

QUANDO CELEBRARI NON POSSINT

JUXTA DECRETUM CONCILII TRIDENTINI.

A Dominica prima Adventus usque in diem Epiphaniæ, et a Feria iv Cinerum usque in Oct. Paschatis inclusive, sancta Synodus solemnitates Nuptiarum prohibet. In aliis vero temporibus Nuptias solemniter celebrari permittit.

DE CYCLO DECENNOVENNALI

AUREI NUMERI.

Cyclus decennovennalis aurei numeri est revolutio numeri 19 annorum ab 1 usque ad 19, qua revolutione peracta, iterum ad unitatem reditur. Verbi gratia : Anno 1577, numerus Cycli decennovennalis, qui dicitur Aureus, est 1, anno sequenti 1578 est 2, et ita deinceps in sequentibus annis, uno semper amplius usque ad 19, qui Aureus numerus cadet in annum 1595, post quem iterum ad unitatem redeundum est, ita ut anno 1596 Aureus numerus sit rursus 1, et anno 1597, sit 2, etc.

Igitur ut Aureus numerus quolibet anno proposito inveniatur, composita est sequens tabella Aureorum numerum, cujus usus incipit ab anno correctionis 1582 inclusive, duratque in perpetuum. Ex ea enim Aureus numerus cujuslibet anni post annum 1582 reperietur hoc modo.

6.	7.	8.	9.	10.	11.	12.	13.	14.
15.	16.	17.	18.	19.	1.	2.	3.	4. 5.

Anno 1582 tribuatur primus numerus tabellæ, qui est 6, secundus autem qui est 7, sequenti anno 1583, et ita deinceps in infinitum, donec ad annum cujus Aureum numerum quæris, perveniatur, redeundo ad principium tabellæ, quotiescumque eam percurreris. Nam numerus, in quem

annus propositus cadit, dabit Aureum numerum quæsitum.

Modus brevis cognoscendi Aureum numerum cujusque anni.

Numero anni de quo quæris, adde unicam unitatem 1 : Exempli gratia : 1710 adde 1 : summam inde conflatam divide per 19; quod superest, erit Aureus numerus ipsius Anni; si nihil superest, erit Aureus nůmerus 19.

DE EPACTIS ET NOVILUNIIS.

Epacta nihil aliud est, quam numerus dierum, quibus annus Solaris communis dierum 365 annum communem Lunarem dierum 354 superat; ita ut Epacta primi anni sit 11, cum hoc numero annus Solaris communis Lunarem annum communem excedat; atque adeo seq. anno Novil. contingant 11 diebus prius, quam anno primo. Ex quo fit, Epactam secundi anni esse 22, cum eo anno rursum annus Solaris Lunarem annum superet 11 diebus, qui additi ad 11 dies primi anni, efficiunt 22, ac proinde finito hoc anno, Novilunia contingere 22 diebus prius quam primo anno : Epactam autem tertii anni esse 3, quia si rursus 11 dies, ad 22 adjiciantur, efficietur num. 33 a quo si rejiciantur 30 dies, qui unam Lunationem Embolismalem constituunt, relinquentur 3, atque ita deinceps. Progrediuntur enim Epactæ omnes per continuum augmentum 11 dierum, abjectis tamen 30, quando rejici possunt. Solum quando perventum erit ad ultimam Epactam Aureo numero 19 respondentem, quæ est 29, adduntur 12, ut abjectis 30, ex composito numero 41 habeatur rursus Epacta 11, ut in principio.

Quod ideo fit, ut ultima Lunatio Embolismica, currente Aureo numero 19, sit tantum 29 dierum. Si enim 30 dies contineret, ut aliæ sex Lunationes Embolismicæ, non redirent Novilunia post 19 annos Solares ad eosdem dies, sed versus calcem Mensium prolaberentur, contingerent-

que uno die tardius quam ante 19 annos. De qua re plura invenies in libro novæ rationis restituendi Kalendarii Romani. Sunt autem 19 Epactæ, quot et Aurei numeri, respondebantque ipsis Aureis numeris ante Kalendarii correctionem eo modo, quo in hac tabella dispositæ sunt.

Tabella Epactarum respondentium Aureis numeris ante Kalendarii correctionem.

Aurei numeri.	1	2	3	4	5	6	7
Epactæ.	xj	xxij	iij	xiv	xxv	vj	xvij
	8	9	10	11	12	13	
	xxviij	ix	xx	j	xij	xxiij	
	14	15	16	17	18	19	
	iv	xv	xxvj	vij	xviij	xxix	

Quia vero Cyclus decennovennalis Aurei numeri imperfectus est, cum Novilunia post 19 Annos Solares non præcise ad eadem loca redeant, ut dictum est, imperfectus etiam erit hic cyclus 19 Epactarum. Quamobrem ita emendatus est, ut in posterum loco Aurei numeri, et dictarum 19 Epactarum, utamur 30 Numeris Epactalibus, ab 1 usque ad 30 ordine progredientibus, quamvis ultima Epacta, sive quæ ordine est trigesima, notata numero non sit, sed signo hoc *, propterea quod nulla Epacta esse possit 30. Variis autem temporibus ex his 30 Epactis respondent decem et novem Aurei numeris variæ decem et novem Epactæ, prout Solaris anni ac Lunaris æquatio exposcit : quæ quidem decem et novem Epactæ progrediuntur, ut olim, per eumdem numerum 11, adduntur-que semper 12 illi Epactæ, quæ respondet Aureo numero 19, ut habeatur sequens Epacta respondens Aureo numero 1 ob rationem paulo ante dictam. Id quod sequens Tabella perspicuum faciet, quæ continet Aureos numeros et Epactas inter se respondentes ab anno corre-

ctionis 1582 post detractionem x dierum, usque ad annum 1700 exclusive. Quamvis autem vulgares Epactæ mutentur in Martio, re ipsa tamen in principio anni mutandæ sunt una cum Aureo numero, in cujus locum hæ nostræ Epactæ succedunt.

Tabella Epactarum respondentium Aureis numeris ab Idibus Octobris anni correctionis 1582 (*detractis prius decem diebus*), *usque ad annum* 1700 *exclusive.*

Aurei numeri.	6	7	8	9	10	11	
Epactæ.	xxvj	vij	xviij	xxix	x	xxj	
	12	13	14	15	16	17	
	ij	xiij	xxiv	v	xvj	xxvij	
	18	19	1	2	3	4	5
	viij	xix	j	xij	xxiij	iv	xv

Itaque si Epacta quocumque anno proposito invenienda sit, querendus est Aureus numerus illius anni in superiori ordine illius tabellæ, quæ illi tempori, in quo propositus annus continetur, congruit. Mox enim sub Aureo numero in inferiori ordine tabellæ reperietur Epacta anni propositi, vel certe hoc signum *. Ubi ergo illa Epacta vel signum * in Kalendario inventum fuerit, eo die Novilunium fiet. Invenietur autem Aureus numerus vel ex antecedente Canone, vel ex Tabella Epactarum proposito tempori congruente, tribuendo primum Aureum numerum illius tabellæ illi anno, a quo usus tabellæ incipit, et secundum aureum numerum sequenti anno, etc. Eodem modo reperietur Epacta sine Aureo numero, si prima Epacta tabellæ tribuatur illi anno, a quo ejus usus incipit, et secunda Epacta sequenti anno, etc.

Exemplum : Anno correctionis 1582, Aureus numerus est 6, nempe primus primæ tabellæ, cujus usus incipit ab Idibus Octobris dicti anni 1582, detractis prius decem

diebus. Erit ergo tunc Epacta xxvj, quæ sub Aureo numero 6 collocatur : fietque Novilunium die 27 Octobris, et 26 Novembris, et 25 Decembris. Item anno 1583 jam correcto, Aureus numerus est 7, cui in eadem tabella supposita est Epacta vij, quæ toto eo anno in Kalendario Novilunia indicabit : ut in Januario die 24, in Februario die 22, in Martio die 24, etc.

Alia Tabella Epactarum respondentium Aureis numeris ab anno 1700 *inclusive, usque ad annum* 1800 *exclusive.*

Aurei numeri.	10	11	12	13	14	15	
Epactæ.	ix	xx	j	xij	xxiij	iv	
	16	17	18	19	1	2	3
	xv	xxvj	vij	xviij	*	xj	xxij
	4	5	6	7	8	9	
	iij	xiv	xxv	vj	xvij	xxviij	

Anno 1700, tribuatur Epacta ix, quæ sub Aureo numero 10 collocatur. Vide post sequentem Tabellam.

Tabella Epactarum respondentium Aureis numeris ab anno 1800 *inclusive, usque ad annum* 1900 *exclusive.*

Aurei numeri.	15	16	17	18	19	1	
Epactæ.	iv	xv	xxvj	vij	xviij	*	
	2	3	4	5	6	6	
	xj	xxij	iij	xiv	xxv	vj	
	8	9	10	11	12	13	14
	xvij	xxviij	ix	xx	j	xij	xxiij

Ad tollendam dubitationem de usu hujus novæ Tabellæ Epactarum, ostendemus rem exemplis. Anno 1800, tribuatur Epacta iv, quæ sub Aureo numero 15 collocatur; fientque Novilunia 27 Januarii, 25 Februarii, 27 Martii. Item anno 1801 tribuatur Epacta xv, quæ sub Aureo numero 11 collocatur, quæ toto eo anno in Kalendario Novi-

unia monstrabit : ut in Januario die 16, in Februario die 14, in Martio die 16. Et sic deinceps per ordinem annis progredientibus, redeundo ad principium Tabellæ, quotiescumque eam percurreris. Rursus anno 1824, Epacta non signatur numero, sed hoc signo *, quod collocatur sub Aureo numero 1, et in Kalendario toto eo anno Novilunia indicabit, nimirum in Januario die 1 et 31, in Martio (nam in Februario nullum tunc Novilunium cum in eo signum hoc * non reperiatur, die 1 et 31, in Aprili die 29, etc.

Tabella Litterarum Dominicalium ab Idibus Octobris anni correctionis 1582 (*detractis prius decem diebus*), *usque ad annum* 1700 *exclusive.*

c	b	A g	f	e	d	c b	A	g	f	e d	c	b	A
g f	e	d	c	b A	g	f	e	d c	b	A	g	f e	d

Usus hujus Tabellæ hic est Anno correctionis 1582, post Idus Octobris (detractis prius decem diebus) tribuatur littera c primæ cellulæ, et sequenti anno 1583 littera b secundæ, et anno 1584 dentur litteræ A g tertiæ cellulæ, et sic deinceps aliis annis ordine aliæ cellulæ tribuantur, donec ad annum propositum perventum sit, redeundo ad principium Tabellæ quotiescumque eam percurreris. Nam cellula, in quam annus propositus cadit, dummodo minor sit quam annus 1700, dabit litteram Dominicalem propositi anni : quæ si unica occurrerit, annus erit communis : si vero duplex, Bissextilis ; et tunc superior littera Dominicam diem ostendet in Kalendario a principio anni usque ad Festum S. Matthiæ Apostoli ; inferior autem ab hoc

Festo usque ad finem anni. Exempli gratia : sit invenienda littera Dominicalis anno 1587. Numera ab anno 1582, quem tribue primæ litteræ c, usque ad annum 1587, tribuendo singulis cellulis singulos annos (computando geminas litteras quascumque, superiorem et inferiorem, pro una cellula) cadetque annus 1587 in litteram d, quæ sextum locum in Tabella occupat. Est ergo toto eo anno littera Dominicalis d, annusque communis est, cum littera simplex occurrat. Rursus sit investiganda littera Dominicalis anno 1616. Numera ab anno 1582, ut dictum est usque ad annum 1616, redeundo ad principium Tabellæ, postquam eam percurreris, perveniesque ad duas hasce litteras c b, septimo loco positas. Est ergo annus ille Bissextilis, cum duplex littera occurrat, superiorque litterâ c, Dominicam diem indicabit a principio anni illius usque ad Festum sancti Matthiæ; inferior autem b, in reliqua parte anni.

Alia Tabella Litterarum Dominicalium ab anno 1700 *inclusive, usque ad annum* 1800 *exclusive.*

d	b	A	g	f c	d	c	b	A g	f	c	d	c b	A
g	f	e d	c	b	A	g f	e	d	c	b A	g	f	e

Usus hujus Tabellæ talis est. Anno 1700 tribuatur unica littera inferior c primæ cellulæ, relicta littera d superiori. Vide post sequentem Tabellam.

Tabella Litterarum Dominicalium ab anno 1800 *inclusive, usque ad annum* 1900 *exclusive.*

f e	d	c	b	A g	f	e	d	c b	A	g	f	e d	c
b	A	g f	e	d	c	b A	g	f	e	d c	b	A	g

Usus hujus Tabellæ talis est. Anno 1800 tribuatur unica littera inferior e, primæ cellulæ, relicta littera f superiori, quia annus 1800 non est Bissextilis, sed communis; et littera f Dominicalis præcedenti anno 1799. Anno sequenti 1801 tribuatur littera d secundæ cellulæ, et sic deinceps ceteris annis ordine aliæ cellulæ tribuantur, donec ad annum propositum perventum sit, redeundo ad principium Tabellæ, quotiescumque eam percurreris. Nam cellula, in quam annus 1900, dabit litteram Dominicalem propositi anni. Quæ si unica occurrit, annus erit communis; si vero duplex, Bissextilis : et tunc superior littera Dominicalem diem ostendet in Kalendario a principio anni usque ad Festum sancti Matthiæ Apostoli; inferior autem ab hoc Festo usque ad finem anni.

DE INDICTIONE.

Indictio est revolutio 15 annorum ab 1 usque ad 15, qua revolutione peracta, iterum reditur ad unitatem, initiumque sumit quilibet annus hujus cycli a Januario in Bullis Pontificiis. Et quoniam Indictionum frequens usus est in Diplomatibus, et scripturis publicis, facile annum Indictionis currentem quolibet anno proposito inveniemus

ex sequenti tabella, cujus usus perpetuus est, initium tamen sumit ab anno correctionis 1582.

Tabella Indictionis ab anno correctionis 1582.

10	11	12		13	14	15	1
2	3	4	5	6	7	8	9

Nam si anno 1582 tribuas primum numerum, qui est 10, et sequenti anno 1583, secundum numerum, qui est 11, et sic deinceps usque ad annum propositum, redeundo ad principium tabellæ, quotiescumque eam percurreris, cadet annus propositus in Indictionem, quæ quæritur.

DE FESTIS MOBILIBUS.

Quoniam ex Decreto sacri Concilii Nicæni Pascha, ex quo reliqua Festa Mobilia pendent, celebrari debet die Dominico, qui proxime succedit xiv Lunæ primi Mensis (is vero apud Hebræos vocatur primus Mensis, cujus xiv Luna vel cadit in diem verni Æquinoctii, quod die 21 mensis Martii contingit, vel propius ipsum sequitur), efficitur ut si Epacta cujusvis anni inveniatur, et ab ea in Kalendario notata inter diem octavum Martii inclusive, et quintum Aprilis inclusive (hujus enim Epactæ xiv Luna cadit vel in diem Æquinoctii verni, id est, in diem 21 Martii, vel eum propius sequitur), numerentur inclusive deorsum versus dies quatuordecim, proximus dies Dominicus diem hunc xiv sequens (ne cum Judæis conveniamus, si forte dies xiv Lunæ caderet in diem Dominicum) sit dies Paschæ.

Exemplum : Anno 1605, Epacta est x, et littera Dominicalis b. Et quoniam invenimus Epactam x, inter diem 8 Martii, et 8 Aprilis inclusive positam esse e regione diei 21 Martii, a quo inclusive si deorsum versus numerentur 14 dies, inveniemus xiv Lunam die 3 Aprilis, quæ est Domi-

nica, cum e regione illius sit littera Dominicalis b. Ne igitur cum Judæis conveniamus, qui Pascha celebrant die xiv Lunæ, sumenda est littera Dominicalis b, quæ sequitur xiv Lunam, nempe ea quæ e regione diei 10 Aprilis collocatur : atque eo anno Pascha celebrandum erit die 10 Aprilis. Item anno 1604, Epacta est xxix et duplex littera Dominicalis d c, cum annus ille sit Bissextilis. Si igitur ab Epacta xxix, quæ e regione diei 1 Aprilis ponitur inter diem 8 Martii et 5 Aprilis inclusive, numerentur dies 14, cadet xiv Luna in diem 14 Aprilis. Et quia tunc currit posterior littera Dominicalis, nempe c, quæ post diem 14 Aprilis, id est, post xiv Lunam collocata est e regione diei 18 Aprilis, celebrabitur eo anno Pascha die 18 Aprilis.

Ceterum ut facilius omnia Festa Mobilia inveniantur, compositæ sunt duæ sequentes Tabulæ Paschales, una antiqua, et nova altera. Ex antiqua ita Festa Mobilia reperientur. In latere sinistro tabulæ accipiatur Epacta currens, et in linea litterarum Dominicalium sumatur littera Dominicalis currens, infra tamen Epactam currentem ; ita ut si littera Dominicalis currens reperiatur e regione Epactæ currentis, assumenda sit eadem littera Dominicalis proxime inferior. Nam e regione hujus litteræ Dominicalis omnia Festa Mobilia continentur.

Exemplum : Anno 1606, Epacta est xxj, et littera Dominicalis *A*. Si igitur in tabula antiqua sumatur littera Dominicalis *A*, quæ primo infra Epactam xxj occurrit, reperietur e regione hujus litteræ Dominica Septuagesimæ die 22 Januarii, dies Cinerum 8 Februarii, Pascha 26 Martii, Ascensio Domini 4 Maii, Pentecostes 14 Maii, et Festum Corporis Christi 25 Maii. Dominicæ autem inter Pentecosten et Adventum eo anno erunt 28, et Adventus celebrabitur die 3 Decembris : et sic de ceteris. Item anno 1605, Epacta est x, et littera Dominicalis b, quæ in tabula reperietur e regione Epactæ x. Quare sumenda est alia littera

b, quæ proxime infra Epactam invenitur, e regione cujus invenies Septuagesimam die 6 Februarii, diem Cinerum 23 Februarii, Pascha 10 Aprilis, etc.

Notandum autem est, quod quemadmodum in anno communi, cadente littera Dominicali e regione Epactæ in tabula antiqua, sumitur eadem littera proxima infra Epactam, ut diximus : ita quoque in anno Bissextili, si alterutra duarum litterarum Dominicalium tunc currentium e regione Epactæ reperiatur, assumendæ sunt aliæ duæ similes litteræ proxime inferiores, ut Festa mobilia inveniantur.

Ex tabula vera Paschali nova ita eadem Festa Mobilia reperientur. In cellula litteræ Dominicalis currentis quæratur Epacta currens. Nam e directo omnia Festa Mobilia deprehendentur. Ut anno 1609, in cellula litteræ Dominicalis d, tunc currentis e regione Epactæ xxiv quæ eodem anno currit, habetur Septuagesima die 15 Februarii, dies Cinerum 4 Martii, Pascha 19 Aprilis, etc.

Sed sive antiqua, sive nova tabula Paschali utamur, inveniendà sunt omnia Festa Mobilia in annis Bissextilibus per litteram Dominicalem posteriorem, quæ nimirum currit post Festum sancti Matthiæ Apostoli, ne scilicet ambigamus, utra duarum litterarum pro hoc aut illo Festo indagando accipienda sit : ita tamen, ut Septuagesimæ, et diei Cinerum inventæ in Januario, aut Februario, addatur unus dies. Quod ideo fit, quia ante diem S. Matthiæ currit prior littera Dominicalis quæ in Kalendario posteriorem semper sequitur : post Festum autem S. Matthiæ in Februario, licet posterior littera currat, additur tamen tunc dies intercalaris, ita ut dies 24 Februarii dicatur 25, et dies 25 dicatur 26, etc. Quod si dies Cinerum cadat in Martium, nihil addendum est, quia tunc et littera posterior currit, et dies mensis propriis numeris respondent, cum dies intercalaris Februario sit additus. Immo nisi per posteriorem litteram investigarentur, non inveniretur

recte Septuagesima in anno Bissextili, currente Epacta xxiv, vel xxv et littera Dominicali d c, ut in secundo ac tertio exemplo perspicuum fiet pro annis 4088 et 3784. Exempli gratia : Anno 2096 Bissextili, Epacta erit v et litteræ Dominicales *A* g. Si igitur per posteriorem litteram, quæ est g, Festa Mobilia investigentur, reperietur Septuages. die 11 Febr. et dies Cinerum 28 Febr. Si autem addatur unus dies, cadet Septuages. in diem 12 Febr. quæ est Dominica, et dies Cinerum in diem 29 Febr. quæ est Feria iv. Pascha autem, et reliqua Festa in eos dies cadent, qui in tabula expressi sunt. Item anno 4088 Bissextili, Epacta erit xxiv et litteræ Dominicales d c. Si igitur per litteram c, quæ posterior est, inquirantur Festa Mobilia, invenietur Septuagesima die 21 Febr. et si addatur unus dies, cadet in diem 12 Febr. quæ est Dominica. Dies autem Cinerum cadet in diem 10 Martii : quare nihil additur, etc. Rursus anno 3784 Bissextili, Epacta erit xxv, et litteræ Dominicales d c. Ergo iterum per posteriorem c, reperietur Septuag. die 21 Februarii, hoc est, addita 1 die 22. Quod si per priorem litteram d, in utroque horum duorum annorum agendum esset, nihil efficeretur, cum infra Epactas xxiv et xxv littera d indicet Septuages. die 15 Februarii, quod falsum esset, cum eo anno posterior littera c, Pascha offerat die 25 Aprilis, ac proinde Septuages. die 22 Februarii celebranda sit, ut liquido constat, si a die Paschæ, Dominicæ retro numerentur usque ad Septuagesimam.

In priori porro Tabula Paschali antiqua reformata, Epactis ad sinistram præposuimus Aureos numeros eodem ordine, quo ante emendationem Kalendarii collocari solebant, ut ex iis Festa Mobilia invenirentur. Hoc autem idcirco a nobis factum est, ut Pascha, ceteraque Festa Mobilia, a Concilio Nicæno usque ad annum 1582 quilibet indagare possit. Eodem autem prorsus artificio ex Aureis numeris ita distributis Festa Mobilia eruuntur,

quo ex Epactis. Sit enim explorandum, exempli causa, quando Festa hæc celebrata fuerint anno 1450. Quoniam eo anno Aureus numerus fuit 7 et littera Dominicalis d, si Aureus numerus 7 in sinistro latere accipiatur, et prima littera d, infra eum occurrens, quæ reperietur e regione hujus litteræ d, Septuagesima die 1 Februarii, dies Cinerum 18 Februarii, Pascha die 5 Aprilis, etc.

Adventus Domini celebratur semper die Dominico, qui propinquior est festo S. Andreæ Apostoli, nempe a die 27 Novembris inclusive, usque ad diem 2 Decembris inclusive : ita ut littera Dominicalis currens, quæ reperitur in Kalendario a die 27 Novembris usque ad diem 3 Decembris indicet Dominicam Adventus. Ut v. gr. si littera Dominicalis est g, Dominica Adventus cadet in diem 2 Decembris ; quia ibi est littera g, in Kalendario, etc.

Ad finem tandem Tabularum Paschalium apposita est Tabula temporaria multorum annorum, e regione quorum omnia Festa Mobilia inveniuntur : quæ quidem Tabula ex Tabulis Paschalibus excerpta est, ex quibus infinitæ aliæ erui possunt pro quibuscumque annis.

TABULA PASCHALIS

ANTIQUA REFORMATA.

Aur. Num.		Cycl. Epact.	Litteræ Dom.	Septuagesim.	Dies Cinerum.	Pascha.	Ascensio.	Pentecostes.	Corp. Christi	Dom. p. Pent.	Dom. I Adv.
16		xxiij		Jan.	Feb.	Mar.	Ap.	Mai.	Mai.		
5		xxij	d	18	4	22	30	10	21	28	29 Nov.
		xxj	e	19	5	23	1 Mai	11	22	28	30
13		xx	f	20	6	24	2	12	23	28	1 Dec.
2		xix	g	21	7	25	3	13	24	28	2
		xviij	A	22	8	26	4	14	25	28	3
10		xvij	b	23	9	27	5	15	26	27	27 Nov.
		xvj	c	24	10	28	6	16	27	27	28
18		xv	d	25	11	29	7	17	28	27	29
7		xiv	e	26	12	30	8	18	29	27	30
		xiij	f	27	13	31	9-	19	30	27	1 Dec.
15		xij	g	28	14	1 Ap.	10	20	31	27	2
4		xj	A	29	15	2	11	21	1 Jun	27	3
		x	b	30	16	3	12	22	2	26	27 Nov.
12		ix	c	31	17	4	13	23	3	26	28
1		viij	d	1 Fe.	18	5	14	24	4	26	29
		vij	e	2	19	6	15	25	5	26	30
9		vj	f	3	20	7	16	26	6	26	1 Dec
		v	g	4	21	8	17	27	7	26	2
17		iv	A	5	22	9	18	28	8	26	3
6		iij	b	6	23	10	19	29	9	25	27 Nov.
		ij	c	7	24	11	20	30	10	25	28
14		j	d	8	25	12	21	31	11	25	29
3		*	e	9	26	13	22	1 Jun	12	25	30
		xxix	f	10	27	14	23	2	13	25	1 Dec.
11		xxviij	g	11	28	15	24	3	14	25	2
		xxvij	A	12	1 Ma.	16	25	4	15	25	3
19	25	xxvj	b	13	2	17	26	5	16	24	27 Nov
8	xxv	xxiv	c	14	3	18	27	6	17	24	28
			d	15	4	19	28	7	18	24	29
			e	16	5	20	29	8	19	24	30
			f	17	6	21	30	9	20	24	1 Dec.
			g	18	7	22	31	10	21	24	2
			A	19	8	23	1 Jun	11	22	24	3
			b	20	9	24	2	12	23	23	27 Nov.
			c	21	10	25	3	13	24	23	28

TABULA PASCHALIS

Litteræ Dominical.	Cyclus Epactorum.	Septuages	Dies Cinerum.
D	23.	18 Jan.	4 Febr.
	22. 21. 20. 19. 18. 17. 16	25 Jan.	11 Febr.
	15 14. 13 12. 11. 10. 9.	1 Febr.	18 Febr.
	8. 7. 6. 5. 4. 3. 2	8 Febr.	25 Febr.
	1. * 29. 28 27. 26. xxv. 25. 24	15 Febr.	4 Mart.
E	23 22.	19 Jan	5 Febr.
	21. 20 19. 18. 17. 16. 15.	26 Jan.	12 Febr.
	14. 13. 12. 11. 10. 9. 8.	2 Febr.	19 Febr.
	7. 6. 5. 4 3. 2. 1.	9 Febr.	26 Febr.
	* 29 28 27 26. xxv. 25 24.	16 Febr.	5 Mart.
F	23. 22. 21	20 Jan.	6 Febr.
	20. 19 18. 17. 16. 15. 14.	27 Jan.	13 Febr.
	13. 12. 11. 10. 9. 8. 7.	3 Febr.	20 Febr.
	6. 5. 4. 3. 2. 1. *	10 Febr.	27 Febr.
	29. 28 27. 26. xxv. 25. 24.	17 Febr.	6 Mart.
G	23. 22. 21. 20.	21 Jan.	7 Febr.
	19. 18. 17. 16. 15. 14. 13.	28 Jan.	14 Febr.
	12. 11. 10. 9. 8. 7. 6.	4 Febr.	21 Febr.
	5. 4. 3. 2. 1. * 29.	11 Febr.	28 Febr.
	28. 27. 26. xxv. 25. 24.	18 Febr.	7 Mart.
A	23. 22. 21. 20. 19.	22 Jan.	8 Febr.
	18. 17. 16. 15. 14. 13. 12.	19 Jan.	15 Febr.
	11. 10. 9. 8. 7. 6. 5.	5 Febr.	22 Febr.
	4 3. 2. 1 * 29. 28.	12 Febr.	1 Mart.
	27. 26. xxv. 25. 24.	19 Febr.	8 Mart.
B	23. 22. 21. 20. 19. 18.	23 Jan.	9 Febr.
	17. 16 15. 14. 13 12. 11.	30 Jan.	16 Febr.
	10. 9. 8. 7 6. 5. 4.	6 Febr.	23 Febr.
	3. 2. 1. * 29. 28. 27.	13 Febr.	2 Mart.
	26. xxv. 25. 24.	20 Febr.	9 Mart.
C	23. 22. 21. 20. 19. 18. 17.	24 Jan.	10 Febr.
	16. 15. 14. 13 12. 11. 10.	31 Jan.	17 Febr.
	9. 8. 7. 6. 5. 4. 3.	7 Febr.	24 Febr.
	2. 1. * 29. 28. 27. 26. 25	14 Febr.	3 Mart.
	xxv. 24.	21 Febr.	10 Mart.

NOVA REFORMATA.

Pascha.	Ascensio.	Pentecostes	Corpus Christi.	Dom. p. Pent.	Dom. I. Advent.
22 Mart.	30 Apr.	10 Maii	21 Maii	28	29 Nov.
29 Mart.	7 Maii	17 Maii	28 Maii	27	29
5 Apr.	14 Maii	24 Maii	4 Junii	26	29
12 Apr.	21 Maii	31 Maii	11 Junii	25	29
19 Apr.	28 Maii	7 Junii	18 Junii	24	29
23 Mart.	1 Maii	11 Maii	22 Maii	28	30 Nov.
30 Mart.	8 Maii	18 Maii	29 Maii	27	30
6 Apr.	15 Maii	25 Maii	5 Junii	26	30
13 Apr.	22 Maii	1 Junii	12 Junii	25	30
20 Apr.	29 Maii	8 Junii	19 Junii	24	30
24 Marte	2 Maii	12 Maii	23 Maii	28	1 Dec.
31 Mart.	9 Maii	19 Maii	30 Maii	27	1
7 Apr.	16 Maii	26 Maii	6 Junii	26	1
14 Apr.	23 Maii	2 Junii	13 Junii	25	1
21 Apr.	30 Maii	9 Junii	20 Junii	24	1
25 Mart.	3 Maii	13 Maii	24 Maii	28	2 Dec.
1 Apr.	10 Maii	20 Maii	31 Maii	27	2
8 Apr.	17 Maii	27 Maii	7 Junii	26	2
15 Apr.	24 Maii	3 Junii	14 Junii	25	2
22 Apr.	31 Maii	10 Junii	21 Junii	24	2
26 Mart.	4 Maii	14 Maii	25 Maii	28	3 Dec.
2 Apr.	11 Maii	21 Maii	1 Junii	27	3
9 Apr.	18 Maii	28 Maii	8 Junii	26	3
16 Apr.	25 Maii	4 Junii	15 Junii	25	3
23 Apr.	1 Junii	11 Junii	22 Junii	24	3
27 Mart.	5 Maii	15 Maii	26 Maii	27	27 Nov.
3 Apr.	12 Maii	22 Maii	2 Junii	26	27
10 Apr.	19 Maii	29 Maii	9 Junii	25	27
17 Apr.	26 Maii	5 Junii	16 Junii	24	27
24 Apr.	2 Junii	12 Junii	23 Junii	23	27
28 Mart.	6 Maii	16 Maii	27 Maii	27	28 Nov.
4 Apr.	13 Maii	23 Maii	3 Junii	26	28
11 Apr.	20 Maii	30 Maii	10 Junii	25	28
18 Apr.	27 Maii	6 Junii	17 Junii	24	28
25 Apr.	3 Junii	13 Junii	24 Junii	3	28

TABELLA TEMPORARIA

Anni Dom.	*Littera Dom.*	*Aur. num.*	*Epactæ.*	*Septuag.*	*Dies Cinerum.*	*Pascha.*
1855	g	13	xij	4 Febr.	21 Febr.	8 Apr.
1856	f e	14	xxiij	20 Jan.	6 Febr.	23 Mart.
1857	d	15	iv	8 Febr.	25 Febr.	12 Apr.
1858	c	16	xv	31 Jan.	17 Febr.	4 Apr.
1859	b	17	xxvj	20 Febr.	9 Mart.	24 Apr.
1860	A g	18	vij	5 Febr.	22 Febr.	8 Apr.
1861	f	19	xviij	27 Jan.	13 Febr.	31 Mart.
1862	e	1	*	16 Febr.	5 Mart.	20 Apr.
1863	d	2	xj	1 Febr.	18 Febr.	5 Apr.
1864	c b	3	xxij	24 Jan.	10 Febr	27 Mart.
1865	A	4	iij	12 Febr.	1 Mart.	16 Apr.
1866	g	5	xiv	28 Jan.	14 Febr.	1 Apr.
1867	f	6	xxv	17 Febr.	6 Mart.	21 Apr.
1868	e d	7	vj	9 Febr.	25 Febr.	12 Apr.
1869	c	8	xvij	24 Jan.	10 Febr.	28 Mart.
1870	b	9	xxviij	13 Febr.	2 Mart.	17 Apr.
1871	A	10	ix	5 Febr.	22 Febr.	9 Apr.
1872	g f	11	xx	28 Jan.	14 Febr.	31 Mart.
1873	e	12	j	9 Febr.	26 Febr.	13 Apr.
1874	d	13	xij	1 Febr.	18 Febr.	5 Apr.
1875	c	14	xxiij	24 Jan.	10 Febr.	28 Mart.
1876	b A	15	iv	13 Febr.	1 Mart.	16 Apr.
1877	g	16	xv	28 Jan.	14 Febr.	1 Apr.
1878	f	17	xxvj	17 Febr.	6 Mart.	21 Apr.
1879	e	18	vij	9 Febr.	26 Febr.	15 Apr.
1880	d c	19	xviij	25 Jan.	11 Febr.	28 Mart.
1881	b	1	*	13 Febr.	2 Mart.	17 Apr.
1882	A	2	xj	5 Febr.	22 Febr.	9 Apr.
1883	g	3	xxij	21 Jan.	7 Febr.	25 Mart.
1884	f e	4	iij	10 Febr.	27 Febr.	13 Apr.
1885	d	5	xiv	1 Febr.	18 Febr.	5 Apr.
1886	c	6	xxv	21 Febr.	11 Mart.	25 Apr.
1887	b	7	vj	6 Febr.	23 Febr.	10 Apr.
1888	A g	8	xvij	29 Jan.	15 Febr.	1 Apr.
1889	f	9	xxviij	17 Febr.	6 Mart.	21 Apr.
1890	e	10	ix	2 Febr.	19 Febr.	6 Apr.
1891	d	11	xx	25 Jan.	11 Febr.	29 Mart.
1892	c b	12	j	14 Febr.	2 Mart.	17 Apr.
1893	A	13	xij	29 Jan.	15 Febr.	2 Apr.
1894	g	14	xxiij	21 Jan.	7 Febr.	25 Mart.

FESTORUM MOBILIUM

Anni Dom.	*Ascensio.*	*Pentecostes.*	*Corpus Christi.*	*Indictio.*	*Dom. post Pent.*	*I Dom. Adventus*
1855	17 Maii	27 Maii	7 Junii	13	26	2 Dec.
1856	31 Maii	11 Junii	22 Junii	14	28	30 Nov.
1857	21 Maii	31 Maii	11 Junii	15	25	29 Nov.
1858	13 Maii	23 Maii	3 Junii	1	26	28 Nov.
1859	2 Junii	12 Junii	23 Junii	2	23	27 Nov.
1860	17 Maii	27 Maii	7 Junii	3	26	2 Dec.
1861	9 Maii	19 Maii	30 Maii	4	27	1 Dec.
1862	29 Maii	8 Junii	19 Junii	5	24	30 Nov.
1863	14 Maii	24 Maii	4 Junii	6	26	29 Nov.
1864	5 Maii	15 Maii	26 Maii	7	27	27 Nov.
1865	25 Maii	4 Junii	15 Junii	8	25	3 Dec.
1866	10 Maii	20 Maii	31 Maii	9	27	2 Dec
1867	30 Maii	9 Junii	20 Junii	10	24	1 Dec.
1868	21 Maii	31 Maii	11 Junii	11	25	29 Nov.
1869	6 Maii	16 Maii	27 Maii	12	27	28 Nov.
1870	26 Maii	5 Junii	16 Junii	13	24	27 Nov.
1871	18 Maii	28 Maii	8 Junii	14	26	3 Dec.
1872	9 Maii	19 Maii	30 Maii	15	27	1 Dec.
1873	22 Maii	1 Junii	12 Junii	1	25	30 Nov.
1874	14 Maii	24 Maii	4 Junii	2	26	29 Nov.
1875	6 Maii	16 Maii	27 Maii	3	27	28 Nov.
1876	25 Maii	4 Junii	15 Junii	4	25	3 Dec
1877	10 Maii	20 Maii	31 Maii	5	27	2 Dec.
1878	30 Maii	9 Junii	20 Junii	6	24	1 Dec.
1879	22 Maii	1 Junii	12 Junii	7	25	30 Nov.
1880	6 Maii	16 Maii	27 Maii	8	27	28 Nov.
1881	26 Maii	5 Junii	16 Junii	9	24	27 Nov.
1882	18 Maii	28 Maii	8 Junii	10	26	3 Dec.
1883	3 Maii	13 Maii	24 Maii	11	28	2 Dec.
1884	22 Maii	1 Junii	12 Junii	12	25	30 Nov.
1885	14 Maii	24 Maii	4 Junii	13	26	29 Nov.
1886	3 Junii	13 Junii	24 Junii	14	23	28 Nov.
1887	19 Maii	29 Maii	9 Junii	15	25	27 Nov.
1888	10 Maii	20 Maii	31 Maii	1	27	2 Dec
1889	30 Maii	9 Junii	20 Junii	2	24	1 Dec.
1890	15 Maii	25 Maii	5 Junii	3	26	30 Nov.
1891	7 Maii	17 Maii	1 Junii	4	27	29 Nov.
1892	26 Maii	5 Junii	16 Junii	5	24	27 Nov.
1893	11 Maii	21 Maii	1 Junii	6	27	3 Dec.
1894	3 Maii	13 Maii	24 Maii	7	28	2 Dec.

JANUARIUS.

Cyclus Epact.	Littera Dom.		Dies mensis.	
xxix	A	*Kal.*	1	CIRCUMCISIO DOMINI, *duplex* 2 cl.
*	b	iv	2	Octava S. Stephani, *dupl.*
xxviij	c	iij	3	Octava S. Joannis, Apost. *dupl.*
xxvij	d	*Prid.*	4	Octava SS. Innocentium, *dupl.*
xxvj	e	*Non.*	5	Vigilia Epiphaniæ, *semid.* Com. S. Telesphori, Pap. et Mart.
25. xxv	f	viij	6	EPIPHANIA DOMINI, *dupl.* 1 cl.
xxiv	g	vij	7	De Octava Epiphaniæ.
xxiij	A	vj	8	De Octava.
xxij	b	v	9	De Octava.
xxj	c	iv	10	De Octava.
xx	d	iij	11	De Oct. Com. S. Hygini, P. M.
xix	e	*Prid.*	12	De Octava.
xviij	f	*Idib.*	13	Octavia Epiphaniæ, *dupl.* * Dom II post Epiphaniam FESTUM SS. NOMINIS JESU, *dupl.* 2 cl.
xvij	g	xix	14	Hilarii, Episc., Conf., et Doct., *dupl.* Com. S Felicis, Presb. et Mart.
xvj	A	xviij	15	Pauli, primi Eremitæ, *dupl.* Commemor. S. Mauri.
xv	b	xvij	16	Marcelli, Papæ et Mart., *semid.*
xiv	c	xvj	17	Antonii, Abbatis, *dupl.*
xiij	d	xv	18	CATHEDRA S. PETRI ROM., *dupl. maj.* Com. S. Priscæ, V. et M.
xij	e	xiv	19	Canuti, Regis et Mart., *semid. ad lib.* Com. SS. Marii, etc.
xj	f	xiij	20	Fabiani et Seb., Martyrum, *dupl.*
x	g	xij	21	Agnetis, Virg. et Mart., *dupl.*
ix	A	xj	22	Vincentii et Anastasii, Mart., *semiduplex.*
viij	b	x	23	Raymundi de Pennafort, Conf., *sem.* Com. S. Emerentianæ, V. et M.
vij	c	ix	24	Timothei, Episc. et Mart., *semid.*
vj	d	viij	25	CONVERSIO S. PAULI, *dupl. maj.*
v	e	vij	26	Polycarpi, Episc. et Mart., *sem.*
iv	f	vj	27	Joannis Chrysost., Episc., Confes. et Doct., *dupl.*
iij	g	v	28	Agnetis, secundo.
ij	A	iv	29	Francisci Salesii, Ep. et Conf., *dupl.*
j	b	iij	30	Martinæ, Virg. et Mart., *semid.*
*	c	*Prid.*	31	Petri Nolasci, Conf., *dupl.*

FEBRUARIUS.

Cyclus Epact.	Littera Dom.		Dies mensis.	
xxix	d	*Kal.*	1	Ignatii, Episc. et Mart., *semid.*
xxviij	e	iv	2	PURIFICATIO B. M V., *dupl.* 2 cl.
xxvij	f	iij	3	Blasii, Episc. et Mart.
25, xxv	g	*Prid.*	4	Andreæ Corsini, Episcop. et Confes. *duplex.*
xxv, xxiv	A	*Non.*	5	Agathæ, Virg. et Mart., *dupl.*
xxiij	b	viij	6	Dorotheæ, Virg. et Mart.
xxij	c	vij	7	Romualdi, Abbatis, *duplex*
xxj	d	vj	8	Joannis de Matha, Conf., *dupl.*
xx	e	v	9	Apolloniæ, Virg. et Mart.
xix	f	iv	10	Scholasticæ, Virginis, *dupl.*
xviij	g	iij	11	
xvij	A	*Prid.*	12	
xvj	b	*Idib.*	13	
xv	c	xvj	14	Valentini, Presb. et Mart.
xiv	d	xv	15	Faustini et Jovitæ, Mart.
xiij	e	xiv	16	
xij	f	xiij	17	
xj	g	xij	18	Simeonis, Episc. et Mart.
x	A	xj	19	
ix	b	x	20	
viij	c	ix	21	
vij	d	viij	22	CATHEDRA S. PETRI ANTIOCHIÆ, *duplex majus.*
vj	e	vij	23	Petri Damiani, Episc., Conf. et Doct., *duplex.* Com. Vig.
v	f	vj	24	MATTHIÆ, APOSTOLI, *dupl.* 2 cl.
iv	g	v	25	
iij	A	iv	26	
ij	b	iij	27	
j	c	*Prid.*	28	

In anno bissextili Februarius est dierum 29, *et Festum S. Matthiæ celebratur* 25 *Februarii, et bis dicitur* Sexto Kalendas, *id est die* 24 *et die* 25*; et littera Dominicalis, quæ assumpta fuit in mense Januario, mutabitur in præcedentem : ut, si in Januario Littera Dominicalis fuerit* A, *mutatur in præcedentem, quæ est* g, *etc., et Littera* f *bis servit* 24 *et* 25.

MARTIUS.

Cyclus Epact.	Littera Dom.		Dies mensis.	
*	d	*Kal.*	1	
xxix	e	vj	2	
xxviij	f	v	3	
xxvij	g	iv	4	Casimiri, Conf., *semid.* Com. S. Lucii, Papæ et Mart.
xxvj	A	iij	5	
25, xxv	b	*Prid.*	6	
xxiv	c	*Non.*	7	Thomæ de Aquino, Conf. et Doct. *dupl.* Com. SS. Perpetuæ et Felicitatis, Mart.
xxiij	d	viij	8	Joannis de Deo, Conf., *dupl.*
xxij	e	vij	9	Franciscæ, Viduæ, *dupl.*
xxj	f	vj	10	Quadraginta Mart., *semid.*
xx	g	v	11	
xix	A	iv	12	Gregorii, Papæ, Conf. et Doct., *duplex.* *Feria VI post Dom. Passionis. FESTUM SEPTEM DOLORUM B. M. V. *duplex majus.*
xviij	b	iij	13	
xvij	c	*Prid.*	14	
xvj	d	*Idib.*	15	
xv	e	xvij	16	
xiv	f	xvj	17	Patritii, Episc. et Conf., *semid.*
xiij	g	xv	18	
xij	A	xiv	19	JOSEPH, CONFESSORIS, *dupl.* 2 cl.
xj	b	xiij	20	
x	c	xij	21	Benedicti Abbatis, *duplex.*
ix	d	xj	22	
viij	e	x	23	
vij	f	ix	24	
vj	g	viij	25	ANNUNT. B. M. V., *dupl.* 2 cl.
v	A	vij	26	
iv	b	vj	27	
iij	c	v	28	
ij	d	iv	29	
j	e	iij	30	
*	f	*Prid.*	31	

APRILIS.

Cyclus Epact.	Littera Dom.		Dies mensis.	
xxix	g	*Kal.*	1	
xxviij	A	iv	2	Francisci de Paula, Conf., *dupl.*
xxvij	b	iij	3	
25, xxvj	c	*Prid.*	4	Isidori, Episc. et Conf., *dupl.*
xxv, xxiv	d	*Non.*	5	Vincentii Ferrerii, Conf., *dupl.*
xxiij	e	viij	6	
xxij	f	vij	7	
xxj	g	vj	8	
xx	A	v	9	
xix	b	iv	10	
xviij	c	iij	11	Leonis, Papæ, Conf. et Doct., *duplex.*
xvij	d	*Prid.*	12	
				Dom. III post Pascha. Festum Patronicii S. Joseph, *dupl.* 2 cl.
xvj	e	*Idib.*	13	Hermenegildi, Mart., *semid.*
xv	f	xviij	14	Tiburtii, Valeriani et Maximi, Martyrum.
xiv	g	xvij	15	
xiij	A	xvj	16	
xij	b	xv	17	Aniceti, Papæ et Martyris.
xj	c	xiv	18	
x	d	xiij	19	
ix	e	xij	20	
viij	f	xj	21	Anselmi, Episc., Conf. et Doct., *duplex.*
vij	g	x	22	Soteris et Caii, Pont. et Mart., *semid.*
vj	A	ix	23	Georgii, Martyris, *semiduplex.*
v	b	viij	24	Fidelis a Sigmaringa, Mart., *duplex.*
iv	c	vij	25	Marci, Evangelistæ, *dupl.* 2 cl.
iij	d	vj	26	Cleti et Marcellini, Pontificum et Martyrum, *semid.*
ij	e	v	27	
j	f	iv	28	Vitalis, Martyris.
*	g	iij	29	Petri, Martyris, *duplex.*
xxix	A	*Prid.*	30	Catharinæ Senensis, Virg., *dupl.*

MAIUS.

	Cyclus Epact.	Littera Dom.		Dies mensis	
	xxviij	b	*Kal.*	1	PHILIPPI ET JACOBI, App., *dupl.* 2 cl
	xxvij	c	vj	2	Athanasii, Ep. et Conf., *dupl.*
	xxvj	d	v	3	INVENTIO S. CRUCIS, *dupl.* 2 cl. Com. SS. Alexandri, etc., Mart., ac Juvenalis, Episc. et Conf.
25.	xxv	e	iv	4	Monicæ, Viduæ, *duplex.*
	xxiv	f	iij	5	Pii V, Papæ et Conf.. *dupl.*
	xxiij	g	*Prid.*	6	JOANNIS ANTE PORTAM LATINAM, *duplex majus.*
	xxij	A	*Non.*	7	Stanislai, Episc. et Mart., *dupl.*
	xxj	b	viij	8	APPARITIO S. MICHAELIS ARCHANGELI, *duplex majus.*
	xx	c	vij	9	Gregorii Nazianzeni, Episc., Conf. et Doct., *duplex.*
	xix	d	vj	10	Antonini, Ep. et Conf., *dupl.* Com. SS. Gordiani et Epimachi, Mart.
	xviij	e	v	11	
	xvij	f	iv	12	Nerei, Achillei, Domitillæ, Virg., atque Pancratii, Mart., *semid.*
	xvj	g	iij	13	
	xv	A	*Prid.*	14	Bonifacii, Martyris.
	xiv	b	*Idib.*	15	
	xiij	c	xvij	16	Ubaldi, Episc. et Conf., *semid.*
	xij	d	xvj	17	Paschalis Baylon, Conf., *dupl.*
	xj	e	xv	18	Venantii, Martyris, *duplex.*
	x	f	xiv	19	Petri Cœlestini, Papæ et Conf. *dupl.* Comm. S. Pudentianæ, Virg.
	ix	g	xiij	20	Bernardini Senensis, Conf., *semid.*
	viij	A	xij	21	
	vij	b	xj	22	
	vj	c	x	23	
	v	d	ix	24	
	iv	e	viij	25	Gregorii VII, Papæ et Conf., *dupl.* Comm. S. Urbani, Papæ et Martyris.
	iij	f	vij	26	Philippi Nerii, Conf., *dupl.* Comm. S. Eleutherii, Papæ et Mart.
	ij	g	vj	27	Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Virg., *semid.* Com. S. Joannis, Pap. et M.
	j	A	v	28	
	*	b	iv	29	
	xxix	c	iij	30	Felicis, Papæ et Martyris.
	xxviij	d	*Prid.*	31	Petronillæ, Virginis.

JUNIUS.

Cyclus Epact.	Littera Dom.		Dies mensis.	
xxvij	e	*Kal.*	1	
25, xxvj	f	iv	2	Marcellini, Petri, atque Erasmi, Martyrum.
xxv, xxiv	g	iij	3	
xxiij	A	*Prid.*	4	Francisci Caracciolo, Conf., *dupl.*
xxij	b	*Non*	5	
xxj	c	viij	6	Norberti, Episc. et Conf., *dupl.*
xx	d	vij	7	
xix	e	vj	8	
xviij	f	v	9	Primi et Feliciani, Mart.
xvij	g	iv	10	Margaritæ, Reginæ Scot., *semid.*
xvj	A	iij	11	Barnabæ Apostoli, *dupl. maj.*
xv	b	*Prid.*	12	Joannis a S. Facundo, Conf., *dupl* Comm. SS. Basilidis, etc.
xiv	c	*Idib.*	13	Antonii de Padua, Conf., *dupl*
xiij	d	xviij	14	Basilii Magni, Episc., Conf. et Doct., *duplex.*
xij	e	xvij	15	Viti, Modesti atque Crescentiæ, Martyrum.
xj	f	xvj	16	
x	g	xv	17	
ix	A	xiv	18	Marci et Marcelliani, Martyrum.
viij	b	xiij	19	Julianæ de Falconeriis, Virginis, *dupl.* Comm. SS. Gervasii et Protasii. Martyrum.
vij	c	xij	20	Silverii, Papæ et Martyris.
vj	d	xj	21	Aloysii Gonzagæ, Conf., *dupl.*
v	e	x	22	Paulini, Episc. et Conf.
iv	f	ix	23	Vigilia.
iij	g	viij	24	Nativitas S. Joannis Baptistæ, *dupl.* 1 classis.
ij	A	vij	25	Guillelmi, Abb., *dupl.* Comm. Oct.
j	b	vj	26	Joannis et Pauli, Mart., *dupl.* Com. Oct.
*	c	v	27	De Oct. Nativit. S. Joannis
xxix	d	iv	28	Leonis, Papæ et Conf., *semid.* Com. Oct. et Vigiliæ.
xxviij	e	iij	29	PETRI ET PAULI APOST., *dupl.* 1 cl.
xxvij	f	*Prid.*	30	Comm. S. Pauli Apost., *duplex*, cum Comm. Oct. S. Joannis.

JULIUS.

	Cyclus Epact.	Littera Dom.		Dies mensis.	
					Dom. I. Julii FESTUM PRETIOSI SANGUINIS D. N. J. C., *dupl.* 2 cl.
	xxvj	g	*Kal.*	1	Oct. S. Joannis Baptistæ, *duplex.* Comm. Oct. Apost.
25,	xxv	A	vj	2	VISITATIO B. M. V., *dupl.* 2 cl. Comm. Oct. Apost. et SS. Processi et Martiniani, Mart.
	xxiv	b	v	3	De Octava.
	xxiij	c	iv	4	De Octava.
	xxij	d	iij	5	De Octava.
	xxj	e	*Prid.*	6	Oct. Apost. Petri et Pauli, *dupl.*
	xx	f	*Non.*	7	
	xix	g	viij	8	Elisabeth, Reginæ Port., Vid., *semid.*
	xviij	A	vij	9	
	xvij	b	vj	10	Septem Fratrum et SS. Rufinæ ac Secundæ, Mart., *semid.*
	xvj	c	v	11	Pii, Papæ et Martyris.
	xv	d	iv	12	Joannis Gualb. Abb., *dupl.* Comm. SS. Naboris et Felicis, Mart.
	xiv	e	iij	13	Anacleti, Papæ et Mart., *semid.*
	xiij	f	*Prid.*	14	Bonavent., Ep., C. et Doct., *dupl.*
	xij	g	*Idib.*	15	Henrici Imperat., Conf., *semid.*
	xj	A	xvij	16	B. V. MARIÆ DE MONTE CARMELO, *dupl. maj.*
	x	b	xvj	17	Alexii, Confessoris, *semid.*
	ix	c	xv	18	Camilli de Lellis, C., *dupl.* Comm. S. Symphorosæ cum 7 filiis, Mart.
	viij	d	xiv	19	Vincentii a Paulo, Conf., *dupl.*
	vij	e	xiij	20	Hieronymi Æmiliani, Conf., *dupl.* Comm. S. Margaritæ, Virg. et M.
	vj	f	xij	21	Praxedis, Virginis.
	v	g	xj	22	Mariæ Magdalenæ, *dupl.*
	iv	A	x	23	Apollinaris, Ep. et M., *dupl.* Comm. S. Liborii, Ep. et Conf.
	iij	b	ix	24	Vig. et Comm. S. Christinæ, V. et M.
	ij	c	viij	25	JACOBI APOST., *dupl.* 2 cl. Comm. S. Christophori, Mart.
	j	d	vij	26	ANNÆ MATRIS B. M., *dupl. maj.*
	*	e	vj	27	Pantaleonis, Mart.
	xxix	f	v	28	Nazarii, Celsi, et Victoris, Papæ et Mart., ac Innocentii, Papæ et C., *semid.*
	xxviij	g	iv	29	Marthæ, Virg., *semid.* Comm. SS. Felicis, Simplicii, etc., Mart.
	xxvij	A	iij	30	Abdon et Sennen, Mart.
25,	xxvj	b	*Prid.*	31	Ignatii, Conf., *dupl.*

AUGUSTUS.

Cyclus Epact.	Littera Dom.		Dies mensis.	
xxv, xxiv	c	*Kal.*	1	PETRI AD VINCULA, *duplex majus*, Comm. SS. Machab, Mart.
xxiij	d	iv	2	Alph. Mariæ de Lig., Ep. et Conf., *dupl.* Comm. S. Stephani, P. et M.
xxij	e	iij	3	Inventio S. Stephan. Protom., *semid.*
xxj	f	*Prid.*	4	Dominici, Conf., *dupl.*
xx	g	*Non.*	5	DEDIC. S. MARIÆ AD NIV., *dupl. maj.*
xix	A	viij	6	TRANSFIGURATIO DOMINI, *dupl. majus.* Comm. SS. Xysti, etc., Mart.
xviij	b	vij	7	Cajetani Thienæi, C., *dupl.*, Comm. S. Donati, Ep. et Mart.
xvij	c	vj	8	Cyriaci, Largi, et Smaragdi, Mart., *semid.*
xvj	d	v	9	Vigilia, Comm. S. Romani, Mart.
xv	e	iv	10	LAURENTII, MARTYRIS, *dupl.* 2 cl.
xiv	f	iij	11	De Oct. Comm. S. Tiburtii et Susannæ, Mart.
xiij	g	*Prid.*	12	Claræ, Virg., *dupl.* Comm. Oct.
xij	A	*Idib.*	13	De Oct. Comm. SS. Hippolyti et Cassiani, Mart.
xj	b	xix	14	De Oct. Comm. Vig. et S. Eusebii, Conf.
x	c	xviij	15	ASSUMPTIO B. M. V., *dupl.* 1 cl. * Dom. infra Oct. Ass. FESTUM S. JOACHIM, Conf., *dupl. maj.*
ix	d	xvij	16	Hyacinthi, Conf., *dupl.* Comm. Oct.
viij	e	xvj	17	Octava S. Laurentii, *dupl.* Comm. Oct. Assumpt.
vij	f	xv	18	De Oct. Comm. S. Agapiti, Mart.
vj	g	xiv	19	De Octava.
v	A	xiij	20	Bernardi, C. et D., *dupl.* Com. Oct.
iv	b	xij	21	Joannæ Franc., *dupl.* Com. Oct.
iij	c	xj	22	Oct. Assumpt. B. M., *dupl.* Comm. SS. Timothei, etc., Mart.
ij	d	x	23	Philippi Ben. C., *dupl.* Com. Vig.
j	e	ix	24	BARTHOL. APOST., *dupl.* 2 cl. *Rom.* 25.
*	f	viij	25	Ludov. Reg. Fr., *semid. Rom.* 26.
xxix	g	vij	26	Zephyrini, Papæ et Martyris.
xxviij	A	vj	27	Josephi Calasanctii, Conf., *dupl.*
xxvij	b	v	28	Augustini, Ep., Conf., et Doct., *dupl.* Comm. S. Hermetis, Mart.
xxvj	c	iv	29	DECOLLATIO S. JOANNIS BAPTISTÆ, *dupl. maj.* Com. S. Sabinæ, Mart.
xxv	d	iij	30	Rosæ, Virginis Limanæ, *dupl.* Com. SS. Felicis, etc., Mart.
xxiv	e	*Prid.*	31	Raymundi Nonnati, Conf., *dupl.*

SEPTEMBER.

Cyclus Epact.	Littera Dom.		Dies mensis.	
xxiij	f	*Kal.*	1	Ægidii, Abb. Comm. 12 Fratrum.
xxij	g	iv	2	Stephani, Regis, Conf., *semid.*
xxj	A	iij	3	
xx	b	*Prid.*	4	
xix	c	*Non.*	5	Laurentii Just., Ep. Conf., *semid.*
xviij	d	viij	6	
xvij	e	vij	7	
xvj	f	vj	8	NATIVITAS B. M. V., *dupl.* 2 cl. Comm. S. Adriani, Mart. * Dom. infra Oct. Festum SS. Nominis B. M., *dupl. maj.*
xv	g	v	9	De Oct. Comm. S. Gorgonii, Mart.
xiv	A	iv	10	Nicolai de Tolentino, C., *dupl.* Com. Oct.
xiij	b	iij	11	De Oct. Comm. SS. Proti, etc., Mart.
xij	c	*Prid.*	12	De Octava.
xj	d	*Idib.*	13	De Octava.
x	e	xviij	14	Exaltatio S. Crucis, *duplex majus*, Comm. Oct.
ix	f	xvij	15	Oct. Nativ. B. Mariæ, *dupl.* Comm. S. Nicomedis, Mart. * Domin. III Festum septem Dolorum B. M. V, *dupl. maj.*
viij	g	xvj	16	Cornelii et Cypriani, Pont. et Mart., *semid.* Comm. S. Euphemiæ, etc.
vij	A	xv	17	Impressio Stigm. S. Franc., *dupl.*
vj	b	xiv	18	Josephi a Cupertino, Conf., *dupl.*
v	c	xiij	19	Januarii, Ep. et soc. Mart., *dupl.*
iv	d	xij	20	Eustachii et sociorum, Mart., *dupl.* Comm. Vigiliæ.
iij	e	xj	21	Matthæi Ap. et Evang., *dupl.* 2 cl.
ij	f	x	22	Thomæ a Villanova, Ep. et Conf., *dupl.* Comm. SS. Mauritii et sociorum, Mart
j	g	ix	23	Lini, Papæ et Mart., *semid.* Comm., S. Theclæ, Virg. et Mart.
*	A	viij	24	B. M. de Mercede, *dupl. maj.*
xxix	b	vij	25	
xxviij	c	vj	26	Cypriani et Justinæ, Mart.
xxvij	d	v	27	Cosmæ et Damiani, Mart., *semid.*
25, xxvj	e	iv	28	Wenceslai, Ducis et Mart., *semid.*
xxv, xxiv	f	iij	29	Dedicatio S. Michaelis Arch., *dupl* 2 cl.
xxiij	g	*Prid.*	30	Hieronymi, Presb. et Doct., *dupl.*

OCTOBER.

Cyclus Epact.	Littera Dom.		Dies mensis.	
				* Dominica I Octobris, FESTUM SS. ROSARII B. M. V., *dupl. maj.*
xxij	A	*Kal.*	1	Remigii, Ep. et C., *sem. ad lib. vel simplex de præcepto. In Gallia, dupl.*
xxj	b	vj	2	Angelorum Custodum, *dupl.*
xx	c	v	3	
xix	d	iv	4	Francisci, Conf., *dupl.*
xviij	e	iij	5	Placidi et sociorum, Mart.
xvij	f	*Prid.*	6	Brunonis, Conf., *dupl.*
xvj	g	*Non.*	7	Marci, Pap. et Conf., Comm. SS. Sergii, etc., Mart.
xv	A	viij	8	Birgittæ, Viduæ, *dupl.*
xiv	b	vij	9	Dionysii, Rustici, et Eleutherii, M., *semid.*
xiij	c	vj	10	Francisci Borgiæ, Conf., *semid.*
xij	d	v	11	
xj	e	iv	12	
x	f	iij	13	Eduardi, Regis, Conf., *semid.*
ix	g	*Prid.*	14	Callisti, Papæ et Mart., *dupl.*
viij	A	*Idib.*	15	Teresiæ, Virginis, *dupl.*
vij	b	xvij	16	
vj	c	xvj	17	Hedwigis, Viduæ, *semid.*
v	d	xv	18	LUCÆ, EVANGELISTÆ, *dupl.* 2 cl.
iv	e	xiv	19	Petri de Alcantara, Conf., *dupl.*
iij	f	xiij	20	Joannis Cantii, Conf., *dupl.*
ij	g	xij	21	Hilarionis Abb. Comm. SS. Ursulæ et sociorum, Virg. et Mart.
j	A	xj	22	
*	b	x	23	
xxix	c	ix	24	
xxviij	d	viij	25	Chrysanthi et Dariæ, Mart.
xxvij	e	vij	26	Evaristi, Papæ et Mart.
xxvj	f	vj	27	Vigilia.
xxv	g	v	28	SIMONIS ET JUDÆ AP., *dupl.* 2 cl.
25, xxiv	A	iv	29	
xxiij	b	iij	30	
xxij	c	*Prid.*	31	Vigilia

NOVEMBER.

Cyclus Epact.	Littera Dom.		Dies mensis.	
xxj	d	*Kal.*	1	FESTUM OMNIUM SANCT., *dupl.* 1 cl.
xx	c	iv	2	Comm. omnium fidelium Defunct., *dupl.* et de Oct. omnium Sanctorum.
xix	f	iij	3	De Octava.
xviij	g	*Prid.*	4	Caroli, Ep. Conf., *dupl.* Comm. Oct. et SS. Vitalis, etc., Mart.
xvij	A	*Non.*	5	De Octava.
xvj	b	viij	6	De Octava.
xv	c	vij	7	De Octava.
xiv	d	vj	8	Oct. Omnium Sanctorum, *duplex.* Comm. SS. Quatuor Coronatorum, Mart.
xiij	e	v	9	Dedicat. Basilicæ SS. Salvat., *duplex.* Comm. S. Theodori, Mart.
xij	f	iv	10	Andreæ Avellini, Conf., *dupl.* Comm. S. Tryphonis, etc., Mart.
xj	g	iij	11	Martini, Ep. et Conf., *dupl.* Comm. S. Mennæ, Mart.
x	A	*Prid.*	12	Martini, Papæ et Mart., *semid.*
ix	b	*Idib.*	13	Didaci, Conf., *semid.*
viij	c	xviij	14	
vij	d	xvij	15	Gertrudis, Virg., *dupl.*
vj	e	xvj	16	
v	f	xv	17	Gregorii Thaumaturgi, Ep. et Conf., *semid.*
iv	g	xiv	18	Dedicatio Basilicarum Petri et Pauli. *dupl.*
iij	A	xiij	19	Elisabeth, Viduæ, *dupl.* Comm. S. Pontiani, Papæ et Mart.
ij	b	xij	20	Felicis de Valois, Conf., *dupl.*
j	c	xj	21	Præsentatio B. M. V., *dupl. maj.*
*	d	x	22	Cæciliæ, Virg. et Mart., *dupl.*
xxix	e	ix	23	Clementis, Papæ et Mart., *dupl.* Comm. S. Felicitatis, Mart.
xxviij	f	viij	24	Joannis a Cruce, C., *dupl.* Comm. S. Chrysogoni, Mart.
xxvij	g	vij	25	Catharinæ, Virg. et Mart., *dupl.*
25, xxvj	A	vj	26	Petri Alexandrini, Ep. et Mart.
xxv, xxiv	b	v	27	
xxiij	c	iv	28	
xxij	d	iij	29	Vig. Comm. S. Saturnini, Mart.
xxj	e	*Prid.*	30	Andreæ, Apost., *dupl.* 2 cl.

DECEMBER.

Cyclus Epact.	Littera Dom.		Dies mensis.	
xx	f	*Kal.*	1	
xix	g	iv	2	Bibianæ, Virg. et Mart., *semid.*
xviij	A	iij	3	Francisci Xaverii, Conf., *dupl.*
xvij	b	*Prid.*	4	Petri Chrysologi, Ep., Conf. et Doct., *dupl.* Comm. S. Barbaræ, Virg. et Mart.
xvj	c	*Non.*	5	Sabbæ Abbatis Comm.
xv	d	viij	6	Nicolai, Ep. et Conf., *dupl.*
xiv	e	vij	7	Ambrosii, Episc., Confess. et Doct., *dupl.*
xiij	f	vj	8	CONCEPTIO B. M. V., *dupl.* 2 cl.
xij	g	v	9	De Octava.
xj	A	iv	10	De Oct. Comm. S. Melchiadis.
x	b	iij	11	Damasi, P. et C., *semid.* Com. Oct.
ix	c	*Prid.*	12	De Octava.
viij	d	*Idib.*	13	Luciæ, V. et M. *dupl.* Comm. Oct.
vij	e	xix	14	De Octava
vj	f	xviij	15	Octava Conceptionis, *dupl.*
v	g	xvij	16	Eusebii, Ep. et Mart., *semid.*
iv	A	xvj	17	
iij	b	xv	18	
ij	c	xiv	19	
j	d	xiij	20	Vigilia.
*	e	xij	21	THOMÆ APOST., *dupl.* 2 cl.
xxix	f	xj	22	
xxviij	g	x	23	
xxvij	A	ix	24	Vigilia.
xxvj	b	viij	25	NATIVITAS D. N. JESU CHRISTI, *dupl.* 1 cl.
25, xxv	c	vij	26	STEPHANI PROTOMARTYRIS, *dupl.* 2 cl. Comm. Octav.
xxiv	d	vj	27	JOANNIS APOST. ET EVANG., *dupl.* 2 cl. cum Comm. Octav.
xxiij	e	v	28	SS. INNOCENTIUM, *dupl.* 2 cl. Comm. Octav.
xxij	f	iv	29	Thomæ Cantuariensis, Ep. et Mart., *semid.* Comm. Octav.
xxj	g	iij	30	De Domin., infra Oct. Nativ. vel de Oct., cum Comm. Octav.
19, xx	A	*Prid.*	31	Silvestri, Papæ et C., *dupl.* Comm. Octav.

Hæc Epacta 19, *numquam est in usu, nisi quando eodem anno concurrit cum Aureo numero* xix.

PARS TERTIA.

RUBRICÆ GENERALES BREVIARII,

QUIBUS ANNECTUNTUR NONNULLÆ RUBRICÆ SPECIALES E CORPORE BREVIARII EXCERPTA.

SECTIO PRIMA.

RUBRICÆ GENERALES BREVIARII.

Officium quotidie fit aut Duplex, aut Semiduplex, aut Simplex.

1. *De Officio Duplici.*

Officium fit Duplex in diebus a Feria quinta in Cœna Domini usque ad Feriam tertiam Paschæ inclusive, in Dominica in Albis, in Ascensione Domini, in Dominica Pentecostes, et duobus diebus sequentibus : in festo Trinitatis, Corporis Christi, et Dedicationis propriæ Ecclesiæ : in Festis, quibus in Kalendario apponitur hæc vox Duplex : in die octava festi habentis octavam, in festo Patroni unius vel plurium alicujus loci, vel Titularis Ecclesiæ ; et in festis Sanctorum, qui apud quasdam Ecclesias, Religiones, vel Congregationes consueverunt solemniter celebrari cum Officiis propriis a Sede Apostolica approbatis, aut ex ejusdem Sedis auctoritate receptis, vel recipiendis (servata forma hujus Breviarii), alioquin de Communi, etiam si prædicta Festa in hoc Kalendario non sint descripta. Præterea Officium fit Duplex pro Defunctis in Commemoratione omnium fidelium Defunctorum, et in die obitus, seu depositionis Defuncti, ut in eodem Officio dicitur, circa finem Breviarii.

2. Festum Duplex celebratur eo die quo cadit, nisi illud contingat transferri, ut dicitur in Rubrica de translatione Festorum.

3. Habet primas, et secundas Vesperas integras, nisi cum alio simili concurrat, ut dicetur in Rubrica de Concurrentia Officii : et totum Officium fit de Duplici incipiendo a primis Vesperis, usque ad Completorium sequentis diei inclusive, nisi aliter in propriis locis assignetur. Officium autem Defunctorum habet tantum primas Vesperas, Matutinum, et Laudes, ut circa finem Breviarii ponitur.

4. In utrisque Vesperis, Matutino, et Laudibus tantum, non autem in aliis Horis duplicantur Antiphonæ, id est, integræ dicuntur in principio, et in fine Psalmorum.

5. Ad Matutinum regulariter dicuntur tres Nocturni, cum novem Psalmis, et totidem Lectionibus, hoc est, in in unoquoque Nocturno tres Psalmi, et tres Lectiones, præterquam in Paschate Resurrectionis, et Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, in quibus dicitur unum tantum Nocturnum cum tribus Psalmis, et totidem Lectionibus, ut ibidem ponitur.

6. Preces ad Primam, et Completorium, et Suffragia de S. Maria, Apostolis, et Pace ad Vesperas, et Laudes, non dicuntur in Officio Duplici, ut etiam in propriis eorum Rubricis dicetur.

7. Quomodo sit ordinandum Officium Duplex in Vesperis, Matutino, et ceteris Horis : similiter et de Antiphonis, Responsoriis, Versibus, Capitulis, et aliis in eo dicendis, habentur inferius de singulis propriæ Rubricæ.

II. *De Officio Semiduplici.*

Officium fit Semiduplex diebus Dominicis (excepta Dominica in Albis, in qua fit Duplex) et diebus infra Octavas; item in festis, quibus in Kalendario ponitur hæc vox, Semiduplex, et in Festis propriis quorumdam locorum, seu Congregationum, quæ solemnius apud illas, quam Simplicia, consueverunt celebrari.

2. De festo Semiduplici fit eo die quo cadit, nisi con-

tingat transferri, ut dicetur in Rubrica de Translatione Festorum.

3. Habet totum Officium integrum sicut Duplex, sed non duplicantur Antiphonæ.

4. Ad Matutinum dicuntur tres Nocturni, præterquam infra Octavas Paschæ et Pentecostes, in quibus dicitur unum Nocturnum cum tribus Psalmis, et totidem Lectionibus; et regulariter quando dicuntur tres Nocturni, dicuntur novem Psalmi, et totidem Lectiones, exceptis iis Dominicis, in quibus fit Officium ut in Psalterio, quæ habent xviij Psalmos, ut ibi.

5. Quomodo sit ordinandum Officium Semiduplex tam in festis, quam in Dominicis, et infra Octavas item et de Antiphonis, Versibus, Responsoriis, et hujusmodi aliis, et quando in Semiduplici dicantur Preces ad Primam, et Completorium, et Suffragia de Sanctis ad Vesperas, et Laudes, habentur inferius de singulis propriæ Rubricæ.

III. *De Officio Simplici.*

OFFICIUM fit Simplex in diebus Ferialibus, quando occurrit fieri de Feria : item in Festis, quibus in Kalendario non apponitur hæc vox, Duplex, vel Semiduplex, vel de Octava : Item quando fit de B. Maria in Sabbato, ut in ejus Rubrica dicetur.

2. De Festo Simplici fit eo die quo cadit, nisi eodem die occurrat fieri Officium novem Lectionum, vel de S. Maria in Sabbato, vel de aliquibus feriis, quibus festum Simplex cedit, ut dicetur in Rubricis de Feriis, et de Commemorationibus.

3. Habet tantum primas Vesperas, in quibus dicuntur Psalmi feriales, et a Capitulo fit de festo, nisi cum eo concurrat Officium novem Lectionum, quia tunc de eo fit sola commemoratio, ut dicetur in Rubrica de Concurrentia Officii : et ejus Officium terminatur ad Nonam, et nihil amplius fit de eo, nec commemoratio.

4. Ad Matutinum post Invitator. et Hymnum de festo, dicitur unum tantum Nocturnum cum duodecim Psalmis, ut in Psalterio, secundum feriam quæ occurrit : et tres Lectiones leguntur, ut infra in Rubrica de Lectionibus habetur.

5. Quomodo sit ordinandum Officium Simplex ad Vesperas, Matutinum et alias Horas, item et de Antiphonis, Versibus, Responsoriis, et aliis, ac quando Preces, et Suffragia de Sanctis dicenda sint, habentur inferius propriæ Rubricæ.

IV. *De Dominicis.*

De Dominica semper fit Officium in Dominicis Adventus et in Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam in Albis inclusive, quocumque festo Duplici, vel Semiduplici adveniente : quia tunc festum transfertur (ut in Rubrica de Translatione Festorum dicetur) nisi illud festum sit de principali Titulo, vel Patrono alicujus Ecclesiæ, vel loci, aut Dedicatione propriæ Ecclesiæ; quia tunc de hujusmodi festo fit tantum in Ecclesia, vel loco, cujus es Titulus, vel Patronus vel Dedicatio, cum commemoratione Dominicæ; quibusdam Dominicis exceptis, ut dicetur in Rubrica de Commemorationibus. In aliis Dominicis per annum fit de Dominica, quando in eis non occurrit festum Duplex : quia tunc fit de Duplici, cum commemor. Dominicæ in utrisque Vesperis et Laudibus, et ad Matutinum legitur nona Lectio de Homilia Dominicæ, ut dicetur in Rubrica de Commemorationibus. Si Semiduplex eodem die occurrat, transfertur, ut dicetur in Rubricis de Translatione Festorum.

2. De Dominica infra Octavas Nativitatis, Epiphaniæ, Ascensionis, et Corporis Christi occurrentibus, Officium fit sicut infra Octavam, et in Proprio de Tempore, cum commemor. Octavæ, et sine Precibus, et Suffragiis Sanctorum. In Dominicis vero, quæ occurrunt infra alias

Octavas; totum Officium fit de Dominica, ut in Psalterio, et in Proprio de Tempore, cum commemoratione Octavæ, omissis etiam dictis Precibus, et Suffragiis ut supra. De Dominica occurrente in die Octava fit commemoratio sicut dictum est, quando in ea fit de festo Duplici, præterquam in die Octava Epiphaniæ, in qua nihil fit de Dominica, quia ejus Officium ponitur in Sabbato præcedenti.

3. Positum est autem officium sex Dominicarum post Epiphaniam, et viginti quatuor post Pentecosten, ut compleatur numerus triginta Dominicarum, quæ esse possunt ab Epiphania usque ad Septuagesimam, et a Pentecoste usque ad Adventum; ne ulla ex his Dominicis vacet, quin saltem de ea fiat commemoratio. Nam quæ aliquando supersunt post Epiphaniam ante Septuagesimam, ponuntur post xxiij a Pentecoste, hoc ordine.

4. Si Dominicæ post Pentecosten fuerint xxv, Dominica xxiv post Pentecosten erit quæ est vj post Epiphaniam. Si fuerint xxvj, Dominica xxiv erit quæ est v et xxv quæ est vj. Si fuerint xxvij, Dominica xxiv erit quæ est iv, xxv quæ est v, et xxvj erit vj. Si fuerint xxviij, Dominica xxiv erit iij, et xxv erit iv, et xxvj erit v, et xxvj erit vj, et ultimo loco semper ponitur quæ in ordine est xxiv post Pentecosten, etiam si post Pentecosten aliquando non sint nisi xxiij Dominicæ. Tunc enim xxiv ponitur loco xxiij et officium xxiij ponitur in præcedenti Sabbato, quod non sit impeditum festo ix Lectionum; alioquin in alia præcedenti die similiter non impedita, in qua fiat Officium de Feria, cum commemoratione festi Simplicis, si occurrat; et in ea legantur tres Lectiones de Homilia Dominicæ, omissis Lectionibus Scripturæ illius feriæ: et in Laudibus dicatur Antiphona ad Benedictus, et Oratio de Dominica xxiij. Quod si tota Hebdomada impedita sit festis ix Lectionum etiam translatis, vel aliqua Octava, tunc in Sabbato legatur ix Lectio de Homilia Dominicæ xxiij et de ea fiat

commemoratio in Laudibus tantum, cum Antiphona, et Oratione propria.

5. Cum vero interdum contingat, ut Dominica tertia, vel quarta, vel quinta, vel sexta post Epiphaniam supersit, nec possit poni etiam post xxiij a Pentecoste, tunc de ea fit officium in Sabbato ante Dominicam Septuagesimæ, ut dictum est supra numero præcedenti.

6. De Dominica secunda post Epiphaniam, quando Septuagesima venerit immediate post Octavam Epiphaniæ, quomodo agendum sit Officium, habetur in propria Rubrica ante Dominicam primam post Epiphaniam.

7. Cum autem in Proprio de Tempore dicitur aliqua Dominica esse prima mensis, in qua primo ponitur initium libri de Scriptura cum sua historia, id est, cum Responsoriis, animadvertendum est, eam dici primam Dominicam mensis, quæ venit in Kalendis illius mensis, vel est proximior Kalendis, hoc modo : Si Kalendæ venerint in ij et iij et iv Feria, Dominica prima mensis erit quæ præcedit Kalendas, licet veniat in præcedenti mense : si autem Kalendæ venerint in v et vj Feria, et Sabbato, prima Dominica erit quæ sequitur post ipsas Kalendas. Dominica autem prima Adventus non sumitur ea, quæ est proximior Kalendis Decembris, sed festo S. Andreæ, vel quæ venerit in ipso festo.

8. Officium Dominicæ fit Semiduplex, et incipit a primis Vesperis in Sabbato : et habet totum Officium integrum usque ad Completorium Dominicæ inclusive, nisi cum aliquo concurrat, ut dicitur in Rubrica de Concurrentia Officii.

9. Ad Matutinum dicuntur tres Nocturni cum Psalmis, ut in Psalterio ; et leguntur novem Lectiones, ut in Proprio de tempore.

10. Quomodo autem sit ordinandum ejus Officium, insuper et de Lectionibus, Responsoriis, et aliis, et quo-

modo initia librorum Scripturæ cum sua historia sint ponenda, habentur de singulis inferius propriæ Rubricæ.

V. *De Feriis.*

OFFICIUM Feriale, hoc est. Simplex de Tempore occurrenti, prout in Psalterio, et Proprio de Tempore habetur, fit semper in feriis Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Vigiliarum, et in feria secunda Rogationum, quando infra Hebdom. non occurrit festum Duplex, vel Semiduplex, vel de Octava : quia tunc de hujusmodi feriis fit commem. ut dicetur in Rubr. de Commemorationibus. Si vero in eis occurrat festum Simplex, de eo fit tantum commem. Item per annum fit Officium de feria illis diebus, quibus infra Hebdomadam in Kalendario non ponitur aliquod festum Duplex, Semiduplex, vel Simplex, et non occurrit aliqua Octava, vel Officium S. Mariæ in Sabbato, vel aliquod festum solemne, aut consuetum in aliqua Ecclesia celebrari, quamvis in Kalend. hujus Breviarii non sit descriptum.

2. Officium feriæ in Adventu, Quadragesima, Quatuor Temporibus, Vigiliis, et prima die Rogationum, incipi a Matutino : in aliis vero feriis per annum, inde fit de Feria, ubi desinit Officium præcedentis diei; ita ut si præcedenti die fuerit Duplex, vel Semiduplex, Officium Feriæ incipiat sequenti die a Matutino : si præcedenti die fuerit festum Simplex, de feria fiat a Vesperis illius præcedentis diei inclusive. Similiter et quando in feria iv et vj Quatuor Temp. Septembris, et in feria iv Cinerum, ac in Vigiliis occurrit aliquod festum Simplex, de quo fieri debet commemoratio, tunc præcedenti die (nisi fuerit festum ix Lectionum) in Vesperis fit de feria, ut in Psalterio. sine Precibus, cum Oratione Dominicæ præcedentis, et cum commemoratione festi trium Lectionum in sequenti feria occurrentis, ut dicetur infra in Rubrica de Concurrentia. Terminatur autem Officium de feria, subsequente

Duplici, vel Semiduplici, ad Nonam : subsequente vero Simplici, de quo fieri debeat Officium, ad Capitulum Vesperarum, quia inde fit de festo Simplici, absque ulla deinceps commemoratione feriæ.

3. Ad Matutinum dicitur unum tantum Nocturnum cum xij Psalmis, secundum ordinem Feriarum in Psalterio, et tribus Lectionibus, ut in Proprio de Tempore.

4. Excipiuntur ab hoc ordinario Officii ferialis tres feriæ majores Hebdomadæ sanctæ, et feriæ Octavarum Paschæ, et Pentecostes, in quibus fit officium, ut in propriis locis ponitur.

5. Quomodo ordinandum sit Officium de Feria ad Matutinum, et alias Horas, item de Lectionibus, et Responsoriis, et quando dicendæ sint Preces feriales, ac de aliis quæ ad Officium feriæ pertinent, habentur inferius de singulis propriæ Rubricæ.

VI. *De Vigiliis.*

De Vigilia fit Officium in omnibus Vigiliis per annum quæ jejunantur, ubi in Kalendario annotatur hæc vox, Vigilia : nisi in die Vigiliæ occurrat festum ix Lectionum vel Octava : tunc enim in Officio ix Lectionum legitur nona Lectio de Homilia Vigiliæ, et fit commemoratio de ea ad Laudes tantum, cum Antiphona ad Benedictus, et ℣. feriæ occurrentis de Psalterio, et Oratione Vigiliæ ; præterquam in illis festis majoribus, quæ inferius excipiuntur.

2. Si Vigilia occurrat in Dominica, de ea fit Officium in Sabbato, quod non sit impeditum officio ix Lectionum : quia tunc de Vigilia fit tantum commem. ut dictum est. Excipitur ab hac regula Vigilia Nativitatis, et Epiphaniæ Domini : quæ si venerint in Dominica, fit de illis, ut in propriis Rubricis dicitur. Si autem in Vigilia occurrat festum solemne alicujus loci, vel ex solemnioribus infra annum, quæ inferius in Rubrica de Commemorationibus numerantur (veluti si in Vigilia S. Joannis Baptistæ vene-

rit festum Corporis Christi) nihil tunc prorsus, nec commemoratio fit de Vigilia, excepta Vigilia Epiphaniæ. Idem servetur quando aliqua Vigilia venerit in Adventu, Quadrages., et Quatuor Temporibus : nulla enim in his feriis de Vigilia fit commem.

3. Officium Vigiliæ incipit ad Matutinum, sicut dictum est, in superiori Rubrica de Feriis : terminatur autem ad Nonam, quia Vesperæ sunt de sequenti festo.

4. Officium Vigiliæ totum fit de feria occurrenti, ut in Psalterio : et tres Lectiones leguntur de Homilia in Evangelium Vigiliæ, ut in propriis locis assignatur, cum tribus Responsoriis de Feria occurrenti, ordine in Rubrica de Responsoriis descripto. Dicuntur Preces feriales, et Commemorationes communes, aliaque omnia sicut in feriis Adventus, Quadragesimæ, et Quatuor Temporum; de quibus et de aliis circa ordinandum ejus Officium habentur inferius propriæ Rubricæ.

5. Excipitur ab hoc ordinario Vigiliarum quæ jejunantur, Vigilia Pentecostes, quæ cum tribus Nocturnis sub Officio Semiduplici celebratur, ut ibi; et Vigilia Nativitatis Domini, quæ Nocturno feriæ excepto, in Laudibus et Horis habet reliquum Officium Duplex. In Vigiliis vero Epiphaniæ et Ascensionis, quæ non jejunantur, fit Officium, ut in propriis locis notatur.

VII. *De Octavis.*

De Octava fit Officium, vel saltem commemor. (quando aliquo festo, vel Dominica impeditur) per octo dies continuos. Fit de Octava in Paschate Resurrectionis, in Ascensione Domini, in Pentecoste, in festo Corporis Christi, in Festis, quibus in Kalendario apponitur Octava, item in Festo Dedicationis propriæ Ecclesiæ, et in festo principalis Patroni, et Titularis loci, vel Ecclesiæ, et in festis aliorum Sanctorum, quæ apud quasdam Ecclesias, Congregationes, et Religiones consueverunt solemniter cum

Octavis celebrari : nisi illa Festa venerint in Quadragesima, quo tempore omittitur Officium cujuscumque Octavæ. Quod si aliquod Festum, quod celebrari solet cum Octava, paulo ante Quadragesimam venerit, et jam per aliquot dies factum sit Officium de ejus Octava, adveniente Quadragesima nihil amplius fit de ea, nec commemoratio. Et idem servetur de Octavis nondum absolutis, quando supervenit Festum Pentecostes, et dies 17 Decembris.

2. In Pascha Resurrectionis, et Pentecostes Officium octavæ terminatur in Sabbato sequenti ad Nonam.

3. Infra Octavas fit de festis Duplicibus, et Semiduplicibus occurrentibus, ac etiam translatis, ut dicetur infra de Translatione Festorum num. 5 cum commemoratione Octavæ : nisi illa festa sint de solemnioribus enumeratis in sequenti Rubrica de Commemorationibus, in quibus nulla fit commem. de Octava, exceptis Octavis Nativitatis, Epiphaniæ, et Corporis Christi, de quibus fit semper commem. quocumque Festo in illis occurrente. Infra Octavas autem Paschæ et Pentecostes non fit de Festo aliquo, etiam principali Patrono, vel Titulari Ecclesiæ, vel Dedicatione ejusdem, sed transfertur post Octavam. Infra Octavam Epiphaniæ fit tantum de Patrono, vel Titulari Ecclesiæ, et Dedicatione ejusdem (non tamen in die Octava), cum commemor. Octavæ. Infra Octavam Corporis Christi fit tantum de Duplicibus, non tamen translatis, cum commemoratione Octavæ : de Semiduplicibus vero infra eam non fit, sed transferuntur post Octavam, ut dicetur in Rubrica de Translatione Festorum. De Simplicibus infra quascumque Octavas occurrentibus fit tantum commemoratio, præterquam in duobus diebus post Pascha, et Pentecosten, ut dicitur in sequenti Rubrica de Commemorationibus. De Dominicis infra Octavas occurrentibus fit Officium, ut dictum est supra in Rubrica de Dominicis. Si duæ Octavæ simul occurrant (ut Octava sancti Joannis Baptistæ, et Octava Corporis Christi, vel Octava Patroni,

vel Titularis Ecclesiæ cum alia Octava), quando non erunt celebranda Festa ix Lectionum, vel dies Dominicus, fiet Officium de digniori, cum commem. alterius. De die autem Octava cujuscumque Festi fit totum Officium Duplex, cum commemoratione diei infra aliam Octavam. De Festis occurrentibus in die Octava servetur quod dicitur in Rubrica de Translatione Festorum.

4. Officium de Octava fit cum tribus Nocturnis, novem scilicet Psalmis, et ix Lectionibus (exceptis Octavis Paschæ, et Pentecostes, in quibus fit cum uno Nocturno, ut suis locis ponitur), et omnia dicuntur sicut in die Festi, præter Lectiones : quarum primæ tres semper sunt de Scriptura occurrente in Officio de Tempore, præterquam infra Octavam Assumptionis beatæ Mariæ, in qua singulis diebus positæ sunt Lectiones propriæ de Canticis canticorum : aliæ Lectiones secundi et tertii Nocturni dicuntur quæ infra Octavam positæ sunt. Infra Octavam vero Patroni, vel Titularis Ecclesiæ, aut alterius Festi quod in aliquibus Ecclesiis consuevit cum Octava celebrari, si apud illas Ecclesias non habentur propriæ, et approbatæ Lectiones, pro secundo, et tertio Nocturno infra Octavam, repetantur Lectiones positæ in Communi Sanctorum, si de Sanctis fiat Octava, alioquin Lectiones diei Festi.

5. Infra Octavam Officium fit Semiduplex, in die Octavæ Duplex. In Vesperis infra Octavam omnia dicuntur sicut in ij Vesperis Festi, nisi aliter in propriis locis notetur.

6. Infra Octavas non fiunt Suffragia consueta de Sanctis, nec dicuntur Preces ad Primam, et Completorium, etiam si fiat Officium de Dominica, vel Festo Semiduplici. In aliis, quomodo sit ordinandum Officium de Octava, habentur inferius propriæ Rubricæ.

VIII. *De Officio sanctæ Mariæ in Sabbato.*

In omnibus Sabbatis per annum extra Adventum et Quadragesimam, ac nisi Quatuor Tempora aut Vigiliæ occurrant, vel nisi fieri debeat de Feria propter Officium alicujus Dominicæ aliquando infra Hebdomadam ponendum, ut in Rubrica de Dominicis dictum est; et nisi fiat Officium ix Lectionum, vel de Octava Paschæ, et Pentecostes, semper fit Officium de S. Maria, eo modo quo fit de festo Simplici, quemadmodum circa finem Breviarii disponitur. De Festo autem Simplici in Sabbato occurrente fit tantum commemoratio.

2. Cum vero supradictis diebus fieri non potest Officium de sancta Maria, nulla etiam fit commemoratio de ea propter Sabbatum, sed tantum in Semiduplicibus (quando ejus Officium parvum non dicitur) fit consueta ejus commemoratio per annum cum aliis Suffragiis positis in Psalterio post Vesperas Sabbati.

3. Ejus Officium in Sabbato incipit Feria vj ad modum festi Simplicis, a Capitulo, et terminatur ad Nonam Sabbati. Si autem Feria vj occurrat Officium novem Lectionum, in Vesperis fit tantum commemoratio de S. Maria cum Antiphona, Versu, et Oratione, quæ habentur in Officio ejus in Sabbato, nisi illud Officium ix Lectionum sit de eadem B. Maria, quia tunc nulla alia commemoratio de ea facienda est.

4. Ad Matutinum post Invitatorium, et Hymnum de S. Maria, dicitur unum Nocturnum cum xij Psalmis Ferialibus, ut in Psalterio, Versus de S. Maria, prima et secunda Lectio ex Scriptura de Tempore occurrenti; tertia Lectio, et alia omnia tam in Matutino, quam in Laudibus et Horis, ut in Officio S. Mariæ in Sabbato assignantur.

5. Dicuntur Preces Dominicales ad Primam et Completorium, et fiunt suffragia consueta de Apostolis et Pace, et tempore Paschali sola commemoratio de Cruce, ut in secunda Feria post Octavam Paschæ. Post Nonam nihil fit

de ea, nisi consueta ejus commemoratio cum aliis suffragiis, quando dicenda sunt in Officio de Dominica.

IX. *De Commemorationibus.*

COMMEMORATIONES fiunt de Festis Simplicibus, quando in eorum diebus incidit Festum ix Lectionum etiam translatum, vel Dominica, vel Octava, vel Sabbatum, et quando fieri debet de Feria, ut ponatur Officium alicujus Dominicæ, quæ eo anno supersit.

2. De Feriis Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Vigiliarum, et secunda Rogationum fit commemoratio, quando Festum novem Lectionum in illis Feriis occurrit. Si simplex Festum in eisdem Feriis occurrat, Officium fit de Feria, et commemoratio de Festo Simplici.

3. Præterea fit commemoratio de Dominicis a Pentecoste usque ad Adventum, et ab Epiphania usque ad Septuagesimam, et a Dominica in Albis usque ad Pentecosten exclusive quando Festo Duplici impediuntur. De aliis Dominicis nulla fit commemoratio occurrente Festo Duplici, quia festum in illis occurrens transfertur; nisi illud Festum fuerit principalis Patroni, vel Tituli, aut Dedicationis ipsius Ecclesiæ, non autem alicujus Capellæ, vel Altaris ejusdem Ecclesiæ; et tunc de hujusmodi principali Festo fit tantum in eo loco, vel Ecclesia, cujus est Patronus, vel Titulus, aut Dedicatio, cum commemoratione Dominicæ, excepta Dominica prima Adventus, Dominica prima Quadragesimæ, Dominica Passionis, Dominica Palmarum, Dominica Paschæ, Dominica in Albis, ac Dominica Pentecostes, et Trinitatis : in quibus hujusmodi occurrens Festum transfertur in sequentem diem similiter non impeditam : dummodo non fuerit infra majorem Hebdomadam et per Octavam Paschæ et Pentecostes : quibus diebus non fit de aliquo festo Duplici occurrente.

4. De Octava etiam, quando Festo ix Lectionum, vel Dominica impeditur, fit commemoratio, nisi illud Festum

ix Lectionum fuerit solemne principale alicujus loci, ut supra. Nam in primis Vesperis, et Laudibus hujusmodi Festi nulla fit commemoratio festi Simplicis occurrentis, nec alicujus Vigiliæ (excepta Vigilia Epiphaniæ), nec alicujus diei infra Octavam, nec alicujus præcedentis Festi ix Lectionum (nisi id Festum fuerit ex iis, quæ infra in hac eadem Rubrica enumerantur) nec diei Octavæ, nec Dominicæ, si Festum illud solemne celebretur Feria secunda, exceptis Dominicis Adventus, et Dominicis a Septuagesima usque ad Octavam Paschæ inclusive, de quibus Dominicis, sicut etiam de Feriis Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, et secundæ Rogationum, semper fit commemoratio quocumque festo adveniente. Quod si hujusmodi Festum solemne venerit in quacumque Dominica, fit commemoratio de ea in utrisque Vesperis et Laudibus. Et similiter si occurrat in die Octava alicujus Festi habentis Octavam, de ea fiet commemoratio etiam in utrisque Vesperis, et Laudibus. In secundis autem Vesperis Festi prædicti fit commemoratio de Duplici, Semiduplici, et Dominica sequentibus, et non de aliis.

5. Idem servatur in quibusdam Festis majoribus per annum, scilicet in Nativitate Domini (in cujus Officio nulla fit commemoratio de S. Anastasia, sed in secunda tantum Missa) in Epiphania, in Pascha Resurrectionis cum tribus proxime antecedentibus, et duobus sequentibus diebus, in Ascensione Domini, in Pentecoste cum duobus sequentibus diebus, in festo Corporis Christi, in festis Nativitatis S. Joannis Baptistæ, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et Assumptionis B. Mariæ, in festo omnium Sanctorum, et in festo Dedicationis propriæ Ecclesiæ, in quibus Festis fiunt commemorationes eo modo tantum, quo dictum est supra de festo solemni alicujus loci.

6. In festis autem secundi ordinis, videlicet, Circumcisionis, Trinitatis, Conceptionis, Purificationis, Annuntiationis, et Nativitatis B. Mariæ, in Natalitiis xij Aposto-

lorum, et Evangelistarum, in festo S. Joseph, in festo Inventionis S. Crucis, et in festo S. Laurentii, et Dedicationis S. Michaelis Archangeli, in primis Vesperis fit commemoratio Festi Duplicis eo die celebrati, nisi aliter in propriis locis notetur : de Dominica vero, de die infra Octavam, et de Festis Semiduplicibus non fit commemoratio, eo modo quo nec in festo solemni alicujus loci, ut dictum est supra. De Simplicibus, et Vigiliis in his festis occurrentibus legitur ix Lectio, et fit commemoratio in Laudibus tantum. In secundis autem Vesperis fit commemoratio de quocumque sequenti festo, etiam Simplici, et de die infra Octavam, si de ea fieri debeat Officium die sequenti. De Octavis Nativitatis Domini, Epiphaniæ, et Corporis Christi, semper fit commemoratio in utrisque Vesperis, et Laudibus, quandocumque contigerit infra illas de aliquo alio festo Officium celebrari juxta Rubricam de Octavis num. 3.

7. De Dominicis, et feriis Adventus, et Quadragesimæ commemoratio fit in utrisque Vesperis, et Laudibus. De Feriis Quatuor Temporum, Vigiliarum, et secunda Rogationum, quando de illis commemoratio fieri debet, fit in Laudibus tantum. De festis autem Simplicibus (nisi in diebus supradictis occurrant) commemoratio fit in primis Vesperis, et Laudibus eo die quo in Kalendario assignantur. De aliis vero Dominicis per annum, et Octavis, commemoratio fit in utrisque Vesperis, et Laudibus, nisi concurrant cum supra enumeratis Festis.

8. Commemorationes fiunt hoc modo. Post Orationem diei, in primis Vesperis dicitur Antiphona, quæ posita est ad Magnificat : et in Laudibus quæ posita est ad Benedictus in Communi (si propriam non habuerit) conveniens ejus Officio, cujus fit commemoratio : post Antiphonam dicitur Versus, inde sumendus, unde sumpta est Antiphona, scilicet post Hymnum Vesperarum, et Laudum, deinde dicitur Oratio. Si Antiphona, et Versus festi, de quo fit commemoratio, sumenda essent ex eodem Communi,

unde sumpta sunt in Officio diei, in festo Commemorationes variantur, ita ut in Vesperis sumantur ex Laudibus, et in Laudibus ex primis Vesperis ejusdem Communis, nisi aliter signetur. Et similiter si in secundis Vesperis sanctæ Agathæ, aut alterius Sanctæ novem Lectionum fieri debeat commemoratio B. Mariæ pro ejus Officio in sequenti Sabbato celebrando, ne repetatur ℣. *Diffusa est gratia*, dicatur ℣. *Benedicta tu*, ex Laudibus. Si item occurrat, ut eadem sit Oratio festi, de quo fit Officium, et ejus de quo fit commemoratio mutetur Oratio pro commemoratione in aliam de Communi. Si de Tempore fiat commemoratio de Dominica scilicet, vel feria, Antiphona, et Versus ante Orationem eodem modo sumantur ex Proprio de Tempore, si habuerit proprium : alioquin de Psalterio : Oratio vero ex Proprio de Tempore.

9. Quando fit commemoratio de Dominica vel feria, quæ habent propriam Homiliam, ix Lectio in Officio diei novem Lectionum legitur de Homilia Dominicæ, vel feriæ, quæ erit vel prima de Homilia, vel tres simul in una Lectione conjunctæ.

10. Si in die, in quo fit Officium novem Lectionum, fiat commemoratio de Festo trium Lectionum, nona Lectio legitur de festo trium Lectionum si propriam habuerit, si duas, ex duabus fiat una Lectio, quæ sit nona in Officio novem Lectionum. Quæ Lectio de Sancto non legitur, quando de eo fit commemoratio in Dominicis, quæ habent nonum Responsorium, nec quando nona Lectio legenda est de Homilia Dominicæ, vel Feriæ, ut supra, nec in Feriis, et aliis diebus, quando in Officio diei leguntur tantum tres Lectiones : nec etiam nona Lectio legitur de die infra Octavam, quando de ea fit commemoratio in Dominica vel aliquo Festo, licet habeat Evangelium proprium, et Homiliam.

11. Quando contigit fieri plures commemorationes, servetur hic ordo. De Duplici fiat ante Dominicam, de Dominica ante Festum Semiduplex, de Semiduplici ante diem

infra Octavam de die infra Octavam ante ferias Adventus, Quatuor Temporum, Vigiliarum, et Rogationum, et de dictis feriis ante Festum Simplex. De Sancta Maria (quando in secundis Vesperis festi novem Lectionum, quod Feria vj celebratum sit, de ea fieri debet commemoratio pro Officio sequentis Sabbati) fiat ante Festum Simplex in Sabbato occurrens. De festo Simplici fit commemoratio ante Suffragia, seu Communes commemorationes de Cruce, sancta Maria, Apostolis, et Pace, et ante commemorationem cujuscumque Tituli, vel Patroni Ecclesiæ, quæ etiam pro sui dignitate aliis Suffragiis prædictis præponeretur. De quibus Suffragiis, quomodo et quando facienda sint, habetur inferius propria Rubrica.

X. *De Translatione Festorum.*

Si aliquod Festum Duplex occurrat in Dominicis Adventus, et in Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam in Albis inclusive, in Vigilia Nativitatis Domini, in die Circumcisionis, in tota Octava Epiphaniæ, in feria quarta Cinerum, in tota majori Hebdomada, et infra Octavam Paschæ, in Ascensione Domini, in diebus a Vigilia Pentecostes usque ad festum Trinitatis inclusive, in festo Corporis Christi, et ejus die Octava, in festo Assumptionis B. Mariæ Virginis, et omnium Sanctorum; transfertur in primam diem festo Duplici, vel Semiduplici non impeditam : exceptis tamen festis Nativitatis S. Joannis Baptistæ, et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, quæ in die Octava Corporis Christi celebrantur : excepto quoque festo quocumque solemni alicujus loci, quod in propria tantum Ecclesia, etiam in aliquibus ex supradictis diebus occurrens, scilicet, in Dominicis ij, iij et iv Adventus, et Quadragesimæ, Dominica Septuagesimæ, Sexagesimæ et Quinquagesimæ, et diebus infra Octavam Epiphaniæ (ut in Rubrica de Commemorationibus dictum est) celebratur. Si autem festum Nativitatis S. Joannis Baptistæ venerit in

die Corporis Christi, transfertur in sequentem diem, cum commemoratione Octavæ, et in secundis Vesperis Corporis Christi fit tantum commemoratio S. Joannis : sequentibus autem diebus fit Officium de eadem Octava Corporis Christi, cum commemoratione Octavæ S. Joannis. Dies autem Octava S. Joannis tunc veniens in die Octava Corporis Christi, non transfertur, sed de illa eo anno fit tantum commemoratio in utrisque Vesperis, et Laudibus diei Octavæ Corporis Christi; et id semper servetur quando festum habens Octavam transfertur, ut non ideo dies Octava transferatur, sed ipsa die de ea fiat commemoratio quæ alias erat Octava, si festum non fuisset translatum. Quod si festum post totam suam Octavam transferri contigerit, illo anno celebretur sine Octava : nisi Titularis Ecclesiæ privilegio aliter fieri oporteat.

2. Si in die Octava alicujus festi habentis Octavam, occurrat aliquod festum Duplex ex majoribus supra in Rubrica de Commemorationibus enumeratis, fiat de Festo cum commemoratione diei Octavæ : excepta die Octava Nativitatis Domini, et Epiphaniæ, in quibus non fit de aliquo festo, sed transfertur in primam diem similiter non impeditam. Si autem non fuerit ex prædictis festis, fiat de Octava, et festum transferatur ut supra.

3. Si aliquod festum Duplex infra Octavam occurrens, alio majori festo Duplici impediatur, transferatur in primam diem similiter non impeditam, et in eo fiat commemoratio de Octava.

4. Si in aliis Dominicis per annum a supradictis occurrat festum Duplex, non transfertur, ut dictum est in Rubrica de Commemorationibus.

5. Festum Semiduplex occurrens diebus supradictis et infra Octavam Corporis Christi, et aliis Dominicis per annum, transfertur in primam diem simili Officio non impeditam : occurrens vero in Dominicis infra illas Octavas, in quibus fit de festis occurrentibus (ut dictum est

in Rubrica de Octavis), transfertur in sequentem diem, cum commemoratione Octavæ; quæ si fuerit alio festo Duplici, vel Semiduplici impedita, prædictum festum Semiduplex veniens in Dominica, transfertur post Octavam : ita ut festum Semiduplex infra Octavam non transferatur, nisi in proxime sequentem diem.

6. Si duo, vel plura festa novem Lectionum simul eodem die veniant, fiat Officium de majori, id est, de Duplici, et semiduplicia transferantur. At si omnia fuerint Duplicia, vel omnia Semiduplicia, fiat de digniori, seu solemniori, et quæ minoris solemnitatis sunt, transferantur.

7. Si plura festa ix Lectionum transferenda sint, prius transferatur Duplex, quam Semiduplex : et inter plura Duplicia, quod est magis solemne, semper prius transferatur, et prius celebretur : alioquin si sunt æqualia, unum ante aliud transferatur eo ordine, quo erant celebranda in propriis diebus.

8. Festum Simplex numquam transfertur : sed si de eo fieri non potest Officium, fiat commemoratio, ut dictum est in Rubrica de Commemorationibus : si autem venerit in illis diebus, in quibus de Simplici nulla fit commemoratio, eo anno non fit de eo amplius.

9. Si aliquod festum ix Lectionum, in quo annotatum est fieri commemorationem alicujus Sancti, transferatur propter advenientem Dominicam, vel aliud festum majus, non tamen transfertur cum illo commemoratio illius Sancti in eo assignata; sed dicta commemoratio fit die suo in Dominica, vel alio festo, in quo fieri possit, cum ix Lectione ejusdem, si propriam de vita Sancti habuerit : festum vero ix Lectionum transfertur sine ulla amplius commemoratione Festi Simplicis prædicti. Quod etiam servatur in commemorationibus occurrentibus in Vigiliis, cum de Vigilia veniente in Dominica fit in Sabbato præcedenti : tunc enim commemoratio Festi Simplicis non fit in Officio Vigiliæ, sed in Dominica.

XI. *De Concurrentia Officii.*

CONCURRENTIA Officii attendenda est semper in secundis Vesperis, quomodo sit ordinandum Officium cum sequenti die. Itaque cum dicitur Officium aliquod cum alio concurrere, intelligitur de præcedenti in secundis Vesperis cum sequenti in primis Vesperis.

2. Duplici ergo in secundis Vesperis concurrente cum alio sequenti Duplici in primis, si utraque sint ejusdem solemnitatis, regulariter a Capitulo fit de sequenti, cum commemoratione præcedentis, nisi aliter in propriis locis annotetur. Si vero non sint ejusdem solemnitatis, servetur differentia in Rubricis de Commemorationibus, et Translatione Festorum assignata : ut scilicet festa majora habeant primas et secundas Vesperas integras, cum commemoratione minorum, quando de eis fieri debet. Si autem post aliquod festum ex iis, quæ in secundo ordine posita sunt in Rubrica de Commemorationibus sequatur immediate aliud ex solemnibus majoribus, Vesperæ erunt de sequenti, cum commemoratione præcedentis. Inter Festa æqualis solemnitatis servetur hic ordo, ut festa Domini præferantur omnibus aliis, et habeant utrasque Vesperas integras, sicuti Festa B. Mariæ, Festis Sanctorum : item Festa Angelorum et Apostolorum, ceteris aliis : et festa illorum Sanctorum, qui in propriis locis, vel Ecclesiis solemniter celebrantur, aliis in Kalendario descriptis.

3. Duplici vero concurrente cum festo Semiduplici, cum Dominica, cum die infra Octavam, cum festo Simplici, et cum Officio B. Mariæ in Sabbato, omnia in secundis Vesperis de Duplici, cum commemoratione illorum, nisi illud Duplex fuerit de iis, quæ excipiuntur in Rubrica de Commemorationibus, in quibus aliquæ commemorationes omittuntur. Duplici etiam et quocumque Officio ix Lectionum concurrente cum feria, vel potius sequente feria, omnia de Duplici, et nihil de feria sequenti. Sed si festum

celebretur in Adventu, et Quadragesima, fit semper commemoratio de feria, ut infra dicetur. Idem dicendum in festis Simplicibus venientibus cum sequenti festo novem Lectionum, de quibus etiam commemoratio fit non ratione concursus, sed quia eodem die occurrunt, ut dictum est in Rubrica de Commemorationibus.

4. Semiduplici festo, Dominica, et die infra Octavam concurrentibus cum sequenti Duplici, omnia de Duplici cum commemoratione illorum; nisi Duplex fuerit ex numero majorum, quæ supra in Rubrica de Commemorationibus numerata sunt, in quibus nulla fit commemoratio præcedentis. Semiduplici festo concurrente cum sequenti alio Semiduplici, cum Dominica, vel cum die infra Octavam, a Capitulo fit de sequenti, et commemoratio præcedentis, nisi aliter signetur. Semiduplici autem concurrente cum sequente festo Simplici, vel cum Officio beatæ Mariæ in Sabbato, omnia de Semiduplici, cum commemoratione sequentis.

5. Dominica concurrente cum sequente festo Semiduplici, et cum die infra Octavam vel cum festo Simplici omnia de Dominica cum commemoratione sequentis.

6. Die infra Octavam concurrente cum sequente Dominica, vel Semiduplici, a Capitulo fit de sequenti cum commemoratione Octavæ. Dies infra Octavam cum Simplici proprie non habet concursum, quia in sequenti die infra Octavam fieri debet.

7. Die Octava concurrente cum alia die Octava, a Capitulo fit de sequenti, cum commemoratione præcedentis, excepta Octava Corporis Christi concurrente cum Octava S. Joannis Baptistæ, in qua de sequenti fit tantum commemoratio, et quando aliter in propriis locis notatur. Die Octava concurrente cum sequenti Duplici minori etiam translato, a Capitulo fit de sequenti, cum commemoratione Octavæ. Concurrente vero cum sequente Duplici majori, etiam translato, totum Officium fit de sequenti, cum

commemoratione Octavæ : excepta die Octava Epiphaniæ, Paschæ, Ascensionis, et Corporis Christi, in quibus de sequenti fit tantum commemoratio. Si autem sequens festum etiam translatum, fuerit ex solemnioribus supra enumeratis in Rubrica de Commemorationibus, in secundo ordine num. 6, totum Officium fit de sequenti, cum commemoratione Octavæ.

8. Simplex cùm alio non potest concurrere in secundis Vesperis (licet cum ipso possit esse concursus in primis Vesperis), quia non habet secundas Vesperas, sed ejus Officium terminatur ad Nonam, et deinceps nihil fit de eo nec commemoratio. Si sequatur aliud Simplex, Psalmi erunt de feria occurrente in Psalterio ad Vesperas, et a Capitulo fit de sequenti Simplici sine ulla commemoratione præcedentis. Si sequatur Officium novem Lectionum, Vesperæ totæ erunt de eo sine ulla similiter commemoratione Simplicis præcedentis. Si nullum festum sequatur, subintrat Officium de Tempore, et Vesperæ totæ erunt de feria.

9. Feria non potest concurrere cum alio Officio in secundis Vesperis, neque cum ipsa potest esse concursus in primis Vesperis, quia ejus Officium incipit et desinit, ubi desinit et incipit quodcumque aliud Officium. Quamvis proprie (si ei dandum est principium) sequente feria post aliam feriam, ejus Officium incipiat a Matutino, et terminetur sequente, alia feria ad Completorium, et ideo si feria sequatur aliam feriam; in Vesperis præcedentis feriæ nihil fit de sequenti, quoad ea quæ in sequente feria sunt propria. Verbi gratia, si in Vesperis feriæ iij ante feriam quartam Cinerum fiat de feria, dicitur Oratio Dominicæ præcedentis, non autem ea, quæ est propria in sequenti feria quarta Cinerum, nec ante Orationem dicuntur Preces, quæ dicendæ sunt in dicta feria quarta Cinerum. Quod etiam fit, quando feria per annum præcedit feriam Quatuor Temporum, vel Vigiliarum. Hac etiam ratione superius dictum est in concurrentia aliorum Officiorum,

cum feria nullum Officium concurrere, et nihil fieri de feria præcedente, adveniente alio Officio. Si autem de ea aliquando fieri debeat commemoratio in Vesperis, non fit ratione concursus, sed quia eo die, quo Officium feriarum Adventus, et Quadragesimæ impeditur, illarum commemoratio ratione temporis ex præcepto Ecclesiæ prætermitti non debet.

10. Cum vero occurrit ut festum Simplex veniat in feria quarta et sexta Quatuor Temporum in feria quarta Cinerum, et in Vigiliis quæ jejunantur, Vesperæ antecedentes (nisi ea die celebratum sit festum ix Lectionum) erunt de feria communi per annum, non autem de sequenti, ut dictum est, cum commemoratione festi Simplicis in sequenti feria occurrentis. Quod ideo non fit, quia sequens feria habeat primas Vesperas : sed quia cum festum Simplex in sequenti die non habeat Officium propter feriam prædictam in eo occurrentem, nec etiam convenit illud habere primas Vesperas in præcedenti die. Et eadem ratione, si festum Simplex occurrat feria quinta in Cœna Domini, in qua de eo non debet fieri commemoratio, nulla etiam fiet commemoratio in Vesperis feriæ iv præcedentis.

XII. *De ordinando Officio ex prædictis Rubricis.*

Si quis velit ex supradictis Rubricis ordinare Officium occurrentis diei, videat in Kalendario, et in Tabula Festorum Mobilium, de quo fiat officium sequenti die, et ut invenerit esse faciendum, sic ordinabit illud in Vesperis et aliis Horis nocturnis et diurnis.

2. Si ordinandum sit Officium de tempore, id est, de Dominica vel feria, recurrendum est semper ad Psalterium, ubi ordinate ponitur quod est commune Officii de Tempore, cum distributione Psalmorum : et ad Proprium de Tempore, ubi Lectiones et Responsoria, quædam Antiphonæ, et Orationes ponuntur quæ desunt in Psalterio.

Invitatorium, Hymni, Capitula, Versus, Responsoria brevia, et Antiphonæ, quæ diversis temporibus ponuntur in Proprio, dicuntur loco eorum quæ sunt in Psalterio : cum vero propria non fuerint, dicuntur ut in Psalterio.

3. Si Officium sit ordinandum de Sancto, recurrendum est semper ad Commune Sanctorum (nisi proprium habeat in Proprio Sanctorum) : ubi pro qualitate Festi, si novem Lectionum, id est, Duplex, vel Semiduplex fuerit, omnia ordinate ponuntur, illis exceptis, quæ propria suis locis habentur. Si Festum fuerit trium Lectionum (Nocturno Feriæ, et Lectionibus exceptis) omnia sumuntur de eodem Communi. Tres Lectiones primi Nocturni in Officio novem Lectionum, et prima et secunda Lectio, vel prima tantum in Festis trium Lectionum sumuntur de Scriptura in Officio de Tempore, nisi aliæ in propriis locis ponantur.

4. In majoribus solemnitatibus, et Festis per annum, totum Officium ordinatur ut in propriis locis ponitur.

5. In festis B. Mariæ (omissis iis, quæ propria in illis habentur) Hymni, novem Psalmi, et alia quædam requirenda sunt ex Communi ejus Officio parvo, circa finem Breviarii.

6. Modus inchoandi Officium, dicendi Invitatorium, Hymnos, Antiphonas, et Versus, habetur in principio Psalterii. Cum vero Antiphonæ duplicandæ sunt, dicuntur integre ante Psalmos, sicut in fine Psalmorum.

7. Modus dicendi Absolutiones, et Benedictiones ante Lectiones, legendi et terminandi Lectiones, dicendi Responsoria post Lectiones, ac Responsoria brevia post Capitula, habetur in prima Dominica de Adventu.

8. Quomodo sit inchoandum, et terminandum Officium per Horas, habetur in Psalterio : quomodo terminandum per Antiphonas B. Mariæ, habetur in fine Completorii.

9. Sed ut hæc omnia facilius habeantur, positæ sunt sequentes Rubricæ, de singulis Horis, earumque partibus distincte cognoscendis.

XIII. *De Matutino.*

Ad Matutinum hæc per ordinem regulariter dicuntur, secundum diversitatem Officii, nisi aliter in quibusdam diebus annotetur : *Pater noster*, *Ave Maria*, *Credo*, omnia secreto : deinde clara voce Hebdomadarius dicit, *Domine*, *labia mea*, etc., pollice signando sibi os signo Crucis : *Deus in adjutorium*, etc., manu extensa signando se signo Crucis a fronte ad pectus, et a sinistro humero usque ad dextrum (quod servatur in principio omnium Horarum, cum dicitur, *Deus in adjutorium*) cum *Gloria Patri*, et aliis, ut in principio Psalterii. Deinde dicitur Invitatorium conveniens Officio de Tempore, vel Sancto, quod dicitur cum Psalmo, *Venite exultemus*, eo modo quo in principio Psalterii describitur. Dicto Psalmo, et repetito Invitatorio, dicitur Hymnus, qui Officio de Tempore vel de Sancto convenit.

2. Postea in Duplicibus, et Semiduplicibus dicuntur novem Psalmi (sed in Dominicis plures, ut in Psalterio) cum suis Antiphonis, et Versibus, quæ tempori, vel festo conveniunt, et totidem Lectiones cum octo Responsoriis, aliquando cum novem ut suis locis ponitur, per tres Nocturnos distinctos, hoc modo.

3. In primo Nocturno dicuntur tres Psalmi cum tribus Antiphonis, post singulos Psalmos una Antiphona : sed tempore Paschali, id est, a Dominica in Albis usque ad Pentecosten (præterquam in Officio Ascensionis Domini) tres Psalmi cujusque Nocturni dicuntur sub una Antiphona : et in fine Psalmorum post ultimam Antiphonam cujusque Nocturni dicitur Versus : postea, *Pater noster*, *Et ne nos;* Absolutio, *Exaudi;* Benedictio, *Benedictione perpetua*, et aliæ ad singulas Lectiones, ut in prima Dominica de Adventu ordinantur. Deinde leguntur tres Lectiones de Scriptura, quæ per ordinem in Officio de Tempore occurrunt (nisi aliæ assignentur) et ad singulas Lectiones

dicitur unum Responsorium conveniens Officio, si de Tempore, ut in Proprio Temporis : si de Sancto, ut in Proprio Sanctorum ; alioquin ut in Communi, etiam si Lectiones primi Nocturni sint de Scriptura Officii de Tempore.

4. In fine ultimi Responsorii cujusque Nocturni dicitur, *Gloria Patri*, cum repetitione partis Responsorii eo modo, quo notatur in tertio Responsorio primæ Dominicæ de Adventu : nisi aliter in propriis locis signetur.

5. In secundo Nocturno dicuntur alii tres Psalmi, Antiphonæ, Versus, *Pater noster*, Absolutio, *Ipsius pietas*, et ei consequentes Benedictiones, ut in dicta Dominica prima de Adventu : tres Lectiones de aliquo Sermone, aut de vita illius Sancti, de quo fit Officium, et ad quamlibet Lectionem unum Responsorium.

6. In tertio Nocturno alii tres Psalmi cum Antiphonis, ut supra post tertiam Antiphonam, Versus, *Pater noster ;* Absolutio, *A Vinculis*, et Benedictiones consequentes ad singulas Lectiones, quæ erunt de Homilia Evangelii de Tempore, vel de Festo, secundum qualitatem Officii, ut in eadem prima Dominica de Adventu ponuntur. Post vij et viij Lectionem dicitur Responsorium Officio conveniens, id est, post quamlibet unum : aliquando autem dicitur etiam post nonam Lectionem, ut suis locis notatur : et in fine ultimi Responsorii, aut octavi, aut noni dicitur, *Gloria Patri*, ut supra, nisi aliter signetur. Si non dicitur nonum Responsorium, post ultimam Lectionem dicitur Hymnus, *Te Deum*.

7. In Officio trium Lectionum, ad Matutinum, *Pater noster*, *Ave Maria*, *Credo*, *Domine labia*, etc. Invitatorium et Hymnus in Feriali Officio de Feria, si non sint in Proprio de Tempore, dicuntur ut in Psalterio : in Festis de festo, ut in Communi Sanctorum : deinde Nocturnum Feriæ, ut in Psalterio, id est, duodecim Psalmi cum sex Antiphonis, et tempore Paschali cum una Antiphona,

Alleluia, qui dicuntur tam in Officio Feriali, quam in Festis Simplicibus.

8. Post Psalmos, et Antiphonas dicitur Versus in Feriali Officio, ut in Psalterio, in festis, ut in Communi Sanctorum : qui in festis sumitur secundum Ferias ex Nocturno Communis, unde sumuntur Responsoria, ut dicetur infra in Rubricis de Versibus, et Responsoriis. Post Versum dicitur, *Pater noster*, Absolutio, et Benedictiones, ut habetur infra in Rubrica de Absolutionibus et Benedictionibus. Tres Lectiones (si non adsit Homilia) singulæ in Officio Feriali dicuntur de Scriptura, quæ eo die occurrit in Proprio de Tempore : si adsit Homilia, singulæ tres de Homilia. In festis, prima et secunda de eadem Scriptura, tertia de Sancto. Si fuerint duæ Lectiones de Sancto, prima tantum erit de Scriptura, reliquæ de Sancto.

9. Post singulas Lectiones in Feriis extra tempus Paschale dicitur unum Responsorium, ita ut dicantur tria Responsoria : tempore vero Paschali, et in Festis, duo tantum Responsoria dicuntur, scilicet post primam, et secundam Lectionem tantum. In fine ultimi Responsorii, secundi scilicet aut tertii, dicitur *Gloria Patri*, cum repetitione partis Responsorii, nisi aliud notetur. Quæ Responsoria in Officio de Sanctis sumuntur ex Communi Sanctorum, in feriali Officio ex Dominicis, quando propria per ferias non distribuuntur, ordine descripto in Rubrica de Responsoriis. Quando non dicitur tertium Responsorium, post tertiam Lectionem dicitur Hymnus, *Te Deum*.

XIV. *De Laudibus*.

Ad Laudes dicto Hymno, *Te Deum*, vel ultimo Responsorio, Hebdomadarius absolute dicit : *Deus in adjutorium*, etc., ut supra, et dicuntur Psalmi, et Canticum *Benedicite*, vel aliud, ut habetur in feriali Officio extra tempus Paschale, cum Antiphonis Officio convenientibus.

Qui Psalmi, et Canticum in Dominicis per annum (exceptis Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam Palmarum inclusive) et in feriali Officio temporis Paschalis, ac in festis tam novem, quam trium Lectionum, dicuntur de Dominica, ut in Psalterio. In prædictis vero Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam Palmarum inclusive, dicuntur ut suis locis ponitur. In feriali Officio per annum, extra tempus Paschale, dicuntur ut in Psalterio.

2. Antiphonæ in Dominicis, quando propriæ non assignantur, dicuntur ut in Psalterio. In Festis novem et trium Lectionum, si non adsint propriæ, dicuntur de Communi. Post Psalmos dicitur Capitulum, Hymnus, Versus, Antiphona ad Canticum, *Benedictus*, cum eodem Cantico, et Oratio, omnia pro qualitate Officii de Tempore vel de festo.

3. Preces quando dicendæ sunt, dicuntur ante primam Orationem. Commemorationes vero de Cruce, de S. Maria, de Apostolis, de Patrono, et de Pace, similiter quando dicendæ sunt, dicuntur post Orationem, nisi alia commemoratio festi Simplicis occurrat, quæ semper prædictas Commemorationes præcedit, de quibus in propriis Rubricis dicitur.

4. Ante Orationem dicitur, *Dominus vobiscum*, et *Oremus* : Post ultimam Orationem repetitur, *Dominus vobiscum;* deinde *Benedicamus Domino*, et Versus, *Fidelium animæ*, *Pater noster*, *Dominus det nobis suam pacem*, et Antiphona beatæ Mariæ, ut habetur in fine Completorii, si tunc discedendum sit a Choro : alioquin in fine ultimæ Horæ, nisi sequatur Missa, vel Officium Defunctorum vel Psalmi Pœnitentiales, aut Litaniæ, ut in propria Rubrica dicetur.

XV. *De Prima.*

Ad Primam, *Pater noster*, *Ave Maria*, *Credo* secreto, *Deus in adjutorium*, etc., Hymnus, *Jam lucis orto sidere*. Deinde inchoatur Antiphona, quæ convenit. Sumuntur autem Antiphonæ in Festis ad omnes Horas ex Laudibus per ordinem, quarta prætermissa, ut dicetur infra in Rubrica de Antiphonis. Postea dicuntur Psalmi, qui in Dominicis et feriis dicuntur ut in Psalterio. In Festis autem, et tempore Paschali, tres tantum, ut etiam ibi annotatur.

2. Post Antiphonam dicitur Capitulum, *Regi sæculorum*. In feriali Officio, extra tempus Paschale, dicitur Capitulum, *Pacem*. Deinde Responsorium breve, *Christe Fili Dei vivi*, etc. Post ℟. breve in Officio Duplici, et infra Octavas statim dicitur Oratio, *Domine Deus omnipotens*. In alio Officio dicitur, *Kyrie, eleison*, cum reliquis Precibus: omnia ut in Psalterio. Ad ℣. autem, *Adjutorium*, Hebdomadarius signat se signo Crucis, a fronte ad pectus. Quando aliquis solus recitat Officium, semel tantum dicit, *Confiteor;* omissis illis verbis, *Tibi Pater*, et *vobis fratres*, et *Te pater*, et *vos fratres*, et similiter dicit, *Misereatur nostri*, *peccatis nostris*, *perducat nos*, quod etiam servatur ad Completorium. In feriali Officio quando dictæ sunt Preces ad Laudes, adduntur aliæ Preces, ut ibidem in Psalterio.

3. Post orationem Primæ, vel si dicatur Officium beatæ Mariæ, post illius Orationem dicto, *Benedicamus*, in Choro legitur Martyrologium, deinde dicitur, *Pretiosa*, cum reliquis, quæ etiam dicantur ab iis, qui extra Chorum non legerint Martyrologium. In fine ad Absolutionem Capituli, in Festis, et aliquibus diebus pro Lectione brevi dicitur Capitulum Nonæ, si adsit proprium, alioquin de Communi : alio tempore tam in Dominicis, quam feriis, Lectio brevis Officio illius temporis in Psalterio assignata.

XVI. *De Horis, Tertia, Sexta et Nona.*

Ad Tertiam, Sextam, et Nonam, ante singulas Horas dicitur, *Pater noster*, *Ave Maria, Deus in adjutorium*, Hymnus, et Psalmi, ut in Psalterio, Antiphonæ secundum Officii qualitatem, ordine quo supra. Dictis Psalmis, et Antiphona, dicitur Capitulum, et ℟. breve pro qualitate Officii : quæ in Dominicis et Feriis, quando non habentur propria in Proprio de Tempore, dicuntur ut in Psalterio : in Festis, si in Proprio Sanctorum non sint propria, sumuntur de Communi. Post ℟. breve dicitur, *Dominus vobiscum*, et Oratio, quæ habetur in Proprio de Tempore : si autem fit de Sancto, ut in Proprio Sanctorum; alioquin ut in Communi.

2. Post Orationem repetitur, *Dominus vobiscum*, et dicitur, *Benedicamus Domino*, *Fidelium animæ*, et *Pater noster*, secreto : ut infra in Rubrica de Oratione Dominica explicatur.

XVII. *De Vesperis.*

Ad Vesperas, *Pater noster*, *Ave Maria*, *Deus in adjutorium*, etc. Deinde dicuntur quinque Psalmi, cum quinque Antiphonis, ut in Proprio, aut Communi Sanctorum signantur. In Dominicis autem et Feriis, Antiphonæ et Psalmi semper dicuntur ut in Psalterio (ubi etiam tempore Paschali Psalmi dicuntur sub una Antiphona, *Alleluia*) nisi aliæ propriæ Antiphonæ, vel Psalmi (ut in Dominicis Adventus, et triduo ante Pascha) assignentur.

2. Post Psalmos et Antiphonas, dicitur Capitulum, Hymnus, Versus, Antiphona ad Magnificat, cum eodem Cantico, et Oratio : omnia de Tempore, vel de Sancto, pro qualitate Officii.

3. Preces quando dicendæ sunt, dicuntur ante Orationem : Commemorationes vero de Cruce, sancta Maria, Apostolis, Patrono, et Pace, post Orationem, ut in pro-

priis Rubricis habetur. Terminatur autem Officium Vesperarum, ut in aliis Horis.

XVIII. *De Completorio.*

Ad Completorium absolute dicitur Lectio brevis, ut in Psalterio; deinde *Pater noster. Confiteor, Misereatur, Indulgentiam, Converte, Deus in adjutorium,* Antiphona, Psalmi, Hymnus, Capitulum, Responsorium breve, Canticum cum Antiphona, omnia ut in fine Psalterii, et post Antiphonam in Duplicibus, et intra Octavas dicitur Oratio : in alio autem Officio, ante Orationem dicitur, *Kyrie eleison*, cum reliquis Precibus, ut ibidem in Psalterio.

2. Post Versum, *Benedicat et custodiat nos*, etc., dicitur una ex Antiphonis B. Mariæ, cum versiculo et Oratione, ut ibidem, et dicto Versu, *Divinum auxilium*, dicitur secreto *Pater noster*, *Ave Maria*, et *Credo*.

XIX. *De Invitatorio.*

Invitatorium semper dicitur in omni Officio ad Matutinum, cum Psalmo, *Venite exultemus*, ordine in principio Psalterii descripto. Sed variatur pro Officii qualitate, ut in Psalterio, et proprio de Tempore, ac in proprio, et Communi Sanctorum.

2. Non dicitur in die Epiphaniæ, nec in triduo ante Pascha, ut suis locis notatur : nec in Officio Defunctorum per annum, excepto die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum, ac in die obitus, seu depositionis Defuncti, et quandocumque dicuntur tres Nocturni.

XX. *De Hymnis.*

Hymni semper dicuntur in qualibet Hora, præterquam a triduo ante Pascha, usque ad Vesperas Sabbati in Albis exclusive, et præterquam in Officio Defunctorum.

2. Ad Matutinum Hymnus dicitur post Psalmum, *Ve-*

nite, repetito Invitatorio, præterquam in die Epiphaniæ. Ad Laudes et Vesperas dicitur post Capitulum. Ad Horas ante Psalmos. Ad Completorium post Psalmos et Antiphonam.

3. Dicuntur autem in Officio de Tempore, ut in Psalterio, quando proprii Hymni in Proprio de Tempore non adsunt : qui Hymni de Psalterio in Dominicis, et Feriis assignati, dicuntur ab Octava Pentecostes usque ad Adventum (Dominica infra Octavam Corporis Christi excepta), et ab octava Epiphaniæ usque ad Dominicam primam Quadragesimæ exclusive. In Officio de Sanctis dicuntur, ut in Communi Sanctorum, nisi proprii in Proprio Sanctorum habeantur.

4. In Nativitate Domini usque ad Epiphaniam, in festo Corporis Christi, et per octavam, et quandocumque fit Officium beatæ Mariæ tam novem, quam trium Lectionum, etiam tempore Paschali, in fine omnium Hymnorum (præterquam in fine Hymni, *Ave Maris stella,* et Hymni ad Laudes in festo Corporis Christi, qui habet ultimum versum proprium) dicitur, *Jesu, tibi sit gloria, Qui natus es de Virgine,* etc. ut in ejus Officio parvo, etiam si dicantur Hymni de Sanctis, qui infra octavas prædictas celebrantur, dummodo Hymni illi sint ejusdem metri, nec habeant ultimum versum proprium, ut Hymnus sanctæ Crucis ad Vesperas, et plurimorum Martyrum ad Matutinum.

5. In Epiphania Domini, et per octavam, in fine omnium Hymnorum dicitur, *Jesu, tibi sit gloria, Qui apparuisti Gentibus.*

6. A Dominica in Albis usque ad Ascensionem, in Pentecoste, et per octavam, in fine omnium Hymnorum dicitur, *Deo Patri sit gloria, Et Filio, qui a mortuis,* etiam in festis Sanctorum eodem tempore Paschali occurrentium : dummodo Hymni sint ejusdem metri, nec habeant ultimum versum proprium, qui non mutatur, ut supra.

7. In Ascensione autem usque ad Pentecosten (præterquam in Hymno, *Salutis humanæ Sator*) dicitur, *Jesu, tibi sit gloria, qui victor in cœlum redis*, similiter etiam in festis tunc occurrentibus.

8. In Transfiguratione Domini dicitur, *Jesu, tibi sit gloria, Qui te revelas parvulis*. Aliis temporibus terminantur Hymni, ut suis locis ponitur.

XXI. *De Antiphonis.*

Ad omnes Horas nocturnas, et diurnas semper cum Psalmis dicuntur Antiphonæ, vel una vel plures, pro diversitate Officii, et Horarum.

2. Si de Tempore fiat Officium, id est, de Dominica aut Feria, dicuntur Antiphonæ, ut in Psalterio, quæ cum Psalmis positæ in Vesperis Dominicæ, et feriarum, in Completorio, et in Nocturnis (etiam quando fit Officium de festo trium Lectionum, id est, Simplici) numquam mutantur, nisi tempore Paschali, in quo dicitur una tantum Antiphona, *Alleluia*, excepto etiam tempore Adventus, in quo ad Vesperas, et Nocturnos Dominicæ ponuntur Antiphonæ propriæ. In Laudibus, et aliis Horis mutantur, pro diversitate temporum, ut in Proprio de Tempore habentur : cum vero non assignantur propriæ, semper dicuntur, quæ positæ sunt in Psalterio.

3. Antiphonæ, quæ in Proprio de Tempore in Sabbatis ponuntur ad Magnificat pro prima Dominica alicujus mensis, sumendæ sunt ex ea Dominica, quæ est proximior Kalendis, vel est in Kalendis illius mensis, ut dictum est supra in Rubrica de Dominicis, ac etiam in Rubrica mensis Augusti : et semper in Sabbato ponitur Antiphona ad Magnificat, quæ contigua est libro Scripturæ in Dominica ponendo.

4. In festis novem Lectionum ad Vesperas dicuntur Antiphonæ de Laudibus, nisi propriæ in Vesperis assi-

gnentur. Ad horas similiter tam in Officio de Tempore, quam de Sanctis, quando habentur propriæ in Laudibus, et aliæ propriæ non fuerint ad Horas, sumuntur ex Laudibus, quarta prætermissa, hoc ordine : Ad primam, prima ; ad Tertiam, secunda ; ad Sextam, tertia ; ad Nonam, quinta.

5. In feriis Adventus, quæ non habent in Laudibus Antiphonas proprias, sumuntur ad Horas ex Laudibus Dominicæ præcedentis. Ubi vero in Laudibus feriarum fuerint propriæ, sumuntur ex ipsis Laudibus.

6. Tempore Paschali in Officio tam novem, quam trium Lectionum, Psalmi cujuslibet Nocturni dicuntur sub unica Antiphona, quæ officio convenit, ut suis locis ponitur : et in fine omnium Antiphonarum, additur *Alleluia*, quando in illis non habetur. A Septuagesima usque ad Pascha, ubi habetur *Alleluia*, tacetur; neque aliud ejus loco dicitur.

7. In Duplicibus ad Vesperas, Matutinum, et Laudes tantum : Antiphonæ dicuntur ante Psalmos, vel Cantica integræ, et post Psalmos, vel Cantica integræ repetuntur : in aliis Horis, et in Officio non Duplici, in principio Psalmi, vel Cantici, inchoatur tantum Antiphona, deinde in fine integra dicitur. Et quando Antiphona sumitur ex principio Psalmi, vel Cantici, et incipit sicut Psalmus, vel Canticum, post Antiphonam non repetitur principium Psalmi, vel Cantici, sed continuatur, quod sequitur in Psalmo, vel Cantico, ab eo loco ubi secundum ritum dici desinit Antiphona, nisi discontinuetur per *Alleluia*.

8. Antiphonis propriis, tam in Officio de Tempore, quam de Sanctis, semper cedunt, quæ habentur in Psalterio, et in Communi Sanctorum.

9. Quando fit aliqua commemoratio, semper dicitur Antiphona ante Orationem cum Versu, quæ sumitur ex Officio, quod convenit ei, de quo fit commemoratio : ita ut in Vesperis sumatur Antiphona, quæ assignatur ad

Magnificat, in Laudibus, quæ ad Benedictus, cum Versibus, qui habentur post Hymnum.

10. Antiphonæ sanctæ Mariæ positæ in fine Completorii, dicuntur ut inferius in propria Rubrica disponitur.

XXII. *De Psalmis.*

Psalmi in Officio de Tempore per omnes Horas in Dominicis et feriis dicuntur eo modo, quo distributi sunt in Psalterio, nisi aliquando aliter in Proprio de Tempore signentur. In festis autem dicuntur, ut in propriis locis signantur; alioquin, ut in Communi Sanctorum.

2. Psalmi ad Laudes de Dominica cum Cantico *Benedicite*, dicuntur in omnibus festis per annum, et in feriis temporis Paschalis.

3. Psalmus, *Confitemini*, dicitur ad Primam cum aliis Psalmis in Psalterio assignatis, in omnibus Dominicis (quando Officium fit de Dominica, ut in Psalterio : etiam in Dominicis quæ occurrunt infra octavas Sanctorum) a tertia Dominica post Pentecosten inclusive, usque ad Nativitatem Domini exclusive : et a secunda Dominica post Epiphaniam inclusive, usque ad Septuagesimam exclusive : a Septuagesima autem usque ad Pascha, ejus loco dicitur Psalmus, *Dominus regnavit,* quia Psalmus, *Confitemini,* tunc dicitur ad Laudes post Psalmum, *Miserere,* ut suo loco ponitur. In Dominicis vero temporis Paschalis a Dominica in Albis inclusive, usque ad Ascensionem exclusive, dicuntur tantum tres Psalmi sicut in festis, addito Symbolo Sancti Athanasii. Alii Psalmi per singulas ferias distributi ad Primam, dicuntur singuli loco Psalmi, *Confitemini*, in feriali tantum Officio, quando de feria agitur extra tempus Paschale. In feriis vero temporis Paschalis in festis per annum, et in Sabbato, sive de sancta Maria sive de Feria fiat Officium, dicuntur tantum tres Psalmi, scilicet *Deus in nomine tuo*, *Beati immaculati,* et

Retribue : etiam si festum Duplex celebretur in Dominica.

4. In Dominicis autem, quando officium fit de Dominica, ut in Psalterio, post Psalmos additur semper Symbolum sancti Athanasii, *Quicumque*, ut infra in propria Rubrica dicitur.

5. Psalmi Horarum, scilicet ad Tertiam, Sextam, et Nonam, et ad Completorium numquam mutantur, ut in Psalterio, sive de Sanctis, sive de Tempore fiat Officium.

6. Psalmi de Dominica ad Vesperas, ut plurimum dicuntur in Vesperis festorum, excepto ultimo, qui mutatur : cum vero aliter fieri debet, suis locis notatur. In Vesperis infra octavam dicuntur Psalmi, ut in secundis Vesperis festi; sed in primis Vesperis diei Octavæ, dicuntur ut in primis Vesperis festi, nisi aliter notetur.

7. In fine Psalmorum semper dicitur, *Gloria Patri*, præterquam in Psalmo, *Deus Deus meus ad te de luce vigilo* : et in Psalmo, *Laudate Dominum de cœlis*, qui conjunguntur cum aliis psalmis, et in fine ultimi tantum dicitur, *Gloria Patri*, ut suis locis notatur. Præterea non dicitur in triduo majoris Hebdomadæ ante Pascha, nec in Officio Defunctorum, cujus loco pro Defunctis dicitur, *Requiem æternam dona eis*, *Domine*, etiam si fiat Officium pro uno tantum.

8. Ut sacræ Vulgatæ editionis puritas inconfusa et illibata servetur, etiam quoad interpunctiones et distinctiones in sacris Bibliis appositas, additus est Astericus (*), ut sit nota musicæ partitionis in medio versu.

XXIII. *De Canticis.*

Cantica dicuntur in Officio de Tempore, tam de Dominicis, quam feriis ad Laudes, Vesperas, in Completorium, ut in Psalterio distribuuntur.

2. In festis, et tempore Paschali ad Laudes semper dicitur Canticum, *Benedicite*, ut in Dominica; et in fine ejus

non dicitur, *Gloria Patri*, sicut in aliis Canticis dicitur, nec respondetur, *Amen*. Alia Cantica ferialia, ut in Psalterio, ad Laudes non dicuntur, nisi quando fit Officium de feria extra tempus Paschale.

3. Cantica, *Benedictus*, *Magnificat*, et *Nunc dimittis*, semper dicuntur suo loco, ut in Psalterio.

XXIV. *De Versibus.*

Versus semper dicuntur ad Matutinum post ultimum Psalmum, et Antiphonam Nocturnorum, sive in Officio dicantur tres Nocturni, sive unus. Ad Laudes, et Vesperas Versus dicitur post Hymnum : ad Horas dicitur in Responsorio brevi post repetitionem partis Responsorii, dicto *Gloria Patri*.

2. In Pascha Resurrectionis et per octavam usque ad Vesperas Sabbati in Albis exclusive, in Nocturno tantum dicitur Versus, in aliis Horis non dicitur, ut ibidem.

3. Quando fit aliqua Commemoratio, semper post Antiphonam ejus, de quo fit commemoratio, dicitur Versus, qui in ejus Officio ponitur post Hymnum Vesperarum, et Laudum, nisi aliter notetur.

4. Versibus prædictis tempore Paschali, semper additur *Alleluia* : non autem Versibus Precum, nec in *Pretiosa*, ad Primam, neque in Versibus Responsoriorum Matutini.

5. In Officio festi trium Lectionum, post omnes Psalmos feriales cum Antiphonis dicitur Versus de Communi Sanctorum, hoc ordine : Feria secunda et quinta Versus primi Nocturni : feria tertia et sexta Versus secundi Nocturni : feria quarta Versus tertii Nocturni.

6. Versus positi in Psalterio ad Laudes, et Vesperas, semper dicuntur, quando alii proprii non assignantur in Proprio de Tempore.

XXV. *De Absolutionibus et Benedictionibus ante Lectione.*

Absolutiones et Benedictiones dicuntur per ordinem in Officio novem Lectionum ante Lectiones, ut in prima Dominica de Adventu ponuntur, scilicet, post Versum, dicto, *Pater noster, Et ne nos*, dicitur Absolutio, et Benedictiones, ut ibi, præterquam in Matutinis tenebrarum majoris Hebdomadæ, et in Officio Defunctorum, in quibus Absolutio, et Benedictiones non dicuntur.

2. Si fiat officium trium Lectionum, et sit de Feria, in qua singulæ tres Lectiones sunt de Scriptura, Absolutio et Benedictiones sumuntur ex prima Dominica de Adventu, hoc ordine : Feria ij et v dicuntur Absolutio, et Benedictiones primi Nocturni : Feria iij et vj secundi Nocturni : Feria iv et Sabbato, tertii Nocturni.

3. Si autem singulæ tres Lectiones sint de Homilia super Evangelium; Absolutio dicitur secundum Ferias, ut supra : Benedictiones vero semper dicuntur, ut in tertio Nocturno, scilicet, prima Benedictio erit, *Evangelica lectio;* secunda, *Divina auxilium;* tertia, *Ad societatem*. Si fit de Sancto trium Lectionum, Absolutio dicitur secundum ferias, ut supra : Benedictiones vero semper dicuntur, ut in tertio Nocturno, hoc modo : Prima *Ille nos Benedicat* : secunda, *Cujus*, vel *Quorum*, vel *Quarum festum colimus* : tertia, *Ad societatem*.

4. Quando fit Officium sanctæ Mariæ in Sabbato, Absolutio et Benedictiones dicuntur, ut habentur in ejus Officio parvo circa finem Breviarii.

XXVI. *De Lectionibus.*

Lectiones leguntur ad Matutinum dictis Psalmis Nocturnorum, cum Antiphonis, Versibus, Absolutionibus quoque, et Benedictionibus, ut supra. In Duplicibus, et Semiduplicibus dicuntur novem Lectiones, id est, in quo-

libet Nocturno tres : in feriis, et festis Simplicibus leguntur tantum tres Lectiones.

2. In Officio novem Lectionum dicuntur hoc modo. In primo Nocturno semper leguntur tres lectiones de Scriptura : quæ quando suis locis propriæ, aut de Communi Sanctorum non assignantur, semper leguntur ut in Officio de Tempore, quæ sua quaque die occurrunt legendæ. In secundo Nocturno, si fit de Sancto, tres Lectiones leguntur de vita Sancti, vel de aliquo Sermone, aut Tractatu, qui ei convenit; quæ si non adsint propriæ, leguntur ex Communi Sanctorum. Ex quo etiam communi completur numerus trium Lectionum, quando Officium fit novem Lectionum de aliquo Sancto, qui habet tantum unam, vel duas Lectiones proprias. Si fit de Dominica, vel de alio Officio novem Lectionum per annum, etiam de Octava, leguntur tres Lectiones de Sermone, aut Tractatu, qui in illis ponitur. In tertio Nocturno semper leguntur tres Lectiones de Homilia in Evangelium positæ in Proprio, aut ex Communi assignatæ, et primæ Lectioni de Homilia semper præponitur principium Evangelii, de quo est Homilia, etiam infra octavas. Excipiuntur ab hoc ordinario Lectionum, Matutina tenebrarum ante Pascha, et Defunctorum, ut in suis Officiis ponitur.

3. Si in Officio novem Lectionum, in quo non dicitur nonum Responsorium contingat fieri commemorationem de aliquo Sancto, qui propriam habet Lectionem, nona Lectio legitur de Sancto : si habuerit duas Lectiones, ex duabus fiat una Lectio, omissa nona Lectione in dicto Officio novem Lectionum, vel octavæ Lectioni adjuncta. Quod si eodem die occurrat Dominica, vel feria, quæ habeat Homiliam, nona Lectio Sancti omittitur, et ejus loco legitur Homilia Dominicæ, vel feriæ, scilicet vel prima Lectio de Homilia, vel tres simul in unam Lectionem conjunctæ.

4. In Officio trium Lectionum, si fit de feria, tres Le-

ctiones leguntur de Scriptura, nisi tres sint de Homilia, quia tunc omissis Lectionibus de Scriptura, leguntur de Homilia. Si fit de Sancto, qui habet duas Lectiones, prima tantum erit de Scriptura, ut vel legatur una, vel ex tribus junctis fiat una : secunda, et tertia de Sancto. Si unam tantum habuerit, vel propriam, vel ex Communi assignatam, prima et secunda erunt de Scriptura, tertia de Sancto : quod etiam servatur in Officio beatæ Mariæ in Sabbato.

5. Lectiones autem de Scriptura in Officio de Tempore sic distributæ sunt per annum, ut quotidie aliquid ex ea legatur, etiam in Officio de Sanctis, quando aliæ (ut dictum est) non assignantur.

6. Initia Librorum Sacræ Scripturæ (qui fere semper in Dominicis inchoantur) eo die ponuntur, quo notata sunt, etiam si fiat Officium de Sancto, nisi in festo aliæ propriæ Lectiones Scripturæ, vel de Communi assignentur : tunc enim initium Lectionis de Scriptura transfertur in sequentem diem similiter non impeditam, et Lectiones illi diei de eadem Scriptura assignatæ, vel cum superioribus Lectionibus legantur, vel omittantur : ita ut non oporteat eas amplius in alio sequenti die resumere, sed illæ legantur, quæ sua quaque die occurrunt, aut cum eisdem jungantur. Quod semper servetur, quando Lectiones occurrentes de Scriptura aliquo die omittuntur.

7. Cum autem initium alicujus Epistolæ Catholicæ tempore Paschali, aut alicujus Prophetæ minoris mense Novembri, infra Hebdomadam illorum temporum impeditur aliquo festo novem Lectionum habente proprias Lectiones de Scriptura, dictum initium Epistolæ, et Prophetæ, quoad commode fieri poterit, ponatur in sequenti feria, alio simili initio Scripturæ ponendo, vel festo non impedita, alioquin in præcedenti similiter non impedita, ita ut aliquo modo ponatur etiam si plura initia eodem die poni oporteat.

8. De Scriptura quoque tantum est positum, quantum

satis videtur pro numero Hebdomadarum, quæ esse possunt, et inter Epiphaniam et Septuagesimam, et inter Pentecosten et Adventum : ubi vero contingit minui numerum Dominicarum, et Hebdomadarum post Epiphaniam, adveniente Dominica Septuagesimæ, quod superest de Epistolis B. Pauli, quæ distributæ sunt pro numero dictarum Dominicarum, et Hebdomadarum, eo anno omittitur, quamvis de aliquibus Epistolis nihil sit lectum. Quod etiam fit de Scriptura ex libris Regum (de quibus legitur ab Octava Pentecostes usque ad Dominicam primam Augusti) cum non expletur numerus Dominicarum post Pentecosten, de eis Libris annotatus usque ad mensem Augusti, quia tunc Lectionibus de his libris omissis, legitur de Scriptura, quæ ponitur mense Augusti. Quod si fiat de aliqua Dominica post Epiphaniam anticipate in feria, eo modo quo dictum est de Dominicis numero 4 et 5, tunc post Officium Dominicæ anticipatæ, in sequentibus diebus legatur de Epistolis S. Pauli assignatis Dominicæ anticipatæ, et sequentibus feriis, amissis aliis, quæ sunt assignatæ præcedenti Hebdomadæ. Quid autem observandum sit, cum mensis, cui quinque Dominicæ assignantur, non habuerit nisi quatuor, in propriis locis notatur.

9. Lectiones de Scriptura positæ in Communi Sanctorum, leguntur in festis, ubi assignantur in Proprio Sanctorum per annum. Rursus quando aliquod festum in propria Ecclesia solemniter celebratur : item quando aliquod festum novem Lectionum occurrit in Quadragesima, et Quatuor Temporibus, in secunda feria Rogationum, et in Vigilia Ascensionis, in quibus feriis in Officio de Tempore non assignantur Lectiones de Scriptura, sed de Homilia : tunc enim in festis recurrendum est ad Lectiones de Scriptura positas in Communi Sanctorum. Quod si in aliquibus ex supradictis feriis occurrat dies Octava alicujus festi habentis Octavam, tunc in primo Nocturno diei octavæ repe-

tantur Lectiones, quæ in primo Nocturno festi lectæ fuerunt : si vero occurrat dies infra octavam, tunc sumantur de Communi. Aliæ Lectiones secundi et tertii Nocturni positæ in Communi Sanctorum, similiter leguntur quando in Proprio Sanctorum assignantur, et quando in aliqua Ecclesia aliquod festum celebratur cum novem Lectionibus quia in ea est solemne, aut consuetum in ea celebrari, quod proprias et approbatas de festo Lectiones non habuerit.

10. Lectiones primi Nocturni leguntur cum titulo libri, ex quo sumuntur, nisi aliter in propriis locis notetur. Lectiones etiam secundi Nocturni, quando sunt ex aliquo Sermone vel Tractatu, leguntur cum titulo et nomine auctoris, alias minime. Et similiter in tertio Nocturno præponitur Titulus auctoris cujus est Homilia.

11. In fine cujusque Lectionis dicitur, *Tu autem, Domine, miserere nobis*, et respondetur, *Deo gratias*. Quod etiam fit in Lectionibus brevibus in principio Completorii, et in fine Primæ post *Pretiosa*, præterquam in triduo majoris Hebdomadæ ante Pascha, et in Officio Defunctorum, ut suis locis ponitur.

XXVII. *De Responsoriis post Lectiones.*

Responsoria dicuntur ad Matutinum post Lectiones : id est, post quamlibet Lectionem dicitur unum Responsorium, ut infra.

2. In festis novem Lectionum (præterquam in festo Sanctorum Innocentium, quando non venerit in Dominica) et in Dominicis ab octava Paschæ inclusive, usque ad Adventum exclusive, et a Dominica infra octavam Nativitatis inclusive, usque ad Septuagesimam exclusive, dicuntur octo tantum Responsoria : in fine tertii et sexti et octavi dicitur *Gloria Patri*, cum repetitione partis Responsorii : quod Regulare est in fine ultimi Responsorii

cujuslibet Nocturni, tam in Officio novem, quam trium Lectionum : excepto tempore Passionis, quo tempore loco *Gloria Patri*, repetitur Responsorium a principio, excepto etiam Officio Defunctorum, cujus loco dicitur, *Requiem æternam*, etc. Qui Versus, *Gloria Patri*, quibusdam diebus dicitur in primo Responsorio, ut in propriis locis annotatur. Post nonam Lectionem prædictis diebus quando octo tantum dicuntur Responsoria, immediate dicitur Hymnus, *Te Deum*.

3. In Dominicis Adventus, et in Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam Palmarum inclusive, et in triduo ante Pascha, dicuntur novem Responsoria, quia tunc non dicitur, *Te Deum*.

4. In Officio autem trium Lectionum, quando fit de festo, et in feriis temporis Paschalis, quod est inter Dominicam in Albis, et Ascensionem (excepta Feria secunda Rogationum, in qua ponitur tertium Responsorium) dicuntur duo Responsoria, quia post iij Lectionem dicitur, *Te Deum*. Quæ Responsoria in festis sumuntur de Communi Sanctorum, et in dictis feriis temporis Paschalis, quando alia propria non assignantur, sumuntur de Dominica, in qua primo sunt posita, hoc ordine : Secunda et quinta Feria, primum et secundum Responsorium primi Nocturni : Feria tertia et sexta primum et secundum Responsorium secundi Nocturni : Feria quarta, primum et secundum Responsorium tertii Nocturni.

5. In aliis Feriis extra tempus Paschale dicuntur tria Responsoria (quia in illis non dicitur, *Te Deum*), hoc ordine : Feria secunda et quinta, tria Responsoria primi Nocturni : Feria tertia et sexta, tria Responsoria secundi Nocturni : Feria quarta et Sabbato, quando in eo fit de Feria, tria Responsoria tertii Nocturni Dominicæ præcedentis, in qua primo sunt posita. Verum quia in tertio Nocturno Dominicarum a tertia post Pentecosten inclusive, usque ad Adventum exclusive, non habetur nisi

unum Responsorium dicendum infra Hebdomadam, quod septimum in Dominica, propterea quod est Responsorium, *Duo Seraphim*, non dicitur nisi in prædictis Dominicis; ideo Feria quarta et Sabbato, quando Responsoria sumenda erunt ex tertio Nocturno, primum Responsorium erit quod est septimum Dominicæ : secundo et tertio loco dicitur ij et iij sequentis Feriæ, id est, post secundam et tertiam Lectionem dicitur secundum et tertium Responsorium, quod est ij et iij secundæ sequentis Feriæ, si propria Responsoria habuerit; alioquin si non habuerit propria, dicitur secundum et tertium Responsorium primi Nocturni ejusdem Dominicæ. Ab Octava Epiphaniæ usque ad Septuagesimam habentur Responsoria propria in singulis Feriis, excepto Sabbato : in quo, quando fit de Feria, dicuntur Responsoria feriæ quartæ.

6. Sumuntur autem Responsoria ex eo loco, ubi primo sunt posita, in principio mensis, vel libri, et repetuntur in aliis sequentibus Dominicis illius mensis, in quibus alia non assignantur, vel donec de illo libro legitur, unde sumpta sunt Responsoria. Quæ autem in prima Hebdomada mensis posita sunt per ferias, repetuntur eodem ordine in eisdem feriis per sequentes Hebdomadas, donec alia ponantur. Ubi vero non adsunt propria, semper ex Nocturnis Dominicæ sumuntur dicto ordine.

7. Si Responsoria primi Nocturni ejus Dominicæ, in qua primo ponuntur, propter Festum Duplex in ea occurrens, in ipsa Dominica poni non possint, ponantur prima die ejus Hebdomadæ, in qua occurrit fieri de Feria, et omittantur alia, quæ forte in illa Feria propria haberentur. Si vero in tota Hebdomada non occurrat dies, in quo fiat de Feria, illa Responsoria ponantur in sequenti Hebdomada, vel Dominica similiter non impedita, et dummodo in ea alia Responsoria non sint primo ponenda; alioquin eo anno omittantur Responsoria etiam, quæ in aliquibus Feriis per Hebdomadam habentur, si eo die, quo

posita sunt, non possunt dici propter Festum occurrens, non sunt transferenda in aliam diem, sed omittuntur.

8. Tempore Paschali in fine Responsorii ante Versum additur *Alleluia*.

XXVIII. *De Responsoriis brevibus Horarum.*

Responsoria brevia dicuntur post Capitulum ad Primam, Tertiam, Sextam, et Nonam, et ad Completorium, præterquam in triduo ante Pascha usque ad Nonam Sabbati in Albis inclusive, quibus diebus non dicuntur. Ad Primam et Completorium semper dicuntur eodem modo, ut in Psalterio. In aliis Horis, quando fit Officium de Dominica, vel Feria per annum, dicuntur ut habentur in Psalterio. In Adventu autem, Quadragesima, tempore Passionis, et Paschali, ut suis locis habentur propria. In festis similiter, quando non habentur propria, dicuntur ut in Communi Sanctorum.

2. In fine Responsorii brevis dicitur, *Gloria Patri*, cum repetitione Responsorii, eo modo, quo ordinatur ad Primam in Psalterio, præterquam tempore Passionis : tunc enim non dicitur, *Gloria Patri*, in Officio de Tempore, sed solum repetitur Responsorium breve a principio.

3. In Responsorio brevi ad Primam, loco Versus, *Qui sedes*, etc., in Adventu dicitur, *Qui venturus es in mundum*, tam in Dominicis, et Feriis, quam in Festis, excepto Festo Conceptionis B. Mariæ, et per Octavam in Nativitate Domini usque ad Epiphaniam, etiam in Festis occurrentibus, in festo Corporis Christi, et per Octavam, et in omni Officio B. Mariæ tam novem, quam trium Lectionum, etiamsi infra ejusdem Octavas fiat de Festo, vel de Dominica, dicitur, *Qui natus es de Maria Virgine*. In Epiphania, et per Octavam, et in festo Transfigurationis dicitur, *Qui apparuisti hodie*. A Dominica in Albis inclusive, usque ad Ascensionem exclusive, tam in Officio de Tempore, quam de Sanctis (excepto Officio S. Mariæ), semper dici-

tur, *Qui surrexisti a mortuis*. In Ascensione usque ad Pentecosten exclusive, dicitur, *Qui scandis super sidera*. In Pentecoste, et reliquo anni tempore, tam in Officio de Tempore, quam de Sanctis, dicitur, *Qui sedes ad dexteram Patris*, ut in Psalterio.

4. Responsoria brevia aliarum Horarum, quæ ponuntur in prima Dominica de Adventu, dicuntur per totum Adventum, quando fit officium de Tempore. Similiter quæ ponuntur in prima Dominica Quadragesimæ, dicuntur usque ad Dominicam Passionis exclusive. Et quæ ponuntur in Dominica Passionis, dicuntur usque ad Feriam quintam in Cœna Domini exclusive. Item quæ ponuntur in Dominica in Albis, dicuntur usque ad Ascensionem exclusive. Quæ vero ponuntur in aliquo festo habente Octavam, dicuntur per totam Octavam, quando fit de Octava. In Officio autem B. Mariæ, tam novem, quam trium Lectionum, excepto Festo Assumptionis ejusdem, dicuntur semper Responsoria brevia de Communi Virginum.

5. Tempore Paschali, a Dominica in Octava Paschæ usque ad Sabbatum post Pentecosten inclusive, in fine Responsorii brevis ante primum Versum, dicuntur duo *Alleluia*, quæ etiam post dictum primum Versum repetuntur pro parte Responsorii, et in fine secundi Versus unum tantum *Alleluia*, tam in Officio de Tempore, quam de Sanctis, ut dicitur in Rubrica, quæ est in Sabbato in Albis. Extra tempus Paschale, quamvis in aliquibus Festis ad Tertiam, Sextam, et Nonam Responsoriis brevibus addantur *Alleluia*, non ideo adduntur ad Primam, et Completorium.

XXIX. *De Capitulis.*

Capitula semper dicuntur (præterquam a Feria quinta in Cœna Domini, usque ad Vesperas Sabbati in Albis exclusive, et præterquam in Officio Defunctorum) ad Ve-

speras, Laudes, et alias Horas, dictis Psalmis, et Antiphonis; ad Completorium vero dicto etiam Hymno.

2. Capitula Dominicalia posita in Psalterio, in primis, et secundis Vesperis, in Laudibus, et Horis dicuntur a tertia Dominica post Pentecosten usque ad Adventum, et a secunda post Epiphaniam usque ad Septuagesimam. Capitula autem ferialia dicuntur post Octavam Pentecostes usque ad Adventum, et ab Octava Epiphaniæ usque ad Dominicam primam Quadragesimæ. Aliis temporibus dicuntur ut in Proprio de Tempore; si fit de Sanctis, ut in Proprio de Sanctis, cum propria adsunt; alioquin de Communi Sanctorum. Capitulum Primæ et Completorii (quando Capitula dicuntur) nunquam mutatur, ut in Psalterio.

3. In Dominicis ab Adventu usque ad Octavam Epiphaniæ, et a Septuagesima usque ad tertiam post Pentecosten, et in Feriis temporis Paschalis, et in omnibus festis regulariter Capitulum positum in primis Vesperis, dicitur in Laudibus, ad Tertiam, et in secundis Vesperis, quibusdam exceptis, quæ suis locis assignantur.

4. In Feriis tempore Paschali ad Primam dicitur Capitulum, *Regi sæculorum* : sicut in Dominicis, et Festis. Post Capitulum semper respondetur : *Deo gratias.*

XXX *De Oratione.*

Oratio in Vesperis, et Laudibus dicitur post Antiphonas ad Magnificat, et Benedictus immediate, nisi quando dicendæ sunt Preces, quæ dicuntur post Antiphonam, et in fine illarum Oratio. Ad Primam, et alias Horas Oratio dicitur post Responsorium breve, nisi discendæ sint Preces : tunc enim Oratio dicitur post Preces. Ad Completorium Oratio dicitur post Antiphonam, *Salva nos,* nisi dicendæ sint Preces : et tunc dicitur post illas.

2. Ad Primam, et Completorium nunquam mutantur Orationes, quæ habentur in Psalterio, præterquam in tri-

duo ante Pascha, in quo triduo ad omnes Horas usque ad Nonam Sabbati sancti inclusive post Psalmum, *Miserere*, dicitur Oratio diei, ut suo loco ponitur. In aliis Horis regulariter dicitur Oratio, quæ dicta est in primis Vesperis. In Quadragesima autem, Quatuor Temporibus, Vigiliis, et Feria secunda Rogationum, Oratio, quæ dicta est in Laudibus, dicitur tantum ad Tertiam, Sextam, et Nonam. In Vesperis autem sequentibus, si fit de Feria, dicitur vel alia propria, ut in Quadragesima, vel Dominicæ præcedentis, ut in aliis Feriis. Quæ Oratio præcedentis Dominicæ semper dicitur in feriali Officio per Hebdomadam, quando propria non assignatur. Infra octavas dicitur Oratio, ut in die Festi : similiter et in die octava, nisi alia propria assignetur.

3. Ante Orationem, etiam quando aliquis solus recitat Officium, semper dicitur Versus, *Dominus vobiscum*, et respondetur, *Et cum spiritu tuo*. Qui Versus non dicitur ab eo, qui non est saltem in ordine Diaconatus, nec a Diacono præsente Sacerdote, nisi de illius licentia. Si quis autem ad Diaconatus ordinem non pervenerit, ejus loco dicat, *Domine, exaudi orationem meam*, et respondetur, *Et clamor meus ad te veniat*. Deinde dicitur, *Oremus*, postea Oratio : quæ si unica tantum dicatur, Versus, *Dominus vobiscum*, vel, *Domine, exaudi*, repetitur finita Oratione, postquam fuerit responsum, *Amen;* sin autem plures Orationes dicendæ sint, ante quamlibet Orationem dicitur Antiphona, et Versus, deinde *Oremus :* et post ultimam Orationem repetitur, *Dominus vobiscum* : postea dicitur, *Benedicamus Domino;* respondetur : *Deo gratias*. Deinde dicitur Versus, *Fidelium animæ*. Qui versus non dicitur post *Benedicamus Domino*, ad Primam ante *Pretiosa*, etc., neque ad Completorium ante Versum, *Benedicat*, etc., nec quando post aliquam Horam immediate sequitur Officium parvum beatæ Mariæ, vel officium Defunctorum, aut Septem Psalmi Pœnitentiales, vel solæ Litaniæ.

4. Si Oratio dirigatur ad Patrem, concluditur, *Per Dominum*. Si ad Filium, *Qui vivis et regnas*. Si in principio Orationis fiat mentio Filii, dicatur, *Per eumdem;* si in fine Orationis, dicatur, *Qui tecum vivit et regnat*. Si fiat mentio Spiritus sancti, dicatur, *In unitate ejusdem Spiritus sancti*, etc.

5. Quando plures Orationes dicuntur, prima tantum dicitur sub sua conclusione, *Per Dominum*, vel aliter, ut supra : aliæ non concluduntur, nisi in ultima Oratione, sed unicuique Orationi semper præponitur *Oremus*, præterquam in Officio Defunctorum, in quo alio modo, quam ut supra, Orationes dicuntur : item in Litaniis, Orationes omnes dicuntur conjunctim sub uno *Oremus*, ut suis locis habetur.

XXXI. *De Hymno*, Te Deum.

Hymnus, *Te Deum*, dicitur in omnibus Festis per annum, tam trium, quam novem Lectionum, et per eorum octavas, excepto festo sanctorum Innocentium, nisi venerit in Dominica; dicitur tamen in ejus die octava ; dicitur etiam in omnibus Dominicis a Pascha Resurrectionis inclusive, usque ad Adventum exclusive, et a Nativitate Domini inclusive, usque ad Septuagesimam exclusive : et in omnibus Feriis temporis Paschalis, scilicet a Dominica in Albis, usque ad Ascensionem, excepta feria secunda Rogationum, in qua non dicitur.

2. Non dicitur autem in Dominicis Adventus, et a Septuagesima usque ad Dominicam Palmarum inclusive, neque in Feriis extra tempus Paschale.

3. Cum dicitur, omittitur semper nonum, vel tertium Responsorium, et statim dicitur post ultimam Lectionem.

4. Cum non dicitur, ejus loco ponitur nonum, vel tertium Responsorium : quo dicto statim inchoantur Laudes. Similiter quando dicitur, *Te Deum;* eo Hymno dicto statim inchoantur Laudes, præterquam in nocte Nativitatis Do-

mini, quia tunc dicitur Oratio, postea celebratur Missa, ut suo loco notatur.

XXXII. *De Oratione Dominica, et Salutatione Angelica.*

Oratio Dominica, *Pater noster*, et Salutatio Angelica, *Ave Maria*, semper dicitur secreto ante omnes Horas, præterquam ad Completorium, in cujus principio post Lectionem brevem, *Fratres, Sobrii*, dicto Versu, *Adjutorium nostrum*, dicitur tantum *Pater noster*, secreto, et in fine Completorii statim post Orationem B. Mariæ, dicitur *Pater noster, Ave Maria*, et *Credo*, totum similiter secreto. Finitis Horis, et dicto Versu, *Fidelium animæ*, dicitur similiter secreto, *Pater noster*, tantum, nisi sequatur Officium B. Mariæ, quia tunc post illud dicitur, *Pater noster*, ut supra, et nisi alia Hora subsequatur : tunc enim dicitur semel tantum, *Pater noster*, cum *Ave Maria*, pro principio sequentis Horæ, qua finita, dicitur, *Pater noster*, ita ut semper dicatur in fine ultimæ Horæ. Si autem post Vesperas immediate sequatur Completorium dicto, *Fidelium animæ*, incipitur Versus, *Jube, Domne, benedicere*.

2. Quando in fine Orationis Dominicæ proferendum est clara voce, *Et ne nos inducas*, semper in principio eadem voce proferuntur hæc duo verba, *Pater noster*, ut in Precibus, et similibus : alias nunquam proferuntur, sed dicitur totum secreto. Ad Laudes vero, et Vesperas, quando in feriali Officio dicuntur Preces, totum dicitur clara voce ab Hebdomadario.

3. Salutatio Angelica semper dicitur ante Officium beatæ Mariæ, quando non conjungitur cum Officio Domini, quia tunc sufficit dixisse eam in principio cum Oratione Dominica.

XXXIII. *De Symbolo Apostolorum et Symbolo S. Athanasii.*

Symbolum Apostolorum semper dicitur ante Matutinum, et Primam, et finito Completorio post Orationem Angelicam, totum secreto, etiam si ad Primam, et Completorium iterum dicendum sit cum Precibus. Quando vero dicitur cum Precibus ad Primam, et Completorium, clara voce profertur, *Credo in Deum*, et in fine, *Carnis resurrectionem*, reliquum dicitur secreto, alias totum secreto dicitur ut supra.

2. Symbolum S. Athanasii dicitur ad Primam post Psalmum, *Retribue*, in omnibus Dominicis per annum, quando Officium fit de Dominica, exceptis Dominicis infra Octavas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, et Corporis Christi, ac Dominica Resurrectionis, et Pentecostes, in quibus dicuntur tantum tres Psalmi consueti ut in Festis. In Dominicis infra alias Octavas, et in Dominica Trinitatis dicitur, alias nunquam, neque si aliquod festum Duplex celebretur in Dominica. Et in fine illius dicitur, *Gloria Patri*.

XXXIV. *De Precibus.*

Preces sunt aliquot Versus, qui aliquando dicuntur ante Orationem, incipientes a *Kyrie, eleison*, vel a *Pater noster*.

2. Preces Dominicales ad Primam, et Completorium ut in Psalterio, non dicuntur in Duplicibus, nec infra Octavas, nec in Vigilia Epiphaniæ, et Feria sexta, et Sabbato post Octavam Ascensionis, etiam si infra Octavam fiat Officium de Dominica, vel alio festo Semiduplici, quia tunc ratione Octavæ non dicuntur; alias autem semper dicuntur.

3. Preces feriales ad Laudes, et per Horas distinctæ, ut

in Psalterio, dicuntur tantum in Feriis Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, et Vigiliarum, quæ jejunantur (exceptis Vigilia Nativitatis Domini, ac Vigilia, et Quatuor Temporibus Pentecostes), et tunc dicuntur flexis genibus. In aliis Feriis per annum nunquam dicuntur nisi Dominicales, et in illis non flectuntur genua.

4. In Feriis Adventus, Quadragesimæ, et Quatuor Temporum, dicuntur Preces feriales etiam ad Vesperas si non sequatur festum : ad Completorium dicuntur consuetæ de Dominica, sed flexis genibus. Dicuntur autem Preces flexis genibus ab Hebdomadario usque ad Versum, *Dominus vobiscum*, ante primam Orationem; a circumstantibus autem usque ad Versum, *Benedicamus Domino*, post ultimam Orationem.

5. In Vigiliis Preces feriales dicuntur tantum ad Matutinum, et per Horas; ad Vesperas vero sequentes non dicuntur, quia inde fit de festo. Quod si post Vigiliam S. Matthiæ sequatur primus dies Quadragesimæ, in Vesperis dicuntur Preces feriales, quamvis dicenda sit Oratio Dominicæ præcedentis, et non Vigiliæ. Quod etiam servatur, quando in Feria sexta, et Sabbato Quatuor Temporum Septembris fit Officium de feria, cum in eis non occurrat Festum novem Lectionum : tunc enim in Vesperis feriæ sextæ dicuntur Preces, quamvis dicenda sit Oratio Dominicæ præcedentis, non autem feriæ Quatuor Temporum.

6. Psalmus, *Miserere*, dicitur cum Precibus ad Vesperas tantum, et Psalmus, *De profundis* ad Laudes. In Officio Defunctorum dicuntur Psalmi, qui in eo Officio designantur.

XXXV. *De Commemorationibus communibus, seu Suffragiis Sanctorum.*

Commemorationes communes, seu Suffragia de Sanctis, quæ habentur in Psalterio post Vesperas Sabbati,

dicuntur in fine Vesperarum, et Laudum ab Octava Epiphaniæ usque ad Dominicam Passionis exclusive, et ab Octava Pentecostes usque ad Adventum exclusive, in Dominicis, Feriis et Festis (nisi Officium sit Duplex, vel infra Octavas, etiamsi de Dominica, vel Semiduplici infra eas fiat) et illis adjungitur commemoratio de Patrono, vel Titulo Ecclesiæ, ante vel post commemorationem de Sancta Maria, et de Apostolis, pro dignitate illius : ita tamen, ut semper ultimo loco ponatur commemoratio de Pace. Et ante illas in feriali Officio fit commemoratio de Cruce, quæ habetur in Psalterio post Laudes Feriæ secundæ.

2. Tempore Paschali fit alia commemoratio de Cruce, ut ibi ponitur in Laudibus Feriæ secundæ post Dominicam in Albis, et ea solum tunc dicitur : non tamen in Duplicibus, neque infra Octavas.

3. Si facienda sit commemoratio alicujus Festi occurrentis, semper fit ante ipsa Suffragia consueta, etiam ante commemorationem de Cruce.

4. Commemoratio de sancta Maria non fit cum aliis, quando dicitur ejus Officium parvum, nec quandocumque fit Officium de ea.

XXXVI. *De Antiphonis B. Mariæ in fine Officii.*

Antiphonæ beatæ Mariæ positæ in fine Psalterii post Completorium, singulæ dicuntur pro temporis diversitate, ut ibi annotatur, præterquam in triduo majoris Hebdomadæ ante Pascha.

2. Dicuntur autem extra Chorum, tantum in fine Completorii, et in fine Matutini, dictis Laudibus, si tunc terminandum sit Officium : alioquin, si alia subsequatur Hora, in fine ultimæ Horæ. In Choro autem semper dicuntur, quandocumque terminata aliqua Hora discedendum est a Choro.

3. Nunquam vero dicuntur post aliquam Horam,

quando subsequitur cum Officio diei Officium Defunctorum, vel Septem Psalmi Pœnitentiales, aut Litaniæ, præterquam post Completorium, in quo semper dicuntur, etiam si prædicta subsequantur : neque etiam dicuntur, quando post aliquam Horam immediate subsequitur Missa. Dicuntur autem flexis genibus (præterquam in diebus Dominicis, a primis Vesperis Sabbati et toto tempore Paschali) Hebdomadario tamen ad Orationem surgente.

XXXVII. *De Officio parvo B. Mariæ et aliis.*

De Officio parvo B. Mariæ, de Officio Defunctorum, de Septem Psalmis Pœnitentialibus, et Litaniis, et de Psalmis Gradualibus, quando, et quomodo, tam in Choro quam extra Chorum, dicenda sint, habentur suis locis propriæ Rubricæ circa finem Breviarii.

2. Tempore Paschali in Officio parvo beatæ Mariæ, quod dicitur in Choro, non additur, *Alleluia*, Antiphonis, neque Versibus, neque Responsoriis.

DUÆ TABELLÆ

EX RUBRICIS GENERALIBUS EXCERPTÆ.

IN *quarum prima statim videri poterit, de quo celebrandum erit Officium, si plura eodem die Festa occurrant.*

In secunda vero, quomodo Officium præcedens concurrat in Vesperis cum Officio sequentis diei.

Ex utraque Tabella hoc ordine reperietur quod quæritur.

Primum inveniatur numerus positus in quadrangulo illo, in quo Festa, de quibus est controversia, sibi invicem occurrunt : deinde legatur Regula juxta dictum numerum descripta, et ex ea clare videbitur quid sit agendum.

Exempli gratia. Quadrangulus, in quo sibi invicem occurrunt Duplex primæ Classis, et Dominica primæ Classis, erit qui est in angulo superiori primæ Tabellæ, in quo signatus est numerus 1, quia si ad eum tam Duplex, quam Dominica prædicta ex eorum locis recto tramite pergerent, in eo sibi invicem occurrerent. Regula autem juxta dictum numerum apposita sic habet.

1. *Translatio de primo, Officium de secundo.* Id est, Duplex primæ Classis prædictum transferatur, et Officium fiat de Dominica primæ Classis; quia cum in his regulis dicitur, de primo seu præcedenti, intelligitur de Festo in superiori parte Tabellæ apposito, ut Duplex prædictum; cum de secundo vel sequenti, de Festo in inferiori parte sub numeris apposito, ut Dominica prædicta.

In aliquibus autem quadrangulis nullus appositus est numerus; vel quia nullus occursus, neque concursus esse

potest : vel quia in propriis locis adnotatur in Breviario quid sid agendum.

Scire tamen oportet, quæ sint Duplicia primæ et secundæ Classis et majora per annum, et quæ Dominicæ et Feriæ majores dicantur.

DUPLICIA PRIMÆ CLASSIS

in quibus nulla fit commemoratio quorumcumque Festorum occurrentium, nisi prout supra in Rubricis :

Nativitas Domini.
Epiphania Domini.
Pascha Resurrectionis, cum tribus antecedentibus et duobus sequentibus diebus.
Ascensio Domini.
Pentecostes, cum duobus sequentibus diebus.
Festum Corporis Christi.
Nativitatis S. Joannis Baptistæ.
Festum sanctorum Apostolorum Petri et Pauli.
Assumptio B. Mariæ virginis.
Festum omnium Sanctorum.
Dedicatio propriæ Ecclesiæ.
Patronus vel Titulus Ecclesiæ.

DUPLICIA SECUNDÆ CLASSIS

in quibus de Simplicibus fit commemoratio in Laudibus tantum :

Circumcisio Domini.
Festum SS. Nominis Jesu.
Festum sanctissimæ Trinitatis.

Conceptio Nativitas Annuntiatio Visitatio Purificatio	B. V. Mariæ.

Dedicatio S. Michaelis Archangeli.
Natalitia undecim Apostolorum.
Festa Evangelistarum.
Festum S. Stephani Protomartyris.
Festum S. Laurentii Martyris.
SS. Innocentium Martyrum.
Festum, et Patrocinium S. Joseph Sponsi B. Mariæ Virginis, Confessoris.
Inventio sanctæ Crucis.

DOMINICÆ MAJORES

dividuntur in duas Classes.

DOMINICÆ PRIMÆ CLASSIS

quæ nunquam omittuntur.

Prima Adventus.
Prima Quadragesimæ.
Passionis.
Palmarum.
Paschæ.
In albis.
Pentecostes.
Trinitatis.

DOMINICÆ SECUNDÆ CLASSIS

quæ non omittuntur, nisi occurrente Patrono vel Titulari Ecclesiæ, et ejusdem Dedicatione: et tunc de eis fit semper commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus.

Secunda, Tertia, Quarta } Adventus.

Dominicæ { Septuagesimæ. Sexagesimæ. Quinquagesimæ.

Secunda
Tertia } Quadragesimæ.
Quarta

DUPLICIA MAJORA PER ANNUM

quæ aliis Duplicibus minoribus præferuntur.

Transfiguratio Domini.
Exaltatio sanctæ Crucis.
Festum Pretios. Sanguinis D. N. J. C.
Festum SS. Nominis
Præsentatio
Festum Nivis
Comm. de Monte Carm. } B. V. M.
Solemnitas SS. Rosarii
Duo Festa Sept. Dolor.
Festum de Mercede
Apparitio S. Michaelis Archangeli.
Decollatio S. Joannis Baptistæ.
Cathedra S. Petri utraque.
Festum ejusdem ad Vincula.
Conversio S. Pauli.
Festum S. Joannis ante portam Latinam.
S. Barnabæ Apostoli.
S. Joachim Patris B. M. V. Conf.
S. Annæ Matris B. M. V.
Patronorum minus principalium.

Feriæ majores, de quibus semper fit commemoratio.

Adventus.
Quadragesimæ.
Quatuor Temporum, et
Secunda Rogationum.

SI OCCURRAT IN EODEM DIE

	Vigilia.	Feria Major.	Sancta Maria in Sabbato.	Simplex.	Semiduplex.	Dies Octavæ.	Dies infra Octavam.	Duplex per annum.	Duplex secundæ Classis.	Duplex primæ Classis.	Dominica per annum.	Dominica secundæ Classis.	Dominica primæ Classis.
Duplex primæ classis, et	6	4	0	6	2	4	6	2	2	8	4	4	1
Duplex secundæ Classis,	4	4	0	4	2	4	6	2	8	1	4	1	1
Duplex per annum,	4	4	0	4	2	1	4	8	1	1	4	1	1
Dies infra Octavam,	4	4	0	4	3	3	7	3	5	5	3	3	3
Dies Octavæ,	4	4	0	4	2	7	4	2	3	3	4	3	3
Semiduplex,	4	4	0	4	8	1	4	1	1	1	1	1	1
Simplex,	3	3	3	0	3	3	3	3	3	5	3	3	3
Sancta Maria in Sabbato	5	5	0	4	0	0	0	0	0	0	0	0	0
Feria Major,	6	0	6	4	3	3	3	3	3	3	0	0	0
Vigilia,	0	5	6	4	3	3	3	3	3	5	0	0	0

1 Translatio de primo, Officium de secundo.
2 Officium de primo, translatio de secundo.
4 Commemoratio de primo, Officium de secundo.
4 Officium de primo, commemoratio de secundo
5 Nihil de primo, Officium de secundo.
6 Officium de primo, nihil de secundo.
7 Officium de digniori, commemoratio de minus digno.
8 Officium de digniori, translatio de minus digno.

Notandum, quod Duplex quodcumque, etiam Patroni, et Tituli Ecclesiæ, vel Dedicationis ejusdem, occurrens in Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, in die Circumcisionis, in die octava Epiphaniæ, in Feria quarta Cinerum, ac in tota majori Hebdomada, et infra Octavas Paschæ et Pentecostes, in Ascensione Domini, in Festo Corporis Christi, in Festo Assumptionis Beatæ Virginis, et omnium Sanctorum, transfertur.

Infra Octavam Epiphaniæ fit tantum de Patrono, vel

Titulari Ecclesiæ, et ejusdem Dedicatione, cum commemoratione Octavæ : alia Festa transferuntur post Octavam.

Infra Octavam Corporis Christi, Semiduplex transfertur, neque fit de Duplici translato; et de ea, quocumque adveniente Duplici, fit commemoratio.

Infra illas Octavas, in quibus fit de Festis occurrentibus Semiduplex occurrens in Dominica, transfertur in proxime sequentem diem quæ si fuerit impedita alio simili Festo, transfertur post Octavam.

De Octava Nativitatis Domini, Epiphaniæ, et Corporis Christi, semper fit commemoratio quocumque Festo in illis occurrente.

De aliis Octavis, quæ non sunt in Kalendario, nihil fit a Feria quarta Cinerum usque ad Dominicam in albis, et a Vigilia Pentecostes usque ad Festum Trinitatis inclusive, et a die 17 Decembris usque ad Epiphaniam.

Dies Octavæ nunquam transfertur : ideo quamquam Nativitas S. Joannis Baptistæ occurrens in die Corporis Christi, transferatur in diem sequentem : non tamen transfertur Octava, sed de ea fit tantum commemoratio in Officio de Octava Corporis Christi. Circa alias vero Octavas observanda est Rubrica particularis num. VII : ab ea tamen excipiendum Festum Portiunculæ, quod vim habet Festi solemnis non transferendi ob concurrentiam Octavæ cujusvis Patroni, Titularis, aut Dedicationis Ecclesiæ.

Si occurrat, ut Patronus, vel Titulus Ecclesiæ descriptus sit eodem die in Kalendario cum aliis Sanctis, in ea Ecclesia fit tantum de Patrono, vel Titulari, absque commemoratione aliorum. Qui si in dicto Kalendario descripti sint sub Officio Duplici, vel Semiduplici, transferuntur in primam diem simili Officio non impeditam ; et de eis fiat Officium Semiduplex, nisi tamen sint de majoribus Festis, quia tunc de translato quoque fiet Officium Duplex, ac si proprio die celebraretur. Si vero in Kalen-

dario omnes sint tanquam Festum Simplex, de illis nihil fit.

De Feriis Adventus et Quadragesimæ, quando de eis non fit Officium, fit commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus cujuscumque Festi: de Quatuor Temporibus, et Feria secunda Rogationum, ac Vigiliis, in Laudibus tantum. Si vero aliqua Vigilia occurrat in Adventu, Quadragesima, et Quatuor Temporibus, vel in diebus Festorum Duplicium primæ Classis, sive Patroni, vel Tituli, aut Dedicationis Ecclesiæ, de ea nihil fit nec etiam in Laudibus.

QUANDO CONCURRIT

	Sancta Maria in Sabbato.	Die infra Octavam.	Die Octavæ.	Simplici.	Semiduplici.	Duplici per annum minore.	Duplici per annum majore.	Patrono, seu Titulo Ecclesiæ.	Duplici secundæ Classis.	Duplici primæ Classis.	Dominica quacumque.
Dom. major, seu j et ij class. cum	0	4	4	4	4	3	3	3	3	3	0
Dominica minor, seu per annum	0	4	3	4	4	3	3	1	1	1	0
Duplex primæ Classis,	2	2	4	2	4	4	4	0	4	6	4
Duplex secundæ Classis,	4	4	4	4	4	4	4	3	6	3	4
Patronus, seu Titulus Ecclesiæ,	2	2	4	2	4	4	4	0	4	0	4
Duplex per annum majus,	4	4	4	4	4	4	6	1	3	1	4
Duplex per annum minus,	4	4	5	4	4	5	3	1	3	4	4
Semiduplex,	4	5	3	4	5	3	3	1	1	1	5
Dies Octavæ,	4	4	5	4	4	5	3	1	3	1	4
Dies infra Octavam,	0	0	3	4	5	3	3	1	1	1	5

1 Totum de sequenti, nihil de præcedenti.
2 Totum de præcedenti, nihil de sequenti.
3 Totum de sequenti, commemoratio de præcedenti.
4 Totum de præcedenti, commemoratio de sequenti.
5 Capitulum de sequenti, commeratio de præcedenti.
6 Totum de digniori, commemoratio de minus digno.
Simplex, et S. Maria in Sabbato, Feria, et Vigilia non concurrunt.

NOTANDUM, quod in primis Vesperis diei Octavæ Ascensionis et Corporis Christi, totum Officium fit de Octava, cum Commemoratione præcedentis festi Duplicis, nisi fuerit Festum solemne principale, vel primæ vel secundæ Classis, quia tunc de Festo fieret Officium, et Com-memoratio de Octava.

In secundis Vesperis diei Octavæ Epiphaniæ, Paschæ, Ascensionis, et Corporis Christi, de sequenti Duplici fit tantum Commemoratio, nisi illud fuerit primæ, vel secundæ Classis, seu Patronus, vel Titulus, aut Dedicatio Ecclesiæ : quia tunc de Festo fieret Officium, et de Octava Commemoratio. Et similiter die Octava Corporis Christi in secundis Vesperis concurrente cum die Octava S. Joannis Baptistæ, Vesperæ erunt de Octava Corporis Christi cum Commemoratione Octavæ S. Joannis.

In secundis Vesperis Duplicis secundæ Classis non fit Commemoratio de die infra Octavam, nisi quando de ea fieri debeat Officium die sequenti.

Cum plures fiunt Commemorationes, servetur hic ordo: De Duplici, de Dominica, de Semiduplici, de die infra Octavam, de Feria majori, seu Vigilia, de S. Maria in Sabbato, de Simplici.

RUBRICÆ SPECIALES E CORPORE BREVIARII EXCERPTÆ.

EX PROPRIO DE TEMPORE.

DOMINICA TERTIA ADVENTUS,

post Ant. ad Magnificat.

Hæc Antiphona prætermittitur, si hodie ejus loco ponenda sit una ex Antiphonis majoribus, ut *in Breviario;* quibus semper cedunt Antiphonæ propriæ aliis diebus ad Magnificat assignatæ.

Antiphonæ majores ad Magnificat inchoantur die XVII Decembris, et singulæ ante et post Magnificat integræ sicut in Duplicibus dicuntur per ordinem usque ad diem ante Vigiliam Nativitatis. Si vero Festum fuerit, dicuntur post Orationem Festi pro commemoratione Adventus.

Antiphonæ *quæ sequuntur in Breviario* ad Laudes et per Horas dicuntur in sex Feriis ante Vigiliam Nativitatis, incipiendo die XVII Decembris, ab Antiphonis, quæ Feriæ illius diei assignantur. Similiter et aliæ dicuntur in propriis Feriis.

Quod si dies XVII fuerit Dominica, Antiphonæ inchoantur sequenti Feria secunda, quæ erit dies XVIII. Quæ autem dicendæ essent die in quo occurrit Festum sancti Thomæ, dicuntur in Sabbato cum Psalmis Sabbati, quarta Antiphona prætermissa : cujus loco dicitur Ant. t. 4. *Expectetur * sicut pluvia eloquium meum : et descendet super nos sicut ros Deus noster.*

Nisi Vigilia Nativitatis venerit in Dominica : tunc enim in Sabbato dicuntur Antiphonæ de Laudibus Dominicæ, quarta prætermissa, cujus loco dicitur Ant. *Expectetur.*

Antiphona ad Benedictus et Oratio dicitur ut in Sabbato Quatuor Temporum ponitur.

Antiphonæ vero de Laudibus quæ occurrunt in die S. Thomæ, eo anno prætermittuntur : et in Dominica tunc dicuntur Antiphonæ de Vigilia, ut infra dicetur in Rubrica de Vigilia.

Similiter omittitur Ant. *Expectetur*, quando illud Festum in Sabbato venerit.

IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI.

Si Vigilia Nativitatis Domini venerit in Dominica, Officium fit hoc modo.

Ad Matutinum, Invitator. de Vigilia, *Hodie scietis*.

Hymnus de Adventu, *Verbum supernum*.

Antiphonæ, Psalmi, Versiculi, Lectiones, et Responsoria in I et II Nocturno dicuntur de Dominica quarta.

In III Nocturno Antiphonæ et Psalmi de Dominica, ℣. de Vigilia, tres Lectiones de Homilia Vigiliæ cum suis Responsoriis, et non legitur Homilia Dominicæ pro ultima Lectione.

Laudes de Vigilia cum Commemoratione de Dominica.

Similiter et per Horas celebratur Officium de Vigilia.

POST FESTUM SS. INNOCENTIUM.

Si Festum Nativitatis Domini, S. Stephani, S. Joannis Evangelistæ, SS. Innocentium, et eorum dies Octavæ, venerint in Dominica, ipso die nihil fit de Dominica, sed die proximo post Festum S. Thomæ Martyris fit de ea, ut infra *dicetur*.

Si Festum S. Thomæ venerit in Dominica, transfertur in II Feriam, et in Sabbato post Orationem SS. Innocentium dicitur Antiphona, ℣. et Oratio Dominicæ, quæ paulo infra habetur *in Breviario*; deinde fit Commemoratio Octavarum : et in secundis Vesperis Dominicæ fit Commemoratio S. Thomæ, et Octavarum.

In secundis Vesperis S. Thomæ, Antiphonæ et Psalmi de Nativitate, quæ duplicantur : Capitulum et alia de S. Silvestro cum Commemoratione S. Thomæ et Octavarum.

POST FESTUM S. THOMÆ EPISCOPI ET MARTYRIS.

Si Festum S. Thomæ non venerit in Dominica, Officium Dominicæ fit die immediate sequenti Festum ipsius; nisi fuerit Sabbatum, quia tunc de Dominica fit tantum Commemoratio in die S. Silvestri; et in Sabbato fit Officium de Octava Nativitatis, ut inferius *notatur*.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS.

In secundis Vesperis S. Thomæ, quando non venerit in Dominica, Ant. *Tecum principium*, cum reliquis Antiphonis et Psalmis de Nativitate.

Deinde fit Commemoratio S. Thomæ et Octavarum.

Ad Matutinum omnia dicuntur sicut in die Nativitatis, præter Ant. ad Benedictus et Magnificat, Orationem, Lectiones et Responsoria.

Hac nocte ponitur Epistola B. Pauli ad Romanos, et de ea et aliis ejus Epistolis legitur usque ad Septuagesimam.

Ad Laudes, fit Commemoratio de Octava Nativitatis, et aliis Octavis, ut *in Breviario*, post nonam Lectionem S. Thomæ.

Ad secundas Vesperas, Ant., Psalmi, Capitulum, et Hymnus ut in primis Vesperis.

Et fit Commemoratio de Octava Nativitatis, et Aliis Octavis.

Si dies post Festum S. Thomæ fuerit Sabbatum, Officium fit de Octava Nativitatis hoc modo. In secundis Vesperis S. Thomæ omnia dicuntur sicut in secundis Vesperis diei Nativitatis (sed non duplicantur Ant.) et post Orationem Nativitatis fit Commemoratio S. Thomæ, deinde S. Stephani, et aliarum Octavarum ut *in Breviario*, post Orationem Dominicæ.

Ad Matutinum omnia dicuntur sicut in die Nativitatis, præter Lectiones primi et secundi Nocturni, et Responsoria, quæ dicuntur ut in Dominica, et Lectiones tertii Nocturni, quæ dicuntur ut *notatur in Breviario*.

Ad Laudes omnia dicuntur sicut in Nativitate, et post Orationem fit Commemoratio de S. Stephano, et reliquis Octavis, ut *in Breviario*, post nonam Lectionem S. Thomæ.

Ad Horas omnia dicuntur sicut in Nativitate Domini.

Ad Vesperas, Ant. *Tecum principium*, cum reliquis Antiphonis et Psalmis de Nativitate. Et Antiphonæ duplicantur. Capitulum et reliqua de S. Silvestro.

Si Festum S. Silvestri venerit in Dominica, agitur de Festo cum Commemoratione Dominicæ in primis Vesperis et Laudibus ante Commemorationem omnium Octavarum, et IX Lectio erit de Homilia Dominicæ.

INFRA OCTAVAM EPIPHANIÆ.

De Dominica infra Octavam, in quamcumque diem Octavæ inciderit, fit Officium ut infra ordinatur, et in ea ponitur Epistola prima ad Corinthios, omissis Lectionibus de Epistola ad Romanos.

Post Dominicam vero continuantur dies Octavæ, eodem numero quo notantur, perinde ac si Dominica non intercessisset. Exempli gratia : Si Dominica venerit in tertia die infra Octavam, prima die post Dominicam, Lectiones II et III Noct., et Antiphonæ ad Benedictus, et Magnificat, dicentur de tertia die infra Octavam, et sic deinceps de aliis : Lectiones tamen primi Nocturni de Epistola ad Romanos omittuntur, et pro iis sumuntur de Epistola prima ad Corinthios, quæ sequuntur post Dominicam, et de ea legitur etiam post Octavam usque ad Dominicam sequentem.

DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIÆ.

Totum Officium dicitur de Epiphania præter Lectiones, Capitula, Antiphonas ad Benedictus, et ad Magnificat et Orationem.

In I Nocturno ponitur Epistola prima ad Corinthios quæ *in Breviario* post Octavam habetur, et legitur de ea sequentibus diebus. Lectiones vero, quæ aliquando supersunt de Epistola ad Romanos, eo anno prætermittuntur.

Quando Epiphania in Dominica venerit, Sabbato sequenti fit Officium de Dominica, et Feria VI Vesperæ a Capitulo de Dominica cum Commemoratione Octavæ.

In I Nocturno leguntur Lectiones de Epistola ad Romanos; Epistola vero ad Corinthios tunc ponitur ipsa die Dominica in Officio Octavæ.

IN DIE OCTAVA EPIPHANIÆ.

Si Octava Epiphaniæ venerit in Dominica, nihil fit de Dominica in ipsa die Octava, sed tantum in primis Vesperis diei Octavæ fit Commemoratio pro secundis Vesperis Dominicæ infra Octavam, de qua celebratum est Officium, eo die.

Si Octava Epiphaniæ venerit in Sabbato, in II Vesperis Octavæ fit Commemoratio Dominicæ II post Epiphaniam. Quando autem Septuagesima venerit in I Dominica post Octavam Epiphaniæ, tunc in primo Sabbato post Octavam, non impedito Festo novem Lectionum, alioquin prima die post Octavam, fiat Officium de Feria, in qua ponuntur Responsoria I Nocturni Dominicæ II post Epiphaniam, et tres Lectiones leguntur de Homilia ejusdem Dominicæ, cum ejus Antiphona ad Benedictus, et Oratione. Festum vero Semiduplex in ea occurrens transfertur in primam diem similiter non impeditam.

DOMINICA II POST EPIPHANIAM.

Post Octavam Epiphaniæ usque ad Quadragesimam, quando occurrit fieri de Feria, fit Officium ut in Psalterio, exceptis iis, quæ sunt propria. Oratio vero dicitur de Dominica præcedenti.

SABBATO ANTE SEPTUAGESIMAM.

Si aliquod Festum Duplex celebretur in Sabbato ante Septuagesimam, in secundis Vesperis post Orationem Festi fit Commemoratio de Dominica, et in fine dicitur *Benedicamus Domino*, *alleluia*, *alleluia*, etc.

Si in Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam in albis occurrat Festum Duplex, vel Semiduplex, transfertur in primam diem similiter non impeditam, ut dicitur in Rubrica de Translatione Festorum.

FERIA IV INFRA HEBDOMAD. SEXAGESIMÆ, POST ANT. AD MAGNIF.

Si prædictæ Antiphonæ ad Magnificat non potuerint dici in præcedentibus Feriis, et in sequenti Feria quinta occurrat fieri Officium de Feria, dicatur ultima ex iis prætermissa : alioquin, expletis omnibus, sumantur de Psalterio : quod semper fit, quando propriæ non habentur.

FERIA IV CINERUM.

Si hac die occurrat Festum Duplex, transfertur in sequentem diem similiter non impeditam, ut dicitur in Rubrica de Translatione Festorum. Aliis diebus, si occurrat Festum Duplex, vel Semiduplex, fit de eo, cum Commemoratione et nona Lectione de Homilia Feriæ. De Simplicibus fit tantum Commemoratio.

In hac, et sequentibus Feriis usque ad Vesperas Sabbati, Hymni, Capitula, et alia omnia dicuntur ut in Psalterio per annum, exceptis Antiphonis ad Benedictus, et Magni-

ficat : et post Laudes, Horas, Vesperas, et Completorium dicuntur Preces flexis genibus, ut ibidem in Psalterio.

Hodie, et duobus sequentibus diebus dicuntur Vesperæ hora consueta.

SABBATO PRIMO IN QUADRAGESIMA.

Hodie et deinceps usque ad Pascha dicuntur Vesperæ ante comestionem tam in Festis quam Feriis, exceptis Dominicis, in quibus dicuntur hora consueta.

DOMINICA PRIMA IN QUADRAGESIMA.

Si hac die, et in aliis Dominicis Quadragesimæ occurrat Festum Duplex, transfertur in sequentem diem similiter non impeditam, ut dicitur in rubrica de Translatione Festorum. Aliis diebus Quadragesimæ usque ad majorem Hebdomadam, si occurrat Festum Duplex vel Semiduplex, fit de eo cum Commemoratione et nona Lectione de Homilia Feriæ.

De Simplici fit tantum Commemoratio.

SABBATO ANTE DOMINICAM PASSIONIS,
ad Vesperas.

Ab hoc Sabbato usque ad Feriam secundam post Octavam Pentecostes, non fiunt Commemorationes consuetæ de Cruce, de Sancta Maria, et aliæ in Psalterio positæ.

Ad Completorium in ℟. brevi non dicitur *Gloria Patri*, in Officio feriali usque ad Feriam V in Cœna Domini.

DOMINICA DE PASSIONE,
ad Matutinum.

Invitatorium, *Hodie si vocem*, dicitur usque ad Feriam V in Cœna Domini, etiam in feriali Officio.

In Psalmo, *Hodie si vocem*, omittitur et repetitur a Choro Invitatorium ; deinde sequitur, *Sicut in exacerbatione*.

In fine hujus Psalmi non dicitur *Gloria Patri*, hoc Tempore Passionis, nisi in Festis : sed repetitur Invitatorium, ut alias, in fine. Quod etiam servatur in ℟℟. ad Matutinum, et in ℟℟. brevibus Horarum, ubi similiter repetitur Responsorium.

FERIA QUARTA MAJORIS HEBDOMADÆ,
post Vesperas.

Tribus sequentibus diebus dicto secreto *Pater noster*, *Ave*, *Maria*, et ad Matutinum et in principio Primæ, *Credo*, omnibus aliis prætermissis, absolute incipitur Officium, ad Matutinum et Vesperas ab Antiphona primi Psalmi, et Antiphonæ duplicantur, sicut in Festo Duplici..

In fine Psalmorum non dicitur *Gloria Patri;* per omnes Horas, nec in Responsoriis : et in fine cujuslibet Psalmi ad Matutinum extinguitur una ea quindecim candelis positis in candelabro triangulari ante Altare.

FERIA QUINTA IN CŒNA DOMINI,
ad Laudes.

Dum dicitur canticum Benedictus, extinctis prius omnibus candelis in candelabro triangulari, præter unam, quæ posita est in summitate candelabri, extinguuntur paulatim sex candelæ positæ a principio supra Altare, ita ut in ultimo Versu extinguatur ultima candela : similiter extinguuntur lampades et luminaria per Ecclesiam. Cum repetitur Antiphona *Traditor*, accipitur suprema candela ex candelabro, et absconditur sub Altari in cornu Epistolæ. Repetita Antiphona post *Benedictus*, dicitur

℣. *Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem.* Secunda nocte additur, *Mortem autem crucis.* Tertia nocte additur, *Propter quod et Deus exultavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen.*

Et sic dicitur etiam per omnes Horas diei cum inci-

pitur ℣. *Christus factus est*, omnes genuflectunt, et eo finito dicitur *Pater noster*, totum sub silentio. Postea Psalmus *Miserere*, aliquantulum altius : quo finito, sine *Oremus*, dicitur simili voce Oratio *Respice*, *quæsumus*, etc., sed *Qui tecum vivit*, dicitur sub silentio.

Finita Oratione fit fragor et strepidus aliquantulum : mox profertur candela accensa de sub Altari, et omnes surgunt, et cum silentio discedunt.

Ad Horas.

Prima, Tertia, Sexta et Nona, dictis secreto *Pater noster*, *Ave Maria*, et ad Primam *Credo*, absolute inchoantur a Psalmis consuetis, qui ad Primam sunt ut in Festis : quibus finitis, dicitur ℣. *Christus factus est*, etc., flexis genibus, et dicitur secreto *Pater noster*, Psalm. *Miserere*.

Oratio *Respice*, *quæsumus*, sicut in Laudibus.

In hoc triduo non annuntiatur aliquid de Martyrologio, nec dicitur *Pretiosa*.

Ad Vesperas.

Vesperæ, dicto secreto *Pater noster*, *Ave Maria*, inchoantur absolute a prima Antiphona sine cantu.

Capitulum, Hymnus, et ℣., non dicuntur in hoc triduo.

Ad Magnificat, post Ant. *Cœnantibus*, ℣. *Christus factus est*, cum reliquis, ut in Laudibus.

Ad Completorium, non dicitur *Jube*, *Domne*, nec Lectio brevis, nec *Adjutorium*, neque Oratio Dominica, sed facta Confessione et Absolutione incipitur a Psalmo *Cum invocarem*.

Dictis Psalmis, dicitur *Nunc dimittis*, deinde ℣. *Christus factus est*, cum reliquis, ut ad Laudes.

Sic terminantur omnes Horæ in hoc triduo, usque ad Vesperas Sabbati sancti.

DOMINICA RESURRECTIONIS,

ad Matutinum.

HYMNI et Capitula non dicuntur in aliqua Horarum usque ad Vesperas Sabbati in Albis, nec Versiculi, nisi in Nocturno.

In Vesperis et in Laudibus tantum, usque ad Vesperas ejusdem Sabbati exclusive, additur duplex *Alleluia*, in fine ℣. *Benedicamus*, et ℟. *Deo gratias*, post Orationem

SABBATO IN ALBIS,

post Vesperas.

AD ℟℟. brevia, et ℣℣. per omnes Horas, jungitur *Alleluia*, usque ad Sabbatum post Pentecosten, prætérquam in ℣. ad Preces Primæ et Completorii, quando dicuntur (*scilicet* quando non est Duplex, nec infra Octavam), et quandocumque *Alleluia* jungitur ℟. breve duplicatur : sed in Versiculis dicitur semel.

FERIA II IN ROGATIONIBUS.

SI hodie occurrat Festum novem Lectionum, fit de eo, cum nona Lectione de Homilia, et Commemoratione de Feria ad Laudes tantum. De Festo autem trium Lectionum fit tantum Commemoratio.

FERIA III IN ROGATIONIBUS.

SI hodie occurrat Festum Simplex, fit de eo, sine Commemoratione de Feria, sed tantum de Cruce.

FERIA IV IN ROGATIONIBUS.

Vigilia Ascensionis.

SI hodie occurrat Festum novem Lectionum, fit de eo, cum Lectione de Homilia Vigiliæ, et Commemoratione ad Laudes. De Festo autem trium Lectionum fit tantum Commemoratio.

FERIA QUINTA POST FESTUM SS. TRINITATIS.

CELEBRATUR Festum Corporis Christi.

Si ea die occurrat Festum Duplex vel Semiduplex, transfertur post Octavam : si Simplex, nulla fit de eo Commemoratio.

Infra Octavam non fit de Festo, nisi fuerit Duplex : Semiduplicia transferuntur post Octavam ; nec fit de Duplici translato : de Simplici fit tantum Commemoratio absque nona Lectione de eo, nisi quando fit Officium de Duplici occurrente, non tamen in Duplicibus primæ Classis.

In die Octava non fit nisi de Nativitate sancti Joannis, et de Festo sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, vel de alio ex solemnioribus, si occurrant, cum Commemoratione Octavæ.

SABBATO ANTE DOMINICAM I AUGUSTI.

EA autem dicitur I Dominica mensis, quæ est in Kalendis, vel proximior Kalendis illius mensis : ita ut si Kalendæ fuerint II, III et IV Feria, tunc I Dominica mensis, in qua liber Scripturæ inchoandus ponitur, est ea quæ præcedit Kalendas. Sin autem V, et VI Feria, vel Sabbato, est ea quæ sequitur. Et in Sabbato præcedenti ad Magnif. ponatur Ant. illius historiæ, omissa alia quæ forte occurr.

Historia vero, id est ℟℟. illius libri, si propter aliquod Festum Duplex in Dominica occurrens poni non possint, primo die infra Hebdomadam, in quo contingit fieri Officium de Feria, ponantur ℟℟. I Nocturni Dominicæ, omissis aliis ℟℟. si forte in illa Feria haberentur propria, servatis etiam aliis quæ in Rubrica de ℟℟. num. 7, præscripta sunt.

FERIA QUINTA INFRA HEBDOMADAM IV SEPTEMBRIS.

SI hæc fuerit ultima Hebdomada Septembris, hac nocte ponitur liber Esther cum sua historia, ut in Dominica quinta hujus mensis, et legitur de eo etiam duobus se-

quentibus diebus. Quod si hoc triduo non occurrat Feria, in qua possint poni Responsoria, eo anno omittuntur.

Si vero non fuerit ultima Hebdomada, leguntur Lectiones pro hac Feria et duobus sequentibus in Breviario positæ.

FERIA QUINTA INFRA HEBDOMADAM IV OCTOBRIS.

Si hæc Hebdomada fuerit ultima Octobris, in tribus sequentibus diebus leguntur Lectiones Dominicæ V, et Feria II et III ejusdem Hebdomadæ : qui si fuerint impediti, eo anno omittantur illæ Lectiones quæ his diebus legi non possunt. Si vero in sequenti Hebdomada hæ Lectiones in suis Feriis legi non possint, ponantur in sequentibus Feriis ejusdem Hebdomadæ, juxta ordinem historiæ, et martyrii Machabæorum.

EX PROPRIO SANCTORUM.

DOMINICA II POST EPIPHANIAM.

FESTUM SANCTISSIMI NOMINIS JESU.

Duplex II *Classis.*

Occurrente Dominica Septuagesimæ, reponitur hoc Festum (quoad Officium) in diem xxviij Januarii, tanquam in Sedem propriam (translato quocumque alio Festo, si alicubi occurrat, nisi sit altioris ritus), et tunc legitur Lectio nona de sancta Agnete secundo, et fit de ea Commemoratio in Laudibus tantum.

Sed advertendum est quod in fine. ℣℣. ℟℟. et Antiphonarum, omittendum erit *Alleluia* : similiter et in ℟℟. brevibus Horarum, quia erit post Septuagesimam.

DIE XVIII JANUARII.

IN FESTO CATHEDRÆ S. PETRI, QUA ROMÆ PRIMUM SEDIT.

Duplex majus.

Ad Vesperas et ad Laudes, fit Commemoratio sancti Pauli ante alias quascumque Commemorationes etiam Festi Duplicis, aut Dominicæ. Quod etiam servatur in Commemoratione sancti Petri, quæ fit in Festis sancti Pauli.

DIE XIX MARTII.

IN FESTO SANCTI JOSEPH, SPONSI B. M. V., CONFESSORIS.

Duplex II *Classis.*

Si hoc Festum venerit in majori Hebdomada, vel infra Octavam Paschæ, transfertur post Octavam, juxta Rubricam de Translatione Festorum : et tunc in fine Antiphonarum, ℣. et ℟. additur *Alleluia*, et tres Psalmi dicuntur per singulos Nocturnos sub prima Antiphona illius Nocturni : quod etiam fit in omnibus Festis quæ celebr. tempore Paschali.

DIE XXV MARTII.

IN FESTO ANNUNTIATIONIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Duplex II *Classis.*

Si hoc Festum venerit in Dominica privilegiata, transferendum erit ad Feriam secundam immediate sequentem, quocumque Festo, etiam æqualis, non tamen altioris ritus, in ea incidente; si vero occurrerit in Hebdomada majori, vel Paschali, transferendum erit (pari cum privilegio) in Feriam secundam post Dominicam in albis, servato ritu Paschali, ut in Rubrica superius posita in festo S. Joseph.

FERIA VI POST DOMINICAM PASSIONIS.

FESTUM SEPTEM DOLORUM BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Duplex majus.

Si in hac Feria occurrerit Festum altioris ritus seu dignitatis, tunc Festum Septem Dolorum transferendum erit ad Sabbatum immediate sequens, quocumque Festo etiam æqualis non tamen altioris ritus seu dignitatis in eo incidente; quod si transferri ad Sabbatum non possit erit omittendum.

POST DIEM XXIII JUNII.

Notandum, quod si sequenti die xxiv, occurrerit solemnitas SS. Corporis Christi, agendum erit de prædicta solemnitate : Festum vero S. Joannis Baptistæ tunc reponatur in diem xxv, tanquam in sedem propriam, translato quocumque alio Festo Duplici, si alicubi occurrat post Octavam ; sed si fuerit I vel II classis, transfertur in primam diem Officio duplici non impeditam, etiam infra Octavam SS. Corporis Christi.

POST DIEM XV AUGUSTI.

Notandum, quod si Dominica infra Octavam Assumptionis (in qua, agitur de Festo S. Joachim) inciderit in diem xvi hujus Mensis, tunc in II Vesperis Assumptionis fit Commemoratio Festi S. Joachim et Dominicæ occurrentis tantum. In Laudibus Festi S. Joachim fit Commemoratio Dominicæ, Octavæ Assumptionis, ac S. Laurentii. In II autem Vesperis fit Commemoratio de die Octava S. Laurentii, cum Antiphona et ℣. ex I Vesperis Festi, et Oratio *Excita Domine,* ut *in Breviario;* deinde Dominicæ, postea Octavæ Assumptionis. Festum vero S. Hyacinthi transfertur in aliam diem.

Si autem die xvii fuerit Dominica, tunc Festum S. Joachim transferatur in sequentem Feriam ii, nisi fuerit impedita, quia agendum erit de die Octava S. Laurentii, cum

Commemoratione Dominicæ, et Octavæ Assumptionis in primis Vesperis et Laudibus. In secundis Vesperis omnia dicuntur de S. Joachim cum Commemoratione diei Octavæ S. Laurentii, Dominicæ occurrentis, Octavæ Assumptionis, ac S. Agapiti Martyris.

Si vero die xx, tunc (translato Festo S. Bernardi) agendum erit de Festo S. Joachim, ut ponitur *in Breviario*.

Si tandem contigerit die xxii, Officium tunc fit de die Octava Assumptionis, cum Commemoratione Dominicæ, Festum vero S. Joachim transfertur ad primam diem non impeditam.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS B. M. V.

FESTUM S. NOMINIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Duplex majus.

Si hæc Dominica immediate sequatur Festum Nativitatis Vesperæ dicuntur integræ de Nativitate sine Commemoratione S. Nominis. Si autem Festum S. Nominis incidat in diem Octavam Nativitatis, Officium fit de eo, absque Commemoratione diei Octavæ.

DOMINICA III SEPTEMBRIS.

FESTUM SEPTEM DOLORUM BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Duplex majus.

Quoties hæc Dominica præpeditur Officio S. Matthæi, vel SS. Nominis Mariæ, ex Decreto S. R. C. 18 Septembris 1814, Officium Dolorum transferendum est ad primam insequentem Dominicam non impeditam Officio ritus duplicis primæ vel secundæ classis.

DIE I NOVEMBRIS.

Dicto *Benedicamus Domino*, dicuntur Vesperæ Defunctorum, incipiendo ab Antiphona, *Placebo Domino*, quæ integra dicitur ante et post Psalmum, similiter et aliæ Antiphonæ, ad modum Duplicis. Psalmus, *Dilexi*, et re-

liqua omnia, ut in Vesperis Defunctorum, excepto Psalmo, *Lauda, anima mea, Dominum*, qui post *Pater noster* non dicitur, sed dicitur tantum Oratio, *Fidelium Deus omnium*, cum suis ℣℣. ut ibidem notatur.

Si prima dies post Festum omnium Sanctorum fuerit Dominica, fit Officium de ea, ut in Rubricis generalibus, et Officium Defunctorum transfertur in sequentem Feriam II, ita ut post Vesperas Dominicæ dicantur Vesperæ Defunctorum. Matutinum vero post Laudes Feriæ II, quæ erit tertia dies infra Octavam.

EX COMMUNI SANCTORUM.

IN VIGILIIS APOSTOLORUM.

Per annum, Officium fit de Feria, ut dictum est in Rubricis generalibus, exceptis Lectionibus, et Oratione, quæ in propriis locis notantur.

Ubi vero non sunt propriæ Lectiones, legitur Evangelium cum Homilia sequenti.

De Vigiliis Apostolorum tempore Quadragesimæ nihil fit in Officio, sed Commemoratio in Missa tantum; tempore Paschali vero, sive in Officio sive in Missa nihil fit.

IN COMMUNI

Confessorum, Virginum, et non Virginum, et Dedicationis Ecclesiæ, et in Festis B. Mariæ Tempore Paschali, Officium fit ut in aliis temporibus : sed additur unum *Alleluia*, in fine ad Invitatorium, Antiphonas, Versus et Responsoria. Similiter ut in Responsoriis post Lectiones Nocturnorum ante Versum (Responsoria brevia vero Horarum dicuntur ea, quæ in prædictis Communibus secundo loco ponuntur) : et tres Psalmi dicuntur in quolibet Nocturno sub prima Antiphona illius Nocturni.

PARS QUARTA.

RUBRICÆ GENERALES MISSALIS,

QUIBUS ANNECTUNTUR NONNULLÆ RUBRICÆ SPECIALES E CORPORE MISSALIS EXCERPTÆ.

SECTIO PRIMA.

RUBRICÆ GENERALES MISSALIS.

Missa quotidie dicitur secundum ordinem Officii : de Festo Duplici, vel Semiduplici, vel Simplici; de Dominica, vel Feria, vel Vigilia, vel Octava; et extra ordinem Officii, votiva, vel pro Defunctis.

I. *De Duplici.*

Missa dicitur de Duplici illis diebus quibus in Kalendario ponitur hæc nota, *Duplex*, et in Festis mobilibus quandocumque Officium est Duplex. In Duplicibus dicitur una tantum Oratio, nisi aliqua Commemoratio fieri debeat. Alia omnia dicuntur ut in propriis Missis assignatum est. Quando dici debeat *Gloria in Excelsis* et *Credo*, inferius ponitur in propriis Rubricis.

II. *De Semiduplici et Simplici.*

Missa de Semiduplici dicitur, quando in Kalendario ponitur hæc vox, *Semiduplex*. Præterea in Dominicis, et diebus infra Octavas. In Semiduplicibus tam Festis, quam Dominicis, et infra Octavas, dicuntur plures Orationes, ut infra dicetur in Rubrica de Orationibus. Infra Octavam dicitur Missa, sicut in die Festi, nisi propriam Missam habuerit. In Dominicis vero, sicut in propriis locis assignatur. De Simplici dicitur Missa sicut de Semiduplici, ut suis locis ponitur.

III. *De Feria et Vigilia.*

Missa de Feria dicitur, quando non occurrit Festum, vel Octava, vel Sabbatum, in quo fiat Officium Beatæ Mariæ. In Feriis tamen Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Rogationis et Vigiliarum, etiamsi Duplex vel Semiduplex Festum, vel Octava occurrat, in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis cantantur duæ Missæ; una de Festo post Tertiam, alia de Feria post Nonam.

2. In Vigiliis autem, et Feriis Quatuor Temporum, vel Feria ij Rogationum quæ veniunt infra Octavam, Missa dicitur de Vigiliis vel Feriis supradictis, cum Commemoratione Octavæ; præterquam infra Octavam Corporis Christi, in qua in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis cantantur duæ Missæ; una de Octava post Tertiam, alia de Vigilia post Nonam. In Missis autem privatis dicitur Missa de Octava cum Commemoratione Vigiliæ. Si autem in die Vigiliæ, vel in prædictis Feriis fiat Officium de aliquo Festo, tunc dicitur Missa de Festo cum Commemoratione Octavæ et Vigiliæ, vel Feriarum prædictarum. Quod si Vigilia occurrat in die alicujus Festi ex majoribus primæ Classis, in Missa non fit Commemoratio de ea, sicut nec in Officio.

3. Si Festum habens Vigiliam celebretur Feria secunda. Missa Vigiliæ dicitur in Sabbato, sicut etiam de ea fit Officium : excepta Vigilia Nativitatis Domini, et Epiphaniæ.

4. Missa Vigiliæ in Adventu occurrentis dicitur cum Commemoratione Feriæ Adventus, licet de ea non sit factum Officium, Vigilia Nativitatis excepta.

5. Si in Quadragesima et Quatuor Temporibus occurrat Vigilia, dicatur Missa de Feria cum Commemoratione Vigiliæ.

6. Tempore Paschali non dicitur Missa de Vigilia, nisi in Vigilia Ascensionis, quæ tamen non jejunatur, sicut nec Vigilia Epiphaniæ.

IV. *De Missis Votivis S. Mariæ, et aliis.*

In Sabbatis non impeditis Festo Duplici vel Semiduplici, Octava, Vigilia, Feriis Quadragesimæ vel Quatuor Temporum, vel Officio alicujus Dominicæ quæ supersit, in præcedens Sabbatum Translato, dicitur Missa de Sancta Maria, secundum varietatem temporum, ut in fine Missalis ponitur.

2. In Adventu autem, licet Officium non fiat de Sancta Maria in Sabbato, dicitur tamen Missa principalis de ea cum Commemoratione de Adventu, nisi fuerint Quatuor Tempora, vel Vigilia, ut supra.

3. Aliis diebus infra Hebdomadam, quando Officium fit de Feria, et non est resumenda Missa Dominicæ præcedentis, quæ fuerit impedita (exceptis Feriis Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Rogationum, et Vigiliarum) dici potest aliqua ex Missis Votivis etiam in principali Missa, quæ vocatur Conventualis, secundum ordinem dierum in fine Missalis assignatum, cum Commemoratione Feriæ, de qua Factum est Officium. Quæ tamen Missæ, et omnes aliæ Votivæ in Missis privatis dici possunt pro arbitrio Sacerdotum, quocumque die Officium non est Duplex, aut Dominica, cum Commemoratione ejus, de quo factum est Officium, et Commemoratio item Festi Simplicis, si de aliquo occurrat eo die fieri Commemorationem in Officio. Id vero passim non fiat, nisi rationabili de causa. Et quoad fieri potest, Missa cum Officio conveniat.

V. *De Missis Defunctorum.*

Prima die cujusque mensis (extra Adventum, Quadragesimam, et Tempus Paschale) non impedita Officio Duplici, vel Semiduplici, dicitur Missa principalis generaliter pro Defunctis sacerdotibus, benefactoribus, et aliis. Si vero in ea fuerit Festum Simplex, vel Feria, quæ propriam habeat

Missam, aut resumenda sit Missa Dominicæ præcedentis, quæ fuit impedita; et infra Hebdomadam non occurrat alius dies, in quo resumi possit : in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis dicàntur duæ Missæ, una pro Defunctis, alia de Festo Simplici, vel Feria prædicta. Sed in Ecclesiis non Cathedralibus nec Collegiatis, dicatur Missa de die cum Commemoratione generali pro Defunctis.

2. Præterea Feria ij cujusque Hebdomadæ, in qua Officium fit de Feria, Missa principalis dici potest pro Defunctis. Si autem fuerit propria Missa de Feria, vel de Festo Simplici, vel resumenda sit Missa Dominicæ præcedentis, ut supra, in Missa de die fiat Commemoratio (ut dictum est) pro Defunctis. Excipitur tamen Quadragesima, et totum Tempus Paschale, et quando per annum Officium est Duplex, vel Semiduplex : quibus temporibus non dicitur Missa Conventualis pro Defunctis (nisi in die depositionis Defuncti, et in Anniversario pro Defunctis) neque pro iis fit Commemoratio. Missæ autem privatæ pro Defunctis quocumque die dici possunt, præterquam in Festis Duplicibus, et Dominicis diebus.

3. In die Commemorationis omnium Defunctorum, et in die Depositionis, et in Anniversario Defuncti, dicitur una tantum Oratio, et similiter in die tertia, septima, trigesima, et quandocumque pro Defunctis solemniter celebratur : in aliis Missis plures, ut de Feriis et Simplicibus dicetur infra in Rubrica de Orationibus.

4. Sequentia pro Defunctis dicitur in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, et Depositionis Defuncti, et quandocumque in Missa dicitur una tantum Oratio : in aliis autem Missis pro Defunctis, dicatur ad arbitrium Sacerdotis.

VI. *De Translatione Festorum.*

In dicendis Missis servetur ordo Breviarii de Translatione Festorum Duplicium, et Semiduplicium, quando

majori aliquo Festo, seu Dominica impediuntur. In Ecclesiis autem ubi titulus est Ecclesiæ vel concursus populi ad celebrandum Festum, quod transferri debet, possunt cantari duæ Missæ, una de die, alia de Festo : excepta Dominica prima Adventus, Feria quarta Cinerum, Dominica prima Quadragesimæ, Dominica Palmarum cum tota Hebdomada majori, Dominica Resurrectionis, et Dominica Pentecostes, cum duobus diebus sequentibus, die Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, et Festo Corporis Christi.

VII. *De Commemorationibus.*

Commemorationes in Missis fiunt sicut in Officio. De Festo Simplici fit Commemoratio in Missa, quando de eo in Officio facta est Commemoratio in primis Vesperis. Quando autem de eo fit Commemoratio tantum ad Laudes, in Missa solemni non fit Commemoratio de eo, sed in Missis tantum privatis. Excipitur Dominica Palmarum, et Vigilia Pentecostes, in quibus nulla fit Commemoratio etiam in Missis privatis, de Festo Simplici occurrente, licet facta sit in Officio. De Dominica fit Commemoratio, quando in ea agitur de Festo Duplici. De Octava fit Commemoratio, quando infra Octavam celebratur aliquod Festum nisi illud fuerit de festum exceptuatis in Rubr. Breviarii de Commemorationibus. Item, quando infra Octavam fit de Dominica.

2. De Feria fit Commemoratio in Adventu, Quadragesima, Quatuor Temporibus, Rogationibus, et Vigiliis, quando Missa dicenda est de Festo illis temporibus occurrente. Sed in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis, ubi plures Sacerdotes quotidie celebrant, in Feriis, Rogationibus, et Vigiliis prædictis, quæ habent Missas proprias, dicuntur duæ Missæ, una de Festo, alia de Feria, Rogationibus, et Vigilia absque ulla utrorumque Commemoratione : in Festis tamen majoribus primæ classis, nihil fit de Vigilia occurrente, ut dictum est supra.

3. Quando infra Hebdomadam dicuntur Missæ Votivæ, post primam Orationem semper dicatur Oratio ejus, de quo fit Officium, ut supra explicatum est in propria Rubrica.

4. Quando fit Commemoratio de Feria Quatuor Temporum, pro Feriæ Commemoratione dicitur prima Oratio, quæ concordat cum Officio.

5. In faciendis Commemorationibus servetur ordo ut in Breviario. De Dominica ante diem infra Octavam : de die infra Octavam, ante Ferias prædictas : de Feriis prædictis, ante Festum Simplex : de Festo Simplici, ante Orationes, quæ secundo, vel tertio loco dicendæ assignantur ; et hæc dicantur ante Orationes Votivas : in quibus Votivis servetur deinde dignitas Orationum, ut de SS. Trinitate, de Spiritu sancto, de S. Sacramento, de S. Cruce ante Votivam de B. Maria : et de Angelis et S. Joanne Baptista ante Apostolos, et similiter in aliis.

6. Si facienda sit Commemoratio pro Defunctis, semper ponitur penultimo loco. In Missis autem Defunctorum nulla fit Commemoratio pro vivis, etiamsi oratio esset communis pro vivis et defunctis.

7. Quando dicuntur plures Orationes, prima tantum et ultima cum sua conclusione terminantur : et ante primam, et secundam Orationem tantum dicitur *Oremus ;* ante primam dicitur etiam *Dominus vobiscum*.

6. Cum vero dicuntur plures Orationes, et una Oratio eadem sit cum alia ibidem dicenda, Oratio hujusmodi, illa scilicet quæ eadem est, non alia, commutetur cum alia de Communi, vel Proprio, quæ sit diversa. Idem servetur in Secretis et Orationibus post Communionem.

VIII. *De Introitu, Kyrie eleison, et Gloria in excelsis.*

INTROITUS semper eodem modo dicitur cum *Gloria Patri*, ut in Ordinario, præterquam Tempore Passionis et in Missis Defunctorum, ut etiam ibi annotatum est.

2. *Kyrie eleison*, dicitur novies post *Introitum*, alter-

natim cum Ministro; id est, ter *Kyrie eleison*, ter *Christe eleison*, ter *Kyrie eleison*.

5. *Gloria in excelsis* dicitur, quandocumque in Matutino dictus est Hymnus *Te Deum*, præterquam in Missa Feria v in Cœna Domini et Sabbati sancti, in quibus *Gloria in excelsis* dicitur, quamvis in Officio non sit dictum *Te Deum*.

4. In Missis Votivis non dicitur, etiam Tempore Paschali, vel infra Octavas, nisi in Missa B. M. in Sabbato et Angelorum; et nisi Missa Votiva solemniter dicenda sit pro re gravi, vel pro publica Ecclesiæ causa, dummodo non dicatur Missa cum paramentis violaceis. Neque dicitur Missis Defunctorum.

IX. *De Orationibus*.

In Festis Duplicibus dicitur una tantum Oratio, nisi facienda sit aliqua Commemoratio, ut dictum est supra.

2. In Festis Semiduplicibus occurrentibus ab Octava Pentecostes usque ad Adventum, et a Purificatione usque ad Quadragesimam, dicitur secunda Oratio *A cunctis*, tertia ad libitum.

3. In Festis Semiduplicibus occurrentibus ab Octava Epiphaniæ usque ad Purificationem, dicitur secunda Oratio *Deus qui salutis*, tertia *Ecclesiæ*, vel pro Papa, *Deus omnium fidelium*.

4. In Festis Semiduplicibus a Feria IV Cinerum usque ad Dominicam Passionis, secunda Oratio de Feria, tertia *A cunctis*.

5. In Semiduplicibus a Dominica Passionis usque ad Dominicam Palmarum, secunda Oratio de Feria, tertia *Ecclesiæ*, vel pro Papa.

6. In Festis Semiduplicibus ab Octava Paschæ usque ad Ascensionem, secunda Oratio de S. Maria *Concede nos*, tertia *Ecclesiæ*, vel pro Papa.

7. In Festis Semiduplicibus infra Octavas occurrenti-

bus, secunda Oratio dicitur de Octava, tertia, quæ secundo loco infra Octavam ponitur.

8. Infra Octavas Paschæ et Pentecostes, in Missa de Octava dicuntur duæ tantum Orationes; una de die, alia *Ecclesiæ*, vel pro Papa.

9. Infra alias Octavas, et in Vigiliis quæ jejunantur (excepta Vigilia Nativitatis Domini, et Pentecostes) dicuntur tres Orationes : una de die, secunda de S. Maria, tertia *Ecclesiæ*, vel pro Papa. Sed infra Octavas Sanctæ Mariæ, et in Vigilia, et infra Octavam omnium Sanctorum, secunda Oratio dicitur de Spiritu sancto *Deus qui corda*, tertia *Ecclesiæ*, vel pro Papa.

10. In Dominicis infra Octavas occurrentibus dicuntur duæ Orationes, una de Dominica, secunda de Octava; et in die Octava dicitur una tantum Oratio, nisi facienda sit aliqua Commemoratio.

11. In Dominicis dicuntur tres, ut in Ordinario assignantur, quibusdam exceptis, ut suis etiam locis notatur.

12. In Festis Simplicibus et Feriis per annum, nisi aliter in propriis locis notetur, dicuntur tres, ut in Semiduplicibus, aut quinque : possunt etiam dici septem ad libitum.

13. In Feriis Quatuor Temporum, et ubi plures leguntur Lectiones, hujusmodi plures Orationes dicuntur post ultimam Orationem ante Epistolam, ut suis locis in Proprio Missarum de Tempore.

14. In Missis Votivis, quando solemniter dicuntur pro re gravi, vel pro publica Ecclesiæ causa, dicitur una tantum Oratio : sed in Missa pro gratiarum actione additur alia Oratio, ut in proprio loco notatur. In aliis autem dicuntur plures ut in Festis Simplicibus.

15. In Votivis B. Mariæ secunda Oratio dicitur de Officio illius diei, et tertia de Spiritu sancto : sed in Sabbato, quando de ea factum est Officium, secunda Oratio erit de Spiritu sancto, tertia *Ecclesiæ*, vel pro Papa. In Votivis de

Apostolis, quando ponitur Oratio *A cunctis*, ejus loco dicitur Oratio de S. Maria *Concede nos famulos*.

16. Si, cum plures dicuntur Orationes, occurrat fieri Commemorationem alicujus Sancti, ea ponitur secundo loco; et tertia Oratio dicitur quæ alias secundo loco dicenda erat.

17. In conclusione Orationum hic modus servatur : Si Oratio dirigatur ad Paterm, concluditur, *Per Dominum nostrum*, etc. Si ad Filium, *Qui vivis et regnas cum Deo Patre*. Si in principio Orationis fiat mentio Filii, concluditur *Per eumdem Dominum nostrum*. Si in fine Orationis, ejus fiat mentio, *Qui tecum vivit*. Si facta sit mentio Spiritus sancti, in conclusione dicitur *In unitate ejusdem Spiritus sancti*, etc. Alia quoque in dicendis Orationibus serventur, quæ superius in Rubrica de Commemorationibus dicta sunt.

X. *De Epistola, Graduali, Alleluia, et Tractu, ac de Evangelio.*

Post ultimam Orationem dicitur *Epistola*, qua finita, a Ministris respondetur *Deo gratias*. Et similiter quando leguntur plures Lectiones, post singulas dicitur *Deo gratias*, præterquam in fine quintæ Lectionis Danielis in Sabbatis Quatuor Temporum, et in fine Lectionum Feriæ sextæ in Parasceve, et Sabbati sancti.

2. Post *Epistolam* dicitur *Graduale*, quod semper dicitur, præterquam Tempore Paschali, cujus loco tunc dicuntur duo Versus, ut habetur in Rubrica in Sabbato in Albis.

3. Post Graduale dicuntur duo *Alleluia*, deinde Versus, et post Versum, unum *Alleluia*. Tempore Paschali quando non dicitur *Graduale*, dicitur aliud *Alleluia* post secundum Versum; et quando dicitur *Sequentia*, non dicitur post ultimum Versum, sed post *Sequentiam*.

4. A Septuagesima usque ad Sabbatum sanctum non

dicitur *Alleluia*, neque dicitur in Missis de Feria in Adventu, Quatuor Temporibus, et Vigiliis quæ jejunantur, exceptis Vigilia Nativitatis Domini, si venerit in Dominica, et Vigiliis Paschæ et Pentecostes ac Quatuor Temporibus Pentecostes. Nec dicitur in Festo SS. Innocentium, nisi venerit in Dominica.

5. A Septuagesima usque ad Pascha, ejus loco dicitur *Tractus* : qui Tractus prædicto tempore in aliquibus Feriis non dicitur, ut suis locis ponitur : nec dicitur in Feriis a Septuagesima usque ad Quadragesimam, quando repetitur Missa Dominicæ.

6. Dicto *Graduali* seu *Alleluia*, seu *Tractu*, dicitur *Evangelium*. Et in principio Evangelii dicitur *Dominus vobiscum*. ℟. *Et cum Spiritu tuo* : deinde, *Sequentia sancti Evangelii secundum* N. ℟. *Gloria tibi, Domine*. In fine Evangelii a Ministro respondetur *Laus tibi, Christe*, quod etiam dicitur in fine illius partis Passionis, quæ legitur in tono Evangelii, præterquam in Parasceve. Postea si dicendum est, dicitur *Credo*.

XI. *De Symbolo.*

Symbolum dicitur post Evangelium in omnibus Dominicis per annum, etiamsi in illis fiat de Festo, in quo alias non diceretur, vel Dominica vacet. In tribus Missis de Nativitate Domini, et deinceps usque ad Octavam sancti Joannis Apostoli inclusive. In Epiphania, et per Octavam. Feria v in Cœna Domini. In Paschate Resurrectionis, et per Octavam. In Ascensione Domini, et per Octavam. In Pentecoste, et per Octavam. In Festo Corporis Christi, et per Octavam. In omnibus Festis B. M., et per Octavas. In Festis duodecim Apostolorum, et Evangelistarum, et per Octavas. In utraque Cathedra S. Petri, et in Festo S. Petri ad Vincula. In Festis Conversionis et Commemorationis S. Pauli Apostoli. In Festo S. Joannis ante Portam Latinam. In Festo S. Barnabæ, Apostoli. In Festis Inventio-

nis, et Exaltationis S. Crucis. In Transfiguratione Domini. In Festis Angelorum. In Festo Sanctæ Mariæ Magdalenæ. In Festis Quatuor Doctorum, videlicet, Gregorii, Ambrosii, Augustini, et Hieronymi, addito Festo S. Thomæ de Aquino, S. Bonaventuræ, S. Isidori, S. Leonis Papæ, S. Anselmi, S. Petri Chrysologi, S. Petri Damiani, et S. Bernardi. Item in Festis Doctorum Athanasii, Basilii, Gregorii Nazienzeni, et Joannis Chrysostomi. In die Oct. S. Joannis Baptistæ, et S. Laurentii. In Festo omnium Sanctorum, et per Octavam. In Dedicationibus SS. Salvatoris, et SS. Apostolorum Petri et Pauli. In Anniversario Dedicationis propriæ Ecclesiæ et per Octavam. In die Consecrationis Ecclesiæ vel Altaris. In Festis Sanctorum quibus dedicata est Ecclesia, et ubi habetur corpus vel insignis Reliquia Sancti de quo agitur. In die Creationis, et Coronationis summi Pontificis, et in Anniversario ejusdem diei. In die Anniversario Electionis, et Consecrationis Episcopi. Item in omnibus Festis, quæ in Dominicis, et infra Octavas celebrantur : in quibus ratione Dominicæ et Octavæ dici debet. Item in Festo Patroni alicujus loci, vel tituli Ecclesiæ (non autem alicujus Capellæ vel Altaris) et in Festis principalibus Ordinum, et per eorum Octavas, in Ecclesiis tantum illius Ordinis. Item dicitur *Credo* in Missis Votivis, quæ solemniter pro re gravi, vel pro publica Ecclesiæ causa celebrantur, etiamsi dicantur in paramentis violaceis in Dominica.

XII. *De Offertorio, Secretis, Præfationibus, et Canone.*

Post Symbolum, vel si non sit dicendum, post Evangelium, dicitur *Dominus vobiscum. Oremus*, deinde Offertorium. Postea fit oblatio cum Orationibus, ut in Ordine Missæ. Qua oblatione facta, dicuntur *Orationes Secretæ*, secundum numerum Orationum, quæ clara voce in principio dictæ sunt; sed ante primam Orationem non dicitur *Dominus vobiscum*, nec aliquid aliud, sed dicto

Suscipiat Dominus sacrificium, absolute dicuntur : neque etiam ante secundam Orationem dicitur *Oremus*. Terminatur autem prima et ultima Oratio, ut dictum est supra in Rubrica de Orationibus ; et secreto dicuntur usque ad illa verba in conclusione *Per omnia sæcula*, etc., quæ clara voce proferuntur, et incipitur Præfatio.

2. Præfationes autem dicuntur, ut in Ordine Missæ adnotatum est; et quæ in Quadragesima, tempore Passionis, et Paschali, et infra Octavas propriæ assignantur, dicuntur etiam in Dominicis et Festis, quæ illis temporibus celebrantur; nisi illa Festa propriam Præfationem habeant.

3. Si infra Octavam alicujus Festi, quod habet Præfationem propriam, occurrat Festum ex majoribus non habens propriam Præfationem, dicitur Præfatio de Octava, quamvis de ea nulla fiat Commemoratio in Missa.

4. In Missis Votivis dicitur etiam Præfatio propria, si propriam habeant : si vero non habuerint, dicitur Præfatio de Tempore, vel Octava infra quam contigerit hujusmodi Missas celebrari; alioquin Præfatio communis. Et quando aliqua Missa Votiva pro causa publica solemniter celebratur, dicitur in cantu solemni, ut in Duplicibus. In Missis Defunctorum, quocumque tempore, semper dicitur Præfatio communis.

5. Post Præfationem incipitur *Canon* Missæ secreto; in quo serventur omnia ut in Ordine Missæ. Ubi vero infra actionem, *Communicantes*, et *Hanc igitur*, vel alia variari contingit, suo loco in propriis Missis adnotatur.

XIII. *De Communione, Orationibus post Communionem, Ite Missa est, vel Benedicamus Domino, de Benedictione, et Evangelio S. Joannis.*

Expleto Canone, et aliis omnibus usque ad Communionem, ea peracta dicitur *Communio*, et *Orationes post communionem*, eodem modo et ordine ut in principio

Missæ : et repetito *Dominus vobiscum*, dicitur *Ite Missa est*, vel *Benedicamus Domino*, pro temporis ratione. *Ite Missa est* dicitur, quandocumque dictum est *Gloria in excelsis;* cum non dicitur, ejus loco dicitur *Benedicamus Domino*. ℟. *Deo gratias*. In Missis Defunctorum dicitur *Requiescant in pace*. ℟. *Amen*.

2. Dicto *Placeat*, datur *Benedictio*, quæ a Celebrante semper datur in Missa, præterquam in Missis Defunctorum. Deinde legitur Evangelium S. Joannis *In principio*, præmisso *Dominus vobiscum* et *Initium*, ut moris est; quod Evangelium nunquam prætermittitur in Missa, nisi quando fit de Festo in aliqua Dominica, vel Feria quæ habet Evangelium proprium, quod legitur ejus loco. Excipitur Dominica IV Adventus, cujus Evangelium non legitur in fine Missæ, quando in eo occurrit Vigilia Nativitatis Domini, quia nec in Officio lectum est. In tertia Missa de die Nativitatis Domini legitur in fine Evangelium de Epiphania *Cum natus esset Jesus*. Et in Dominica Palmarum in Missis privatis legitur Evangelium quod ponitur in benedictione Palmarum, quod etiam lectum est in Officio. In Vigiliis quæ occurrunt in Quadragesima, vel Quatuor Temporibus, non legitur Evangelium Vigiliæ in fine Missæ. Et similiter in Missis Votivis nunquam legitur in fine aliud Evangelium, nisi S. Joannis.

XIV. *De Ordinanda Missa ex supradictis Rubricis.*

Supradictis Rubricis cognitis, si quis velit ordinare Missam diei, recurrat ad Ordinarium Missarum de Tempore, vel de Sanctis secundum qualitatem Officii. Si propriam non habeat, recurrat ad Commune Sanctorum. Si de Feria agendum sit, et propria Missa non fuerit de Feria, dicatur Missa præcedentis Dominicæ, omissis *Gloria in excelsis*, et Symbolo, præterquam Tempore Paschali, in quo semper dicitur *Gloria in excelsis*, ut supra, excepta Missa Rogationum ; et in Adventu prætermittitur

Alleluia, post *Graduale*, cum suo Versu. Si dicenda sit Missa Votiva, requiratur post Commune Sanctorum suo loco. Si plures Orationes dicendæ sint, requirantur post Missas Votivas, suo loco de singulis rebus singulæ. Si pro Defunctis dicenda sit Missa, habetur post Missas Votivas, cum Collectis diversis, circa finem Missalis. Ordo totius Missæ, cum Præfationibus, Canone, et aliis dicendis, habetur suo loco, cum Proprio Missarum de Tempore.

XV. *De Hora celebrandi Missam.*

Missa privata saltem post Matutinum et Laudes quacumque hora ab aurora usque ad meridiem dici potest.

2. Missa autem Conventualis et solemnis sequenti ordine dici debet. In Festis Duplicibus et Semiduplicibus, in Dominicis, et infra Octavas, dicta in Choro Hora Tertia. In Festis Simplicibus et Feriis per annum, dicta Sexta. In Adventu, Quadragesima, Quatuor Temporibus, etiam infra Octavam Pentecostes, et in Vigiliis quæ jejunantur, quamvis sint dies solemnes, Missa de Tempore debet cantari post Nonam.

3. Missa autem Defunctorum dici debet post Primam diei : ubi vero dicuntur eorum Vigiliæ mane post Matutinum diei, dictis hujusmodi Vigiliis cum Laudibus, immediate dici potest Missa pro Defunctis; sed in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, Missa Conventualis dicitur post Nonam, quia eo die est principalis. In die etiam Depositionis Defuncti, vel tertio, septimo, trigesimo, aut Anniversario solemni, in quo fit concursus populi, poterit similiter dici ultimo loco post Nonam.

4. Excipiuntur ab hoc ordine dicendi Missam Conventualem, Missæ in Nativitate Domini, quarum prima dicitur post mediam noctem, finito *Te Deum*, in Matutino; secunda in Aurora, dictis Laudibus et Prima; tertia vero

in die post Tertiam, nisi aliter ex dispensatione Apostolica disponatur.

5. Missæ Votivæ, quæ non correspondent Officio, si solemniter celebrentur pro re gravi, vel publica Ecclesiæ causa, cum populi frequentia, dicantur post Nonam.

XVI. *De iis quæ clara voce aut secreto dicenda sunt in Missa.*

In Missa privata clara voce dicuntur *Antiphona*, et *Psalmus* ad *Introitum*, *Confessio*, et quæ sequuntur, excepta Oratione, *Aufer a nobis*, *Oramus te*, *Domine*, *per merita Sanctorum*, etc. Item *Introitus*, *Kyrie eleison*, *Gloria in excelsis*, *Dominus vobiscum*, *Oremus*, *Flectamus genua*, *Levate*, *Oratio*, vel *Orationes*, *Prophetiæ*, *Epistola*, *Graduale*, *Versus*, *Tractus*, *Sequentia*, *Evangelium*, *Credo*, *Offertorium*. *Orate fratres*, solum hæc duo verba. *Præfatio nobis quoque peccatoribus*, solum hæc tria verba. Item *Per omnia sæcula sæculorum*, etc., cum *Pater noster*, *Per omnia sæcula sæculorum*, cum *Pax Domini*, *Agnus Dei*, *Domine non sum dignus*, hæc quatuor verba tantum; *Communio*, *Oratio* vel *Orationes post Communionem*, *Humiliate capita vestra Deo*, *Ite Missa est*, vel *Benedicamus Domino*, vel *Requiescant in pace*, *Benedictio*, et Evangelium *In principio*, vel aliud Evangelium. Alia omnia dicuntur secreto.

2. Sacerdos autem maxime curare debet, ut ea quæ clara voce dicenda sunt, distincte et apposite proferat, non admodum festinanter, ut advertere possit quæ legit; nec nimis morose, ne audientes tædio afficiat; neque etiam voce nimis elata, ne perturbet alios, qui fortasse in eadem Ecclesia tunc temporis celebrant : neque tam submissa, ut a circumstantibus audiri non possit; sed mediocri et gravi, quæ et devotionem moveat, et audientibus ita sit accommodata, ut quæ leguntur, intelligant. Quæ vero se-

creto dicenda sunt, ita pronuntiet, ut et ipsemet se audiat, et a circumstantibus non audiatur.

3. In Missa solemni quando dici debent a Celebrante *Gloria in excelsis* et *Credo*, intonantur et cantantur *Dominus vobiscum* et Orationes ante Epistolam, *Dominus vobiscum*, *Oremus*, ante Orationes, et ante Offertorium, *Præfatio*, *Per omnia sæcula sæculorum*, cum *Pater noster*, *Per omnia sæcula sæculorum*, cum *Pax Domini*, et Orationes post Communionem. Alia quæ in Missa privata dicuntur clara voce, et in Missa solemni a Celebrante dicuntur submissa voce.

XVII. *De ordine genuflectendi, sedendi, et standi in Missa privata, et solemni.*

In Missa privata Sacerdos genuflectit quando legit Evangelium S. Joannis *In principio*, ad illa verba *Et Verbum caro factum est*, et in Evangelio Epiphaniæ *Cum natus esset Jesus*, ad illa verba *Et procidentes adoraverunt eum*. Item in Evangelio Feriæ iv post Dominicam quartam Quadragesimæ ad illa verba in fine *Et procidens adoravit eum*. Item genuflectit Dominica Palmarum, et in Missis de Cruce ad illa verba in Epistola *In nomine Jesu omne genuflectatur*, etc. et quando legitur Passio, ad illa verba *Expiravit*, vel *Emisit spiritum*, ut suis locis notatur. Item genuflectit cum dicit *Flectamus genua*. Item quando in Quadragesima dicit in Tractu ℣. *Adjuva nos*, *Deus*, etc. et in omnibus Missis de Spiritu sancto, cum dicit ℣. *Veni, sancte Spiritus*, etc. Item quando Sacramentum in Altari discoopertum apparet, genuflectit quoties ante illud transit in medio Altaris, et quandocumque in Ordine Missæ, et in ritu servando in celebratione Missæ notatur quod debeat genuflectere.

2. Circumstantes autem in Missis privatis semper genua flectunt, etiam tempore Paschali, præterquam dum legitur Evangelium.

3. In Missa solemni Celebrans genuflectit ad omnia supradicta, præterquam ad *Flectamus genua*, et tunc ipse solus stat, Diaconus vero et Subdiaconus et omnes alii genuflectunt. Ad versum vero *Adjuva nos*, etc., et ad ℣. *Veni*, *sancte Spiritus*, etc., genuflectit usque ad finem. Item genuflectit in die Annuntiationis B. M., et in tribus Missis Nativitatis Domini, quando cantatur in choro *Et incarnatus est*, etc. Aliis diebus si sedeat cum cantantur ea verba, non genuflectit, sed caput tantum profunde inclinat apertum : si non sedet, genuflectit.

4. Ministri semper genuflectunt cum Celebrante, præterquam Subdiaconus tenens librum ad Evangelium, et Acolythi tenentes candelabra, qui tunc non genuflectunt. Et cum Diaconus cantat illa verba, ad quæ est genuflectendum, ipse versus librum, Celebrans et omnes alii versus Altare genuflectunt.

5. In Choro genuflectitur ab iis qui non sunt Prælati, ad Confessionem cum suo Psalmo. In Missis autem Feriarum Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum et Vigiliarum quæ jejunantur, ac in Missis Defunctorum, genuflectunt omnes etiam ad Orationes, et dicto per Celebrantem *Sanctus*, usque ad *Pax Domini*, et ad Orationes post Communionem, et Super populum, excepta Vigilia Paschæ et Pentecostes, ac Nativitatis Domini, et Quatuor Temporibus Pentecostes. Et similiter ab omnibus genuflectitur quando elevatur Sacramentum.

6. In Missa autem solemni Celebrans medius inter Diaconum et Subdiaconum sedere potest a cornu Epistolæ juxta Altare cum cantantur *Kyrie, eleison*, *Gloria in excelsis*, et *Credo*; alio tempore stat ad Altare, vel genuflectit, ut supra.

7. In Choro non sedent qui actu cantant; reliqui autem possunt sedere, quando Celebrans sedet, et præterea dum cantantur *Epistola*, et *Prophetiæ*, *Graduale*, *Tractus*, vel *Alleluia*, cum *Versu*, ac *Sequentia*, et ab Offertorio usque

ad incensationem Chori : et si non incensatur, usque ad Præfationem et ad Antiphonam, quæ dicitur *Communio*. Ad alia stant, vel genuflectunt, ut supra.

XVIII. *De Coloribus Paramentorum.*

PARAMENTA Altaris, Celebrantis, et Ministrorum debent esse coloris convenientis Officio et Missæ diei secundum usum Romanæ Ecclesiæ : quæ quinque coloribus uti consuevit, Albo, Rubeo, Viridi, Violaceo et Nigro.

2. Albo colore utitur a Vesperis Vigiliæ Nativitatis Domini, usque ad Octavam Epiphaniæ inclusive, exceptis Festis Martyrum, quæ intra eam veniunt. In Festo SS. Nominis Jesu, Feria v in Cœna Domini, et Sabbato sancto in Officio Missæ, et ab illo die usque ad Sabbatum in Vigilia Pentecostes ad Nonam, in Officio de Tempore præterquam in Missa Litaniarum et Rogationum. In Festis SS. Trinitatis, Corporis Christi, et Transfigurationis Domini. In Festis B. V. Mariæ, præterquam in Benedictione Candelarum, et Processione quæ fit in Festo Purificationis ejusdem. In Festis Angelorum. In Nativitate S. Joannis Baptistæ. In Festo principali S. Joannis Evangelistæ quo dcelebratur infra Octavam Nativitatis Domini. In utraque Cathedra S. Petri. In Festo S. Petri ad Vincula. In Conversione S. Pauli. In Festo sacrorum Stigmatum S. Francisci. In Festo omnium Sanctorum. In Festis Confessorum Pontificum, et non Pontificum, et Doctorum. In Festis Sanctarum Virginum non Martyrum, et nec Virginum nec Martyrum. In Dedicatione, et Consecratione Ecclesiæ vel Altaris, ac in Consecratione Summi Pontificis, et in Anniversario Creationis et Coronationis ejusdem, et electionis et Consecrationis Episcopi. Item per Octavas prædictorum Festorum, quæ Octavas habent; quando dicitur Missa de Octava, et in Dominicis infra eas occurrentibus, quando in eis fit Officium de Dominica, præterquam in illis Dominicis, quibus tributus est color Violaceus. In Missis Votivis su-

prædictorum Festorum, quocumque tempore dicantur; et in Missa pro Sponso et Sponsa.

3. Rubeo colore utitur a Vigilia Pentecostes in Missa usque ad Sabbatum sequens finita Nona, et Missa. In Festis S. Crucis. In Decollatione S. Joannis Baptistæ. In Natali SS. Ap. Petri et Pauli, et in Festis aliorum Apostolorum (exceptis Festo principali S. Joanni Ev. post Nativitatem et Festis Conversionis S. Pauli, et Cathedræ S. Petri, et ejus Vinculorum). In Festo S. Joannis ante Portam Latinam. In Commemoratione S. Pauli Ap. In Festis Martyrum, excepto Festo SS. Innocentium, quando non venerit in Dominica : si autem in Dominica venerit, utitur Rubeo: in ejus vero die Octava semper utitur Rubeo, quocumque die occurrat. In Festis SS. Virginum Martyrum, et Martyrum non Virginum. Item per Octavas prædictorum Festorum quæ Octavas habent, quando fit de Octava, et in Dominicis infra eas Octavas occurrentibus, eodem modo ut dictum est supra de colore Albo. Item in Missis Votivis supradictorum Festorum, et in Missa pro eligendo Summo Pontifice.

4. Viridi colore utitur ab Octava Epiphaniæ usque ad Septuagesimam et ab Octava Pentecostes usque ad Adventum exclusive, in Officio de Tempore, excepta Dominica Trinitatis, ut supra; ac exceptis Dominicis infra Octavas occurrentibus, in quibus color Octavarum servatur : exceptis etiam Vigiliis et Quatuor Temporibus, ut infra.

5. Violaceo colore utitur a Dominica I Adventus in primis Vesperis, usque ad Missam Vigiliæ Nativitatis Domini inclusive; et a Septuagesima usque ad Sabbatum sanctum ante Missam inclusive; in Officio de Tempore : excepta Feria v in Cœna Domini, in qua utitur Albo, et Feria vj in Parasceve, in qua utitur Nigro, ut infra : et Benedictione Cerei in Sabbato sancto, in qua Diaconus, illius Præfationem dicens, solus utitur Albo : ea autem finita, Violaceo, ut prius. Item in Vigilia Pentecostes ante

Missam, a prima Prophetia usque ad Benedictionem fontis inclusive : in Quatuor Temporibus, et Vigiliis quæ jejunantur, exceptis Vigilia et Quatuor Temporibus Pentecostes. In Missa Litaniarum, in die S. Marci Evang. et Rogationum, et in Processionibus, quæ in his diebus fiunt. In Festo SS. Innocentium, quando non venerit in Dominica. In Benedictione Candelarum in die Purificationis B. Mariæ, et in Benedictione Cinerum ac Palmarum, et ipsa Dominica in Palmis, et in eorumdem, ac generaliter in omnibus Processionibus : exceptis Processionibus SS. Sacramenti, et quæ fiunt in diebus solemnibus, vel pro gratiarum actione. In Missis de Passione Domini; pro quacumque necessitate; pro peccatis; ad postulandam gratiam bene moriendi; ad tollendum schisma; contra paganos; tempore belli; pro pace; pro vitanda mortalitate; pro iter agentibus, et pro infirmis.

6. Nigro colore utitur Feria vj in Parasceve, et in omnibus Officiis et Missis Defunctorum.

XIX. *De qualitate Paramentorum.*

In officio Missæ Celebrans semper utitur Planeta super Albam.

2. Si autem sit Episcopus, et solemniter celebret, super Dalmaticam et Tunicellam.

3. Pluviali utitur in Processionibus, et Benedictionibus, quæ fiunt in Altari. Item in Officio Laudum et Vesperarum, quando solemniter dicuntur. Eodem utitur Assistens Celebranti in Missa Pontificali. Item quando Celebrans post Missam Defunctorum facit in fine Absolutionem.

4. Cum Celebrans utitur Pluviali, semper deponit Manipulum, et ubi Pluviale haberi non potest in Benedictionibus quæ fiunt in Altari, Celebrans stat sine Planeta, cum Albo et Stola.

5. Dalmatica et Tunicella utuntur Diaconus et Subdia-

conus in Missa solemni, et Processionibus, et Benedictionibus, quando Sacerdoti ministrant.

6. In diebus vero jejuniorum (præterquam in Vigiliis Sanctorum) et in Dominicis, et Feriis Adventus, et Quadragesimæ, ac in Vigilia Pentecostes ante Missam (exceptis Dominica *Gaudete*, etiam si ejus Missa intra Hebdomadam repetatur, et Dominica *Lætare*, Vigilia Nativitatis Domini, Sabbato sancto in Benedictione Cerei, et in Missa, ac Quatuor Temporibus Pentecostes) item in Benedictione Candelarum, et Processione in die Purificationis B. Mariæ, et in Benedictione Cinerum, ac Benedictione Palmarum, et Processione, in Cathedralibus et præcipuis Ecclesiis, utuntur Planetis plicatis ante pectus : quam Planetam Diaconus dimittit, cum lecturus est Evangelium, eaque tunc super sinistrum humerum super Stolam complicatur : aut ponitur aliud genus Stolæ latioris in modum Planetæ plicatæ, et facta Communione, resumit Planetam, ut prius. Similiter Subdiaconus dimittit eam, cum lecturus est Epistolam quam legit in Alba ; et ea finita, osculataque Celebrantis manu, Planetam resumit, ut prius.

7. In minoribus autem Ecclesiis, prædictis diebus jejuniorum Alba tantum amicti ministrant ; Subdiaconus cum Manipulo, Diaconus etiam cum Stola ab humero sinistro pendente sub dextrum.

XX. *De præparatione Altaris et ornamentorum ejus.*

Altare, in quo sacrosanctum Missæ sacrificium celebrandum est, debet esse lapideum, et ab Episcopo (sive Abbate facultatem a Sede Apostolica habente, consecratum : vel saltem ara lapidea, similiter ab Episcopo (vel Abbate, ut supra) consecrata, in eo inserta, quæ tam ampla sit, ut Hostiam et majorem partem Calicis capiat. Hoc altare operiatur tribus mappis, seu tobaleis mundis, ab Episcopo, vel alio habente potestatem, benedictis, superiori saltem oblonga, quæ usque ad terram pertingat,

duabus aliis brevioribus, vel una duplicata. Pallio quoque ornetur coloris, quoad fieri potest, diei Festo vel Officio convenientis : super Altare collocetur Crux in medio, et candelabra saltem duo cum candelis accensis hinc et inde in utroque ejus latere. Ad Crucis pedem ponatur tabella Secretarum appellata : in cornu Epistolæ cussinus supponendus Missali : et ab eadem parte Epistolæ paretur cereus ad elevationem Sacramenti accendendus; parva campanula, ampullæ vitreæ vini et aquæ, cum pelvicula et manutergio mundo, in fenestella, seu in parva mensa ad hæc præparata. Super Altare nihil omnino ponatur, quod ad Missæ sacrificium, vel ipsius Altaris ornatum non pertineat.

RITUS SERVANDUS

IN CELEBRATIONE MISSÆ.

I. *De præparatione Sacerdotis celebraturi.*

Sacerdos celebraturus Missam, prævia Confessione sacramentali, quando opus est, et saltem Matutino cum Laudibus absoluto, orationi aliquantulum vacet, et Orationes inferius positas pro temporis opportunitate dicat. Deinde accedit ad locum in Sacristia, vel alibi præparatum, ubi paramenta, aliaque ad celebrationem necessaria habentur : accipit Missale, perquirit Missam, perlegit, et signacula ordinat ad ea, quæ dicturus est. Postea lavat manus, dicens orationem inferius positam : deinde præparat Calicem (qui debet esse vel aureus, vel argenteus, aut saltem habere cuppam argenteam intus inauratam, et simul cum Patena itidem inaurata, ab Episcopo consecratus) : super ejus os ponit Purificatorium mundum, et super illud Patenam cum Hostia integra, quam leviter extergit,

si opus est, a fragmentis, et eam tegit parva Palla linea, tum Velo serico : super Velo ponit Bursam coloris paramentorum, intus habentem Corporale plicatum, quod ex lino tantum esse debet, nec serico, vel auro in medio intextum, sed totum album, et ab Episcopo, vel alio habente facultatem, simul cum Palla benedictum.

2. Quibus ita dispositis, accedit ad paramenta, quæ non debent esse lacera aut scissa, sed integra, et decenter munda ac pulchra, et ab Episcopo itidem, vel alio facultatem habente benedicta : ubi calceatus pedibus, et indutus vestibus sibi convenientibus, quarum exterior saltem talum pedis attingat, induit se, si sit Prælatus sæcularis, supra Rochettum ; si sit Prælatus regularis, vel alius Sacerdos sæcularis, supra Superpelliceum, si commode habere possit, alioquin sine eo supra vestes communes, dicens ad singula singulas Orationes inferius positas.

3. Ac primum accipiens Amictum circa extremitates et chordulas, osculatur illud in medio, ubi est Crux, et ponit supra caput et mox declinat ad collum, et eo vestium collaria circumtegens, ducit Chordulas sub brachiis, et circumducens per dorsum, ante pectus reducit et ligat. Tum Alba induitur, caput submittens, deinde manicam dextram brachio dextro, et sinistram sinistro imponens, Albam ipsam corpori adaptat, elevat ante et a lateribus hinc inde, et Cingulo per Ministrum a tergo sibi porrecto se cingit. Minister elevat Albam supra Cingulum circumcirca, ut honeste dependeat, et tegat vestes : ac ejus fimbrias diligenter aptat, ut ad latitudinem digiti, vel circiter super terram æqualiter fluat. Sacerdos accipit Manipulum, osculatur Crucem in medio, et imponit brachio sinistro. Deinde ambabus manibus accipiens Stolam, simili modo deosculatur, et imponit medium ejus collo, ac transversando eam ante pectus in modum Crucis, ducit partem a sinistro humero pendentem ad dextram, et partem a dextro humero pendentem ad sinistram. Sicque utramque partem

Stolæ extremitatibus Cinguli hinc inde ipsi Cingulo conjungit.

4. Si Celebrans sit Episcopus (vel Abbas, ut supra), non ducit Stolam ante pectus in modum Crucis, sed sinit hinc inde utrasque extremitates pendere; et antequam accipiat Stolam, accipit parvam Crucem pectoralem, quam osculatur, et collo impositam sinit ante pectus chordulis pendere. Manipulum quoque non accipit ante Stolam, nisi in Missis Defunctorum; sed accipit ad Altare, cum in Confessione dicit *Indulgentiam*, illumque prius osculatur.

Postremo Sacerdos accipit Planetam.

5. Si sit Episcopus (vel Abbas, ut supra, habens usum Pontificalium), et solemniter celebret, accipit paramenta, et alia ut in Pontificali et Cæremoniali.

II. *De ingressu Sacerdotis ad Altare.*

Sacerdos, omnibus paramentis indutus, accipit manu sinistra Calicem, ut supra præparatum, quem portat elevatum ante pectus, Bursam manu dextera super Calicem tenens, et facta reverentia Cruci, vel Imagini illi quæ in Sacristia erit, capite cooperto accedit ad Altare, Ministro cum Missali, et aliis ad celebrandum necessariis (nisi ante fuerint præparata) præcedente Superpelliceo induto. Procedit autem oculis demissis, incessu gravi, erecto corpore. Si vero contigerit eum transire ante Altare majus, capite cooperto faciat ad illud reverentiam. Si ante locum Sacramenti, genuflectat. Si ante Altare, ubi celebretur Missa, in qua elevatur, vel tunc ministratur Sacramentum, similiter genuflectat, et detecto capite illud adoret; nec ante surgat, quam Celebrans deposuerit Calicem super Corporale.

2. Cum pervenerit ad Altare, stans ante illius infimum gradum, caput detegit, Biretum Ministro porrigit, et Altari, seu imagini Crucifixi desuper positæ, profunde se inclinat. Si autem in eo sit tabernaculum SS. Sacramenti, genuflectens debitam facit reverentiam. Tunc ascendit ad

medium Altaris, ubi ad cornu Evangelii sistit Calicem, extrahit Corporale de Bursa, quod extendit in medio Altaris, et super illud Calicem Velo coopertum collocat. Bursam autem ad cornu Evangelii. Si in Altari paramenta accipit, hoc idem facit antequam descendat ab Altari, ut Missam inchoet.

3. Si est consecraturus plures Hostias pro Communione facienda, quæ ob quantitatem super Patenam manere non possint, locat eas super Corporale ante Calicem, aut in aliquo Calice consecrato, vel vase mundo benedicto, ponit eas retro post Calicem, et alia Patea seu Palla coopertit.

4. Collocato Calice in Altari, accedit ad cornu Epistolæ, Missale super cussino aperit, reperit Missam; et signacula suis locis accommodat. Deinde rediens ad medium Altaris, facta primum Cruci reverentia, vertens se ad cornu Epistolæ, descendit ad infimum gradum Altaris, ut ibi faciat Confessionem.

5. In Missa solemni Missale apertum super Altare. Calix vero et alia necessaria præparentur in Credentia cooperta linteo, antequam Sacerdos veniat ad Altare. Ipse autem procedit cum Diacono et Subdiacono, qui capite cooperto simul cum eo tenent manus junctas ante pectus; Acolythi vero ante eos deferunt candelabra cum candelis accensis, quæ deinde collocantur super Credentia; et cum pervenerit ante infimum gradum Altaris, ibi medius inter Diaconum a dextris, et Subdiaconum a sinistris, antequam ascendat ad Altare, facit cum ipsis (ut infra) Confessionem.

6. In Missa Pontificali omnia serventur, ut in Pontificali et Cæremoniali Romano ordinatur : cujus Pontificalis ordinem Episcopus (sive Abbas, ut supra) nunquam prætermittat, quandocumque cum Diacono et Subdiacono paratis celebrat.

III. *De principio Missæ, et Confessione facienda.*

Sacerdos cum primum descenderit sub infimum gradum Altaris, convertit se ad ipsum Altare, ubi stans in medio, junctis manibus ante pectus, extensis et junctis pariter digitis, et pollice dextro semper sinistrum posito in modum Crucis (quod semper servatur, quando junguntur manus, præterquam post consecrationem) detecto capite, facta prius Cruci vel Altari profunda reverentia, vel si in eo sit tabernaculum sanctissimi Sacramenti, facta genuflexione, erectus incipit Missam.

2. Si celebraturus sit coram Summo Pontifice, sistit se ante infimum gradum Altaris a cornu Evangelii ante ipsum Pontificem, ubi genuflexus expectat : accepta benedictione erigit se, et stans aliquantulum versus ad Altare incipit Missam. Si autem sit coram Cardinali, Legato Sedis Apostolicæ, aut Patriarcha, Archiepiscopo, et Episcopo in eorum residentiis vel loco jurisdictionis, stans ante infimum gradum Altaris a cornu Evangelii, ut supra, expectat : dato signo facit profundam reverentiam Prælato, et versus ad Altare incipit Missam.

3. Si autem solemniter celebret coram Summo Pontifice, aut alio et Prælatis prædictis in Ecclesiis eorum jurisdictionis, stans a sinistris Prælati, facit cum eo Confessionem, et alia servat, ut in Pontificali et Cæremoniali Romano ordinatur.

4. Stans igitur Celebrans ante infimum gradum Altaris, ut supra, producens manu dextra a fronte ad pectus signum Crucis, dicit intelligibili voce, *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, Amen*. Et postquam id dixerit, non debet advertere quemcumque in alio Altari celebrantem, etiamsi Sacramentum elevet, sed continuate prosequi Missam suam usque ad finem. Quod item observatur in Missa solemni, et simul etiam a Ministris.

5. Cum seipsum signat, semper sinistram ponit infra

pectus : in aliis Benedictionibus cum est ad Altare, et benedicit oblata, vel aliquid aliud, ponit eam super Altare, nisi aliter notetur. Seipsum benedicens, vertit ad se palmam manus dextræ, et omnibus illius digitis junctis et extensis a fronte ad pectus, et ab humero sinistro ad dextrum, signum Crucis format. Si vero alios, vel rem aliquam benedicit, parvum digitum vertit ei, cui benedicit ; ac benedicendo totam manum dexteram extendit, omnibus illius digitis pariter junctis et extensis ; quod in omni Benedictione observatur.

6. Posquam dixerit *In nomine Patris*, etc., ut supra, jungens iterum manus ante pectus, pronuntiat clara voce Antiphonam *Introibo ad Altare Dei*. Minister retro post eum ad sinistram genuflexus, et in Missa solemni Ministri hinc inde stantes prosequuntur *Ad Deum qui lætificat juventutem meam*. Deinde Sacerdos eodem modo stans incipit, et prosequitur cum Ministro, vel Ministris alternatim Psalmum, *Judica me, Deus*, usque ad finem, cum *Gloria Patri ;* quo finito repetit Antiphonam *Introibo*, cum Ministris, ut supra. Qui Psalmus nunquam prætermittitur, nisi in Missis Defunctorum, et in Missis de Tempore a Dominica Passionis inclusive, usque ad Sabbatum sanctum exclusive : in quibus semel tantum dicta Antiphona *Introibo*, cum Ministris, ut supra, Sacerdos statim subjungit ℣. *Adjutorium nostrum*, etc., ut infra. Cum in fine Psalmi dicit *Gloria Patri*, etc., caput Cruci inclinat.

7. Repetita Antiphona *Introibo*, dextra manu producens signum Crucis a fronte ad pectus, dicit ℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini*, ℟. *Qui fecit cœlum et terram.* Deinde Altari se profunde inclinans, junctis manibus dicit *Confiteor Deo*, ut in ordine Missæ : et prosequitur eodem modo stans inclinatus, donec a Ministro vel Ministris dictum sit *Misereatur*. Cum incipitur a Ministris *Confiteor*, se erigit. Cum dicit *mea culpa*, ter pectus dextra manu percutit, sinistra infra pectus posita.

8. Si est coram Pontifice, Cardinali, Legato Sedis Apostolicæ, vel Patriarcha, Archiepiscopo, et Episcopo in eorum Provincia, Civitate, vel Diœcesi constitutis, ubi dicit *vobis fratres*, dicat *tibi Pater;* similiter in fine, ubi dicit *vos fratres,* dicat *te Pater*, quod dicens Summo Pontifici genuflectit, aliis Prælatis profunde se inclinat.

9. Cum Minister, et qui intersunt (etiamsi ibi fuerit Summus Pontifex) respondent *Confiteor*, dicunt *tibi Pater*, et *te Pater,* aliquantulum conversi ad Celebrantem.

10. Facta a circumstantibus Confessione, Celebrans stans respondet *Misereatur vestri*, etc. Deinde producens manu dextra a fronte ad pectus signum Crucis, dicit *Indulgentiam*, etc.

Et si est Episcopus (vel Abbas, ut supra), accipit manipulum osculando illum in medio. Et stans inclinatus junctis manibus prosequitur *Deus tu conversus*, et quæ sequuntur in ordine Missæ, clara voce usque ad Orationem *Aufer a nobis*, etc., et cum dicit *Oremus*, extendit et jungit manus.

11. Et tunc si coram Summo Pontifice, aut aliis Prælatis, ut supra, celebret, facta Summo Pontifici genuflexione, aliis Prælatis profunda reverentia, accedit ad medium Altaris ante infimum gradum, et ibi incipit secreto *Aufer a nobis*, ut in Ordine Missæ.

IV. *Introitu*, *Kyrie*, *eleison*, *et Gloria in excelsis*.

Dum dicit *Aufer a nobis*, etc., Celebrans junctis manibus ascendit ad medium Altaris, et ibi inclinatus, manibusque item junctis super eo positis, ita ut digiti parvi duntaxat frontem, seu medium anterioris partis tabulæ, seu mensæ Altaris tangant, residuo manuum inter Altare et se retento, pollice dextro super sinistrum in modum Crucis posito (quæ omnia semper observantur cum manus junctæ super Altare ponuntur) secreto dicit *Oramus te, Domine*, etc., et cum dicit *Quorum reliquiæ hic sunt*, os-

culatur Altare in medio, manibus extensis æqualiter hinc inde super eo positis : quod semper servatur quando osculatur Altare ; sed post consecrationem pollices ab indicibus non disjunguntur. In omni etiam deosculatione sive Altaris, sive libri, sive alterius rei, non producitur signum Crucis pollice, vel manu super id quod osculandum est.

2. Osculato Altari accedit ad cornu ejus sinistrum, id est, Epistolæ ; ubi stans versus Altare, et producens a fronte ad pectus signum Crucis, incipit intelligibili voce *Introitum*, Missæ, et prosequitur junctis manibus. Cum dicit *Gloria Patri*, tenens junctas manus, capit inclinat versus Crucem. Cùm repetit *Introitum*, non signat se ut prius : et eo repetito, junctis manibus ante pectus, accedit ad medium Altaris, ubi stans versus illud similiter manibus junctis, dicit eadem voce ter *Kyrie*, *eleison*, ter *Christe*, *eleison*, et iterum ter *Kyrie*, *eleison*, alternatim cum Ministro. Si Minister, vel qui intersunt, Celebranti non respondeant, ipse solus novies dicit.

3. Dicto ultimo *Kyrie*, *eleison*, Sacerdos stans in medio Altaris, et manus extendens elevansque usque ad humeros (quod in omni manuum elevatione observatur) voce prædicta incipit, si dicendum sit, *Gloria in excelsis*. Cum dicit *Deo*, jungens manus, caput Cruci inclinat : quo erecto, stans junctis manibus ante pectus, prosequitur usque ad finem. Cum dicit, *Adoramus te*, *Gratias agimus tibi*, *Jesu Christe*, *Suscipe deprecationem nostram*, et iterum; *Jesu Christe*, caput Cruci inclinat. Cum dicit in fine *Cum sancto Spiritu*, seipsum a fronte ad pectus signat, interim absolvens *in gloria Dei Patris*. *Amen*.

4. In Missa solemni Sacerdos facta Confessione ascendit cum Ministris ad medium Altaris, ubi dicto *Oramus te*, *Domine*, et osculato Altari, ponit incensum in Thuribulum, ministrante Diacono Naviculam, et Thuriferario Thuribulum. Diaconus parum inclinatus versus Celebrantem,

dicit : *Benedicite, Pater reverende*, et osculatur Cochlear et manum Celebrantis ante et post. Celebrans ter incensum ponit in Thuribulum, dicens interim *Ab illo benedicaris*, et deposito Cochleari, producens manu dextra signum Crucis super thus in Thuribulo, illud benedicit. Postea Diaconus dimissa Navicula, accipit Thuribulum, et dat Celebranti, osculata prius catenularum summitate, et manu illius dextra : qui facta Cruci profunda reverentia, eam ter incensat, nihil dicens : et facta iterum Cruci reverentia, incensat Altare, ter ducens Thuribulum æquali distantia, prout distribuuntur candelabra, a medio ejus usque ad cornu Epistolæ; ubi demissa manu, thurificat illius postremam partem inferiorem, mox superiorem, bis ducto Thuribulo; et conversus ad Altare, elevans manum incensat ejus planitiem, seu mensam in parte anteriori, ter ducens Thuribulum usque ad medium; ubi facta Cruci reverentia, procedendo thurificat aliud latus Altaris triplici ductu usque ad cornu Evangelii : et pariter incensata inferiori et superiori parte ipsius cornu Evangelii duplici ductu, adhuc stans ibidem, elevat Thuribulum, et ter incensat superiorem tabulæ partem versus medium Altaris, ut fecit in cornu Epistolæ : deinde manu aliquantulum demissa, incensat anteriorem ejus partem seu frontem, ter ducens Thuribulum dum procedit a cornu Evangelii usque ad medium Altaris : et facta Cruci reverentia incensat similiter triplici ductu reliquam partem anteriorem usque ad cornu Epistolæ : ubi reddito Thuribulo ipsi Diacono, ab eo ipse solus incensatur.

5. Si vero in Altari fuerint reliquiæ, seu Imagines Sanctorum, incensata Cruce, et facta ei reverentia, antequam discedat a medio Altaris, primum incensat eas quæ a dextris sunt, id est, a parte Evangelii prope Crucem, bis ducens Thuribulum, et iterum facta Cruci reverentia similiter incensat bis alias quæ sunt a sinistris, hoc est a parte Epistolæ : deinde prosequitur incensationem Altaris ut

supra, ter ducens Thuribulum in unoquoque latere, etiamsi in eo essent plures Reliquiæ, vel Imagines, seu etiam plura vel pauciora candelabra.

6. Si in Altari fuerit tabernaculum SS. Sacramenti, accepto Thuribulo antequam incipiat incensationem, genuflectit : quod item facit quotiescumque transit ante medium Altaris.

7. Diaconus et Subdiaconus hinc inde assistunt Celebranti cum incensat, et cum transeunt ante Crucem, semper genuflectunt. Deinde Celebrans, Diacono a dextris ejus, Subdiacono a dextris Diaconi stantibus in cornu Epistolæ, legit *Introitum*, et *Kyrie*, *eleison*. Cum vero intonat *Gloria in excelsis*, Diaconus et Subdiaconus, unus post alium, stant a tergo Celebrantis : postea ascendunt ad Altare, et hinc inde, Diaconus a dextris, Subdiaconus a sinistris, cum Celebrante Hymnum submissa voce prosequuntur usque ad finem. Quod etiam servatur cum dicitur *Credo*, et cum dicitur *Dominus vobiscum*, *Oratio*, *Præfatio*, *Pater noster*, Diaconus et Subdiaconus similiter stant unus post alterum a tergo Celebrantis.

V. *De Oratione.*

Dicto Hymno *Gloria in excelsis*, vel si non sit dicendus, eo omisso, Celebrans osculatur Altare in medio, manibus hinc inde super eo, ut supra, extensis : tum illis ante pectus junctis, et demissis ad terram oculis, vertit se a sinistro latere ad dextrum versus populum, hoc est, per eam partem quæ respicit cornu Epistolæ, et extendens ac jungens manus ante pectus, ut prius, dicit voce prædicta *Dominus vobiscum*, vel si sit Episcopus, *Pax vobis* (quod dicitur tantum hoc loco, quando dictus est Hymnus *Gloria in excelsis*), ℟. *Et cum spiritu tuo*; et junctis ut prius manibus revertitur per eamdem viam ad librum, ubi eas extendens et jungens ante pectus, caputque Cruci inclinans, dicit *Oremus* : tum extendit manus ante pectus, ita

ut palma unius manus respiciat alteram, et digitis simul junctis, quorum summitas humerorum altitudinem distantiamque non excedat : quod in omni extensione manuum ante pectus servatur. Stans autem, ut supra, extensis manibus dicit *Orationem*. Cum dicit *Per Dominum*, jungit manus, easque junctas tenet usque ad finem. Si aliter concluditur Oratio *Qui tecum*, vel *Qui vivis*, cúm dicit *In unitate*, jungit manus.

2. Cum nominatur Nomen *JESUS*, caput versus Crucem inclinat : quod etiam facit cum nominatur in Epistola. Et similiter ubicumque nominatur Nomen Beatæ Mariæ vel Sanctorum, de quibus dicitur Missa, vel fit Commemoratio; item in Oratione pro Papa, quando nominatur, semper caput inclinat, non tamen versus Crucem. Si plures Orationes sint dicendæ, idem in eis, in voce, extensione manuum, et capitis inclinatione, quod supra dictum, observetur.

3. Si Altare fit ad orientem versus populum, Celebrans versa facie ad populum, non vertit humeros ad Altare, cum dicturus est *Dominus vobiscum*, *Orate fratres*, *Ite Missa est*, vel daturus Benedictionem : sed osculato Altari in medio, ibi expansis et junctis manibus ut supra, salutat populum, et dat Benedictionem.

In Quatuor Temporibus vel alias quando dicendæ sunt plures Orationes cum Prophetiis, dicto *Kyrie, eleison* in medio Altaris, revertitur ad cornu Epistolæ, ubi stans ante librum, extensis et junctis ante pectus manibus, caput Cruci inclinans, dicit *Oremus*, *Flectamus genua*, et illico manibus super Altare extensis, ut seipsum ad Altare sustineat, genuflectit, et sine mora surgens, eadem voce Ministro respondente *Levate*, manibus extensis dicit *Orationem*, ut supra, et in conclusione eas jungit. Dum autem legit Prophetias, tenet manus super librum vel Altare positas, ut mox dicetur de Epistola.

5. In Missa solemni cum dicitur *Dominus vobiscum*,

et *Oratio*, Diaconus et Subdiaconus stant retro post Celebrantem. *Flectamus genua*, dicitur a Diacono, a Subdiacono vero *Levate*, illo primum genuflectente, hoc primum surgente; Celebrans vero non genuflectit.

VI. *De Epistola, Graduali et aliis usque ad Offertorium.*

Dictis Orationibus, Celebrans, positis super librum vel super Altare manibus, ita ut palmæ librum tangant, vel (ut placuerit) librum tenens, legit *Epistolam* intelligibili voce, et respondetur a Ministro *Deo gratias;* et similiter stans eodem modo prosequitur *Graduale*, *Alleluia*, et *Tractum*, ac *Sequentiam* (si dicenda sint). Quibus dictis, Sacerdos, si privatim celebret, ipsemet, seu Minister portat librum Missalis ad alteram partem Altaris, in cornu Evangelii : et dum transit ante medium Altaris, caput Cruci inclinat, et Missale sic locat, ut posterior pars libri respiciat ipsum cornu Altaris, et non ad parietem, sive ad partem ejus contra se directam.

2. Locato Missali in Altari, Celebrans redit ad medium Altaris, ibique stans junctis manibus ante pectus, levatisque ad Deum oculis, et statim demissis, tum profunde inclinatus, dicit secreto *Munda cor meum*, *Jube Domine benedicere*, *Dominus sit in corde meo*, ut in Ordinario. Quibus dictis vadit ad librum Missalis, ubi stans versus illum junctis manibus ante pectus, dicit intelligibili voce *Dominus vobiscum*, ℟. *Et cum spiritu tuo*. Deinde pollice dextræ manus signo Crucis signat primo librum super principio Evangelii, quod est lecturus, postea seipsum in fronte, ore, et pectore, dicens *Sequentia* vel *Initium*, etc. ℟. *Gloria tibi*, *Domine*. Tum junctis iterum manibus ante pectus, stans ut supra, prosequitur Evangelium usque ad finem. Quo finito, Minister stans in cornu Epistolæ post infimum gradum Altaris, respondet *Laus tibi*, *Christe;* et Sacerdos elevans parumper librum, osculatur principium Evangelii, dicens *Per Evangelica*, etc., præterquam in

Missis Defunctorum, et nisi celebret coram Summo Pontifice, Cardinali, et Legato Sedis Apostolicæ, vel Patriarcha, Archiepiscopo, et Episcopo in eorum residentiis: quo casu defertur cuilibet prædictorum osculandus liber, et Celebrans tunc non osculatur illum, nec dicit *Per Evangelica dicta*. Cum autem nominatur *JESUS*, caput versus librum inclinat; et eodem modo versus librum genuflectit, cum in Evangelio est genuflectendum.

3. Dicto Evangelio, stans in medio Altaris versus Crucem, elevans, et extendens manus, incipit (si dicendum sit) *Credo*. Cum dicit *in unum Deum*, caput Cruci inclinat: quo erecto, stans ibidem junctis ante pectus manibus, ut prius, prosequitur usque ad finem. Cum dicit *Jesum Christum*, caput Cruci inclinat. Cum dicit *Et incarnatus est*, usque ad *Et homo factus est* inclusive, genuflectit. Cum dicit *simul adoratur*, caput Cruci inclinat. Cum dicit *Et vitam venturi sæculi, Amen*, producit sibi manu dextra signum Crucis a fronte ad pectus.

4. In Missa solemni Subdiaconus circa finem ultimæ Orationis accipit ambabus manibus librum Epistolarum, deferens illum supra pectus, et facta Altari genuflexione in medio, vadit ad partem Epistolæ contra Altare, et cantat Epistolam, quam etiam Celebrans interim submissa voce legit, assistente sibi Diacono a dextris, et item Graduale, Tractum, usque ad *Munda cor meum*. Epistola cantata, Subdiaconus facit iterum genuflexionem Altari in medio, ac redit ad Celebrantem, et genuflectens osculatur ejus manum, et ab eo benedicitur, præterquam in Missis Defunctorum.

5. Postea idem Subdiaconus accipit Missale Celebrantis, defert ad cornu Evangelii in Altari, et ibi ministrat Celebranti, qui in medio Altaris submissa voce dicto *Munda cor meum*, etc., et deinde lecto Evangelio, quod in fine non osculatur, delato etiam per Diaconum libro Evangeliorum ad Altare, imponit incensum in Thuribu-

lum. Postea Diaconus genuflexus ante Altare, dicit *Munda cor meum*, et accipiens librum Evangeliorum de Altari, petit benedictionem a Celebrante similiter genuflexus in superiori gradu Altaris, et osculata illius manu, præcedentibus Thuriferario et duobus Acolythis cum candelabris accensis de Credentia sumptis, vadit cum Subdiacono a sinistris ad locum Evangelii contra Altare versus populum, ubi Subdiacono librum tenente, medio inter duos Acolythos tenentes candelabra accensa, dicit *Dominus vobiscum*, junctis manibus. Cum dicit *Sequentia*, etc., signat librum in principio Evangelii, frontem, os, et pectus : postea ter librum incensat, hoc est in medio, a dextris, et a sinistris, et prosequitur Evangelium junctis manibus. Interim Celebrans post datam Diacono benedictionem retrahens se ad cornu Epistolæ, ibi stat junctis manibus. Et cum Diaconus dicit *Sequentia*, etc., Sacerdos etiam signat se, et cum nominatur *JESUS*, caput inclinat versus Altare. Finito Evangelio, Sacerdos osculatur librum a Subdiacono sibi delatum, dicens *Per Evangelica dicta*, et a Diacono ter incensatur. Si sit coram Prælato in sua residentia, liber defertur ad Prælatum, ut supra, et ille incensatur, ut in Cæremoniali. Postea stans in medio Altaris versus ad Crucem, incipit, si dicendum sit, *Credo*, stantibus post eum Diacono et Subdiacono : deinde ad Altare accedentibus, et cum eo prosequentibus, ut dictum est ad *Gloria in excelsis*.

6. Si autem sit prædicandum, Concionator finito Evangelio prædicet, et Sermone sive Concione expleto, dicatur *Credo*, vel, si non sit dicendum, cantetur Offertorium.

7. Cum vero in Symbolo cantatum fuerit, *Et incarnatus est*, Diaconus accepta Bursa de Credentia, ambabus manibus eam defert elevatam cum solitis reverentiis ad medium Altaris, in quo explicat Corporale, et revertitur ad Celebrantem. Cum non dicitur *Credo*, Subdiaconus defert Bursam simul cum Calice, ut infra dicetur.

8. Si quandoque Celebrans cantat Missam sine Diacono et Subdiacono, Epistolam cantat in loco consueto aliquis Lector Superpelliceo indutus : qui in fine non osculatur manum Celebrantis : Evangelium autem cantat ipse Celebrans ad cornu Evangelii : qui et in fine Missæ cantat *Ite Missa est*, vel *Benedicamus Domino*, aut *Requiescant in pace*, pro temporis diversitate.

VII. *De Offertorio, et aliis usque ad Canonem.*

Dicto Symbolo, vel si non sit dicendum, post Evangelium, Celebrans osculatur Altare in medio, et junctis manibus ante pectus, ibidem a manu sinistra ad dextram (ut dictum est supra) vertit se ad populum, et extendens ac jungens manus, dicit *Dominus vobiscum*, et junctis manibus revertitur per eamdem viam ad medium Altaris, ubi extendens et jungens manus caputque Cruci inclinans, dicit *Oremus* : tum junctis ut prius manibus dicit Offertorium et omnia quæ usque ad finem Missæ in medio Altaris dicenda sunt, dicit ibidem stans versus ad Altare, nisi ubi aliter ordinatur.

2. Dicto Offertorio, discooperit Calicem et ad cornu Epistolæ sistit, et manu dextra amovet parvam Pallam desuper Hostiam, accipit Patenam cum Hostia, et ambabus manibus usque ad pectus eam elevatam tenens, oculis ad Deum elevatis, et statim demissis, dicit : *Suscipe, sancte Pater*, etc.

3. Si fuerint aliæ Hostiæ non super Patenam, sed super Corporale, vel in alio Calice, seu vase pro Communione populi consecrandæ, Calicem illum, seu vas dextra discooperit, et intentionem suam etiam ad illas offerendas et consecrandas dirigens, dicit ut supra *Suspice*, etc., ut in Ordine Missæ. Quo dicto, Patenam utraque manu tenens, cum ea facit signum Crucis super Corporale, et deponit Hostiam circa medium anterioris partis Corporalis ante se, et Patenam ad manum dextram aliquantulum subtus

Corporale : quam exterso Calice, ut dicetur, cooperit Purificatorio. Si autem adsit vas, seu Calix cum aliis Hostiis, ipsum cooperit alia Patena, vel Palla.

4. Deinde in cornu Epistolæ accipit Calicem, Purificatorio extergit, et sinistra tenens illius nodum, accipit ampullam vini de manu Ministri (qui osculatur ipsam ampullam, non autem manum Celebrantis), et ponit vinum in Calicem. Deinde eodem modo tenens Calicem, producit signum Crucis super ampullam aquæ, et dicit *Deus qui humanæ substantiæ*, et infundens parum aquæ in Calicem, prosequitur *Da nobis*, etc. Si vero celebrat pro Defunctis, non facit signum Crucis super aquam, sed imponit absque Benedictione, dicens Orationem ut supra.

5. Imposita aqua in Calice et finita Oratione prædicta, accipit manu dextra Calicem discoopertum; et stans ante medium Altaris, ipsum ambabus manibus elevatum tenens, videlicet cum sinistra pedem, cum dextra autem nodum infra cuppam, intentis ad Deum oculis, offert, dicens *Offerimus*, etc., qua Oratione dicta, facit signum Crucis cum Calice super Corporale, et ipsum in medio post Hostiam collocat, et Palla cooperit. Deinde junctis manibus super Altare positis, aliquantulum inclinatus dicit secreto *In spiritu*, etc. Postea erectus elevans oculos, manusque expandens, et statim jungens ante pectus (quod semper facit quando aliquid est benedicturus) dicit *Veni, sanctificator*, etc. : cum dicit *et benedic*, signat manu dextra communiter super Hostiam et Calicem, sinistra posita super Altare.

6. Tum junctis ante pectus manibus, accedit ad cornu Epistolæ, ubi stans, ministro aquam fundente, lavat manus, id est, extremitates digitorum pollicis et indicis, dicens Psalm. *Lavabo*, cum *Gloria Patri*; qui Versus *Gloria Patri* prætermittitur in Missis Defunctorum, et in Missis de Tempore a Dominica de Passione usque ad Sabbatum sanctum exclusive.

7. Celebrans lotis manibus eas tergit, et illis ante pectus junctis, revertitur ad medium Altaris, ubi stans oculosque ad Deum elevans, et statim demittens, manibus junctis super Altare, aliquantulum inclinatus dicit secreto Orationem *Suscipe*, etc. Qua dicta, manibus hinc inde extensis, et super Altare positis, osculatur illud in medio: tum junctis manibus ante pectus, demissisque oculis ad terram, a sinistra manu ad dextram vertit se ad populum et versus eum extendens et jungens manus, dicit voce aliquantulum elata *Orate*, *fratres*, et secreto prosequens *ut meum ac vestrum*, etc., perficit circulum, revertens junctis manibus ante pectus a manu dextra ad medium Altaris. Et responso a Ministro, vel a circumstantibus *Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis*, etc. (alioquin per se ipsum dicens, *Sacrificium de manibus meis*) ipse Celebrans submissa voce dicit *Amen*, et manibus ante pectus extensis, ut fit ad Orationem, stans in medio Altaris versus librum dicit absolute sine *Oremus*, et sine alia interpositione, *Orationem*, vel *Orationes secretas*. Cum dicit *Per Dominum*, jungit manus : cum dicit *Jesum*, caput inclinat, quod facit in prima Oratione et in ultima, si plures sint dicendæ.

8. Pervento autem in conclusione ultimæ Secretæ ad verba illa *Per omnia sæcula sæculorum*, exclusive, Sacerdos stans in medio Altaris, depositis super eo manibus hinc inde extensis, dicit convenienti et intelligibili voce Præfationem. Cum dicit *Sursum corda*, elevat manus hinc inde extensas usque ad pectus, ita ut palma unius manus respiciat alteram. Cum dicit *Gratias agamus Domino*, jungit manus : cum dicit *Deo nostro*, oculos elevat, et statim Cruci caput inclinat. Responso *Dignum*, etc., elevatis et extensis ut prius manibus, prosequitur Præfationem propriam vel communem, ut requirit tempus. Cum dicit *Sanctus*, junctis ante pectus manibus et inclinatus, voce mediocri prosequitur, Ministro interim parvam cam-

panulam pulsante. Cum dicit *Benedictus qui venit*, etc., erigit se, et signum Crucis sibi producit a fronte ad pectus.

9. In Missa solemni, dicto *Oremus*, Diaconus et Subdiaconus accedunt ad Altare in cornu Epistolæ. Diaconus amovet Calicem, si est in Altari, vel si est in Credentia, ut magis decet, accipit eum de manu Subdiaconi, qui illud cum Patena et Hostia, coopertum Palla et Velo a collo sibi pendente, manu sinistra tenens, et alteram manum superponens Velo, ne aliquid decidat, de Credentia detulit, comitatus ab Acolytho ampullas vini et aquæ portante : ipse Diaconus Calicem detegit, et dat Patenam cum Hostia Celebranti, osculando ejus manum : Subdiaconus extergit Calicem Purificatorio. Diaconus accepta ampulla vini de manu Subdiaconi, imponit vinum in Calice : Subdiaconus interim ampullam aquæ ostendens Celebranti, dicit *Benedicite, Pater reverende,* qui facto versus eam signo Crucis, dicit Orationem *Deus qui humanæ,* etc. Interim Subdiaconus infundit paululum aquæ in Calicem; Diaconus illum Celebranti dat, et pedem Calicis tangens, seu brachium dextrum Celebrantis sustentans cum eo dicit *Offerimus*, etc., quem postea positum in Altari, ut supra, Palla cooperit. Subdiacono deinde stanti in cornu Epistolæ ponit in dextra manu Patenam, quam cooperit extremitate Veli ab ejus humero pendentis : qui vadit post Celebrantem ante medium Altaris, et facta genuflexione, ibi stat, sustinens eam elevatam usque ad finem Orationis Dominicæ, ut dicetur. In Missis autem Defunctorum, et in Feria vj in Parasceve, Patena non tenetur a Subdiacono.

10. Dicto *Veni, sanctificator*, ut supra, Celebrans, ministrante Diacono Naviculam, et dicente *Benedicite, Pater reverende*, ponit incensum in Thuribulum dicens *Per intercessionem*, etc., ut in ordine Missæ. Deinde accepto Thuribulo per manum Diaconi, nullam tunc faciens Cruci reverentiam, incensat oblata, ter ducens Thuribulum super

Calicem et Hostiam simul in modum Crucis, et ter circum Calicem et Hostiam, scilicet bis a dextra ad sinistram, et semel a sinistra ad dextram (Diacono interim pedem Calicis tenente manu dextra) dispensans verba in qualibet incensatione, hoc modo : In prima incensatione, *Incensum istud*, in secunda *A te benedictum*, in tertia *Ascendat ad te, Domine*, in quarta *Et descendat super nos*, in quinta et sexta *Misericordia tua*. Deinde facta reverentia incensat Crucem et Altare, ut dictum est supra, assistente eodem Diacono, interim dicens *Dirigatur*, etc., et cum incensatur Crux, Diaconus amovet Calicem ad partem Epistolæ, et incensata Cruce, reponit in loco suo. Cum reddit Thuribulum Diacono, dicit *Accendat*, etc., et incensatur ab eo. Deinde Diaconus incensat chorum, et postremo Subdiaconum tenentem patenam : et ipse Diaconus incensatur a Thuriferario, et Thuriferarius postea incensat Acolythos et populum. Celebrans postquam incensatus fuerit, lavat manus, ministrantibus Acolythis ampullam aquæ cum pelvicula et manutergio.

11. Cum dicitur Præfatio, Diaconus et Subdiaconus stant retro post Celebrantem : et paulo ante quam dicatur *Sanctus*, accedunt ad Altare, ubi cum Celebrante hinc inde dicunt *Sanctus*, et quæ sequuntur usque ad Canonem. Deinde Diaconus accedit ad sinistram Celebrantis, ei assistens dum dicitur Canon, nisi alius Sacerdos assistat, quia tunc ipse staret ad dextram aliquantum post Celebrantem. Subdiaconus vero tunc stat post Celebrantem.

VIII. *De Canone usque ad Consecrationem.*

FINITA Præfatione, ut supra, Sacerdos stans ante medium Altaris, versus ad illud aliquantulum elevat manus, oculisque elevatis ad Deum, et sine mora devote demissis, ac manibus junctis et super Altare positis, profunde inclinatus incipit Canonem, secreto dicens *Te igitur*, etc., ut in Ordine Missæ. Cum dicit *Uti accepta habeas, et bene-*

dicas, prius osculatur Altare in medio, deinde erigit se, et stat junctis manibus ante pectus. Cum dicit *Hæc ✝ dona, hæc ✝ munera, hæc sancta ✝ sacrificia*, dextra manu signat ter communiter super Hostiam et Calicem. Deinde extensis manibus ante pectus, prosequitur *In prim.*, etc.

2. Ubi dicit *Una cum famulo tuo Papa nostro* N. exprimit nomen Papæ : Sede autem vacante verba prædicta omittuntur. Ubi dicitur *Et Antistite nostro* N. specificatur nomen Patriarchæ, Archiepiscopi, vel Episcopi ordinarii in propria Diœcesi, et non alterius Superioris, etiam si Celebrans sit omnino exemptus. vel sub alterius Episcopi jurisdictione. Si vero Episcopus Ordinarius illius loci, in quo Missa celebratur, sit vita functus, prædicta verba omittuntur : quæ etiam omittuntur ab iis, qui Romæ celebrant. Si Celebrans est Episcopus, Archiepiscopus, vel Patriarcha, omissis prædictis verbis, eorum loco dicit *Et me indigno servo tuo*. Summus autem Pontifex cum celebrat, omissis verbis *Una cum famulo tuo Papa nostro* N. *et Antistite nostro* N. dicit *Una cum me indigno famulo tuo, quem gregi tuo præesse voluisti*. Et continuant omnes ut sequitur : *Et omnibus*, etc.

3. Cum dicit *Memento, Domine*, elevans et jungens manus usque ad faciem vel pectus, sic junctis manibus stat paulisper in quiete, demisso aliquantulum capite. faciens Commemorationem vivorum Christi fidelium ad suam voluntatem, quorum nomina, si vult, secreto commemoret : non tamen necesse est ea exprimere, sed mente tantum eorum memoriam habeat. Potest etiam Celebrans, si pro pluribus orare intendit, ne circumstantibus sit morosus, ante Missam in animo proponere sibi omnes illos tam vivos, quam defunctos, pro quibus in ipsa Missa orare intendit, et hoc loco generaliter unico contextu ipsorum vivorum Commemorationem agere, pro quibus ante Missam orare proposuit in Missa.

4. Commemoratione vivorum facta, demissis et extensis,

ut prius, manibus, continuat *Et omnium circumstantium*, etc. Similiter stans prosequitur *Communicantes* : cum dicit *Jesu Christi*, caput Cruci inclinat : in conclusione quando dicit *Per eumdem*, jungit manus. Cum dicit *Hanc igitur oblationem*, expandit manus simul super Oblata, ita ut palmæ sint apertæ versus ac supra Calicem et Hostiam, quas sic tenet usque ad illa verba *Per Christum*, etc.; tunc enim jungit manus, et sic prosequitur *Quam oblationem*, etc., et cum dicit *bene-† dictam*, *adscri-† ptam*, *ra-† tam*, communiter signat ter super Hostiam et Calicem simul : deinde cum dicit *Ut nobis Corpus*, separatim signat semel super Hostiam tantum : et cum dicit *et Sanguis*, semel super Calicem tantum : deinde elevans et jungens manus ante pectus, prosequitur *fiat dilectissimi*, etc., et inclinans caput Cruci, extergit, si opus fuerit, pollices et indices super Corporale, et dicit secreto, ut prius, *Qui pridie quam pateretur*, et accipiens pollice et indice dextræ manus Hostiam, et eam cum illis ac indice et pollice sinistræ manus tenens, stans erectus ante medium Altaris, dicit *Accepit panem*, etc., elevansque ad cœlum oculos, et statim demittens, dicit *et elevatis oculis in cœlum*, etc., caputque aliquantulum inclinans, dicit *tibi gratias agens*, et tenens Hostiam inter pollicem et indicem sinistræ manus, dextra producit signum Crucis super eam, dicens *bene-† dixit*, *fregit*, *deditque Discipulis suis dicens : Accipite et manducate ex hoc omnes*.

5. Si adsit vas cum aliis Hostiis consecrandis, antequam accipiat Hostiam, discooperit manu dextra Calicem, seu vas aliarum Hostiarum. Cum autem finierit supradicta verba, cubitis super Altare positis, stans capite inclinato, distincte, reverenter et secreto profert verba consecrationis super Hostiam, et simul super omnes, si plures sint consecrandæ, et Hostiam suam pollicibus et indicibus tantum tenens, dicit *Hoc est enim Corpus meum*. Quibus prolatis, Celebrans tenens Hostiam inter pollices et indices prædictos

super Altare, reliquis manuum digitis extensis, et simul junctis (et Hostiis, si plures sint consecratæ, in loco, in quo a principio Missæ positæ sunt, super Corporali, vel in alio vase, aut Calice dimissis), genuflexus eam adorat. Tunc se erigens, quantum commode potest, elevat in altum Hostiam, et intentis in eam oculis (quod et in elevatione Calicis facit) populo reverenter ostendit adorandam, et mox sola manu dextra ipsam reverenter reponit super Corporale in eodem loco unde eam levavit; et deinceps pollices et indices non disjungit, nisi quando Hostiam consecratam tangere vel tractare debet, usque ad ablutionem digitorum post Communionem.

6. Reposita Hostia consecrata super Corporale, genuflexus ipsam veneratur : si adsit vas aliarum Hostiarum, patena vel palla cooperit, ut supra. Interim dum Celebrans elevat Hostiam, accenso prius intorticio (quod non extinguitur nisi postquam Sacerdos Sanguinem sumpserit, vel alios communicaverit, si qui erunt communicandi in Missa), Minister manu sinistra elevat fimbrias posteriores Planetæ, ne ipsum Celebrantem impediat in elevatione brachiorum, quod et facit in elevatione Calicis; et manu dextra pulsat campanulam ter ad unamquamque elevationem, vel continuate quousque Sacerdos deponat Hostiam super Corporale et similiter postmodum ad elevationem Calicis.

7. Celebrans, adorato Sacramento, surgit et discooperit Calicem, in quem, si opus sit, extergit digitos, quod semper faciat, si aliquod fragmentum digitis adhæreat, et stans erectus dicit *Simili modo postquam cœnatum est*, et ambabus manibus accipiens Calicem juxta nodum infra cuppam, et aliquantulum illum elevans, ac statim deponens, dicit *Accipiens*, etc.; cum dicit *Item tibi gratias agens*, caput inclinat : cum dicit *Benedixit*, sinistra Calicem infra cuppam tenens, dextra signat super eum, et prosequens *deditque*, etc., et ambabus manibus tenens Calicem, videlicet sinistra pedem, dextra nodum infra

cuppam, cubitis super Altare positis, et capite inclinato profert attente, continuate et secreto, ut supra, verba consecrationis Sanguinis *Hic est enim Calix,* etc. Quibus dictis reponit Calicem super Corporale; dicens secreto *Hæc quotiescumque,* etc., genuflexus Sanguinem reverenter adorat. Tum se erigit, et accipiens Calicem discoopertum cum Sanguine ambabus manibus, ut prius, elevat eum, et erectum quantum commode potest, ostendit populo adorandum : mox ipsum reverenter reponit super Corporale in locum pristinum, et manu dextra Palla cooperit, ac genuflexus Sacramentum veneratur.

8. In Missa solemni ad finem Præfationis accenduntur duo saltem intorticia ab Acolythis, quæ extinguuntur post Elevationem Calicis, nisi aliqui sint communicandi, et tunc extinguuntur post Communionem. In diebus etiam jejuniorum, et in Missis pro Defunctis tenentur accensa usque ad Communionem. Cum autem Celebrans dicit *Quam oblationem*, etc., Diaconus accedit ad ejus dexteram, et ibi in superiori gradu Altaris genuflexus, cum Sacramentum elevatur, fimbrias Planetæ elevat, et quando opus est, se erigens Calicem discooperit, et cooperit, et cum Celebrante genuflectit. Subdiaconus genuflectit in suo loco. Thuriferarius genuflexus in cornu Epistolæ ter incensat Hostiam cum elevatur, et similiter Calicem, posito incenso in Thuribulum absque benedictione. Reposito Calice, Diaconus redit ad librum, nisi alius assistat. Cæteri surgunt, et stant in locis suis.

IX. *De Canone post Consecrationem usque ad Orationem Dominicam.*

Reposito Calice et adorato, Sacerdos stans ante Altare, extensis manibus ante pectus, dicit secreto *Unde et memores*, etc.; cum dicit *de tuis donis, ac datis*, jungit manus ante pectus, et cum dicit *Hostiam ✝ puram, Hostiam ✝ sanctam, Hostiam ✝ immaculatam*, manu sinistra

posita super Altare infra Corporale, dextra signat ter communiter super Hostiam et Calicem, et semel super Hostiam tantum, et semel super Calicem tantum, dicens *Panem † sanctum vitæ æternæ, et Calicem † salutis perpetuæ* : deinde stans, ut prius, extensis manibus prosequitur *Supra quæ*, etc. Cum dicit *Supplices te rogamus*, etc., inclinat se ante medium Altaris, manibus junctis super illo positis : cum dicit *Ex hac Altaris participatione*, osculatur Altare, manibus hinc inde super Corporale positis. Cum dicit *Sacrosanctum Filii tui*, jungit manus, et dextra signans semel super Hostiam tantum, et semel super Calicem, sinistra super Corporale posita, dicit *Cor-† pus*, *et san-† guinem sumpserimus* : et cum dicit *omni be-† nedictione cœlesti*, seipsum signat a fronte ad pectus, signo Crucis, sinistra posita infra pectus, et prosequitur *et gratia repleamur*. Cum dicit *per eumdem*, jungit manus.

2. Cum dicit *Memento etiam*, etc., extensis et junctis manibus ante pectus, et usque ad faciem elevatis, et intentis oculis ad Sacramentum super Altare, facit commemorationem Fidelium Defunctorum de quibus sibi videtur, eodem modo ut dictum est de Commemoratione vivorum. Qua Commemoratione facta, stans ut prius, extensis manibus prosequitur *Ipsis Domine*, etc., et in fine ad *Per eumdem*, jungit manus, et caput inclinat.

3. Cum dicit *Nobis quoque peccatoribus*, vocem aliquantulum elevat, et dextra manu pectus sibi percutit, sinistra posita super Corporale, et prosequitur secreto *Famulis tuis*, stans manibus extensis, ut prius. Cum dicit *Per Christum Dominum nostrum : per quem hæc omnia*, etc., jungit manus ante pectus : deinde manu dextra ter signans communiter super Hostiam et Calicem, dicit *sancti-† ficas*, *vivi-† ficas*, *benedi-† cis*, *et præstas nobis*. Postea discooperit manu dextra Calicem, et genuflexus adorat Sacramentum : tum se erigit, et reverenter accipit Hostiam inter pollicem et indicem dextræ manus, et cum

ea super Calicem, quem manu sinistra tenet circa nodum infra cuppam, signat ter a labio ad labium, dicens *Per ✝ ipsum, et cum ✝ ipso, et in ✝ ipso*. Et similiter cum Hostia signat bis inter Calicem et pectus incipiens a labio Calicis, et dicit *Est tibi Deo Pa-✝tri omnipotenti, in unitate Spiritus ✝ sancti*. Deinde tenens manu dextra Hostiam super Calicem, sinistra Calicem, elevat eum aliquantulum simul cum Hostia dicens *Omnis honor*, etc., et statim utrumque deponens, Hostiam collocat super Corporale, et si opus sit, digitos extergit, ut supra : ac pollices et indices, ut prius, jungens, Calicem Palla cooperit, et genuflexus Sacramentum adorat.

4. In Missa solemni, cum celebrans dicit *Per quem hæc omnia*, etc., Diaconus, facta Sacramento genuflexione, accedit ad dextram Celebrantis, et quando opus est, discooperit Calicem, et cum Celebrante adorat, similiter cooperit, et iterum genuflectit. Cum incipit *Pater noster*, idem vadit retro post Celebrantem, facta prius Sacramento genuflexione, ubi stat, dum dicitur Oratio Dominica.

X. *De Oratione Dominica, et aliis usque ad factam Communionem.*

Celebrans, cooperto Calice adoratoque Sacramento, erigit se, et manibus extensis hinc inde super Altare intra Corporale positis, dicit intelligibili voce *Per omnia sæcula sæculorum*, et cum dicit *Oremus*, jungit manus, caput Sacramento inclinans. Cum incipit *Pater noster*, extendit manus et stans oculis ad Sacramentum intensis, prosequitur usque ad finem. Responso a Ministro *Sed libera*, etc., et a Celebrante submissa voce *Amen*, manu dextra, pollice et indice non disjunctis, Patenam aliquantulum Purificatorio extergens, eam accipit inter indicem et medium digitos, quam tenens super Altare erectam, sinistra super Corporale posita, dicit secreto *Libera nos*, etc.

2. Antequam Celebrans dicat *Da propitius pacem*, cle-

vat manu dextra Patenam de Altari, et seipsum cum ea signat signo Crucis a fronte ad pectus, dicens *Da propitius pacem in diebus nostris*. Cum signat se, manum sinistram ponit infra pectus : deinde Patenam ipsam osculatur, et prosequens *ut ope misericordiæ tuæ*, etc., submittit Patenam Hostiæ, quam indice sinistro accommodat super Patenam, discooperit Calicem, et genuflexus Sacramentum adorat : tum se erigens accipit Hostiam inter pollicem et indicem dextræ manus, et cum illis ac pollice et indice sinistræ manus eam super Calicem tenens, reverenter frangit per medium, dicens : *Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum*, et mediam partem, quam inter pollicem et indicem dextræ manus tenet, ponit super Patenam; de alia media, quam sinistra manu tenet, frangit cum pollice et indice dextræ manus particulam, prosequens *Qui tecum*, etc., et eam inter ipsos dextræ manus pollicem et indicem retinens, partem majorem, quam sinistra tenet, adjungit mediæ super Patenam positæ, interim dicens *In unitate Spiritus sancti Deus* : et particulam Hostiæ quam in dextra manu retinuit, tenens super Calicem, quem sinistra per nodum infra cuppam retinet, intelligibili voce dicit : *Per omnia sæcula sæculorum*. ℟. *Amen*, et cum ipsa particula signans ter a labio ad labium Calicis, dicit *Pax Domini*, etc., responso per Ministrum *Et cum spiritu tuo*, particulam quam dextra manu tenet, immittit in Calicem, dicens secreto *Hæc commixtio*, etc. Deinde pollices et indices super Calicem aliquantulum tergit et jungit, Calicem Palla cooperit, et genuflexus Sacramentum adorat, surgit, et stans junctis manibus ante pectus capite inclinato versus Sacramentum, dicit intelligibili voce *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi*, et dextra percutiens sibi pectus, sinistra super Corporale posita, dicit *Miserere nobis*, et deinde non jungit manus, sed iterum percutit sibi pectus cum dicit secundo *Miserere nobis* : quod et tertio facit, cum dicit *Dona nobis pacem*.

3. Tunc manibus junctis super Altare positis oculisque ad Sacramentum intentis, inclinatus dicit secreto *Domine Jesu Christe*, etc. Qua Oratione finita, si est daturus pacem, osculatur Altare in medio, et instrumentum pacis ei porrectum a Ministro juxta ipsum ad dextram, hoc est in cornu Epistolæ genuflexo, et dicit *Pax tecum;* Minister respondet *Et cum spiritu tuo*. Si non adsit qui hujusmodi instrumento pacem recipiat a Celebrante, pax non datur, etiam si illius datio Missæ conveniat : nec osculatur Altare, sed dicta præmissa Oratione, statim subjungit alias Orationes, ut in Ordine Missæ.

4. Si vero celebret pro Defunctis, non percutit pectus ad *Agnus Dei*, quia dicit *Dona eis requiem*, nec dicit primam Orationem *Domine Jesu Christe, qui*, etc., non dat pacem, sed dicit alias duas sequentes Orationes *Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi*, et *Perceptio*, etc. Quibus Orationibus dictis, genuflectens Sacramentum adorat, et se erigens dicit secreto *Panem cœlestem*, etc. Quo dicto, dextra manu accipit de Patena reverenter ambas partes Hostiæ, et collocat inter pollicem et indicem sinistræ manus, quibus Patenam inter eumdem indicem et medium digitos supponit, et eadem manu sinistra tenens partes hujusmodi super Patenam inter pectus et Calicem, parum inclinatus, dextra tribus vicibus percutit pectus suum, interim etiam tribus vicibus dicens voce aliquantulum elevata, *Domine, non sum dignus*, et secreto prosequitur *ut intres*, etc. Quibus tertio dictis, ex sinistra accipit ambas partes prædictas Hostiæ inter pollicem et indicem dextræ manus, et cum illa supra Patenam signat seipsum signo Crucis, ita tamen ut Hostia non egrediatur limites Patenæ, dicens *Corpus Domini nostri*, etc. Et se inclinans, cubitis super Altare positis, reverenter easdem ambas partes sumit : quibus sumptis, deponit Patenam super Corporale, et erigens se junctis indicibus et pollicibus, ambas quoque manus ante faciem jungit et aliquantulum quies-

cit in meditatione SS. Sacramenti. Deinde depositis manibus dicit secreto *Quid retribuam Domino*, etc., et interim discooperit Calicem, genuflectit, surgit, accipit Patenam, inspicit Corporale, colligit fragmenta cum Patena, si quæ sint in eo, Patenam quoque diligenter cum pollice et indice dextræ manus super Calicem extergit, et ipsos digitos, ne quid fragmentorum in eis remaneat.

5. Si vero adsint Hostiæ consecratæ super Corporale positæ pro alio tempore conservandæ, facta prius genuflexione, reponit eas in vas ad hoc ordinatum, et diligenter advertit ne aliquod fragmentum, quantumcumque minimum, remaneat super Corporale : quod si fuerit, accurate reponit in Calicem. Post extersionem Patenæ, junctis pollicibus et indicibus, Calicem dextra manu infra nodum cuppæ accipit, sinistra Patenam, dicens *Calicem salutaris*, etc., et signans se signo Crucis cum Calice, dicit *Sanguis Domini nostri*, etc., et manu sinistra supponens Patenam Calici, stans reverenter, sumit totum Sanguinem cum particula in Calice posita. Quibus sumptis dicit secreto *Quod ore sumpsimus*, etc., et super Altare porrigit Calicem Ministro in cornu Epistolæ, quo vinum infundente, se purificat : deinde vino et aqua abluit pollices et indices super Calicem, quos abstergit Purificatorio, interim dicens *Corpus tuum, Domine, quod sumpsi*, etc. Ablutionem sumit, et extergit os et Calicem Purificatorio : quo facto, Purificatorium extendit super Calicem, et desuper Patenam, ac super Patenam parvam Pallam, et plicato Corporali, quod reponit in Bursam, cooperit Calicem Velo, et Bursam desuper ponit, et collocat in medio Altaris, ut in principio Missæ.

6. Si qui sunt communicandi in Missa, Sacerdos post Sumptionem Sanguinis, antequam se purificet, facta genuflexione, ponat particulas consecratas in Pyxide, vel, si pauci sint communicandi, super Patenam, nisi a principio positæ fuerint in Pyxide, seu alio Calice. Interim Minister

ante eos extendit linteum, seu velum album, et pro eis facit confessionem, dicens *Confiteor*, etc. Tum Sacerdos iterum genuflectit, et, manibus junctis vertens se ad populum in cornu Evangelii, dicit *Misereatur*, etc., *Indulgentiam*, etc., et manu dextra facit signum Crucis super eos. Postea genuflectens, accipit manu sinistra Pyxidem, seu Patenam cum Sacramento, dextra vero sumit unam particulam, quam inter pollicem et indicem tenet aliquantulum elevatam super Pyxidem, seu Patenam, et conversus ad communicandos in medio Altaris, dicit *Ecce Agnus Dei*, etc. Deinde dicit *Domine, non sum dignus*, etc. Quibus verbis tertio repetitis, accedit ad eorum dextram, hoc est, ad latus Epistolæ, et unicuique porrigit Sacramentum, faciens cum eo signum Crucis super Pyxidem, vel Patenam, et simul dicens: *Corpus Domini nostri*, etc. Omnibus communicatis, revertitur ad Altare, nihil dicens; et non dat eis benedictionem, quia illam daturus est in fine Missæ. Si particulæ positæ erant super Corporale, extergit illud cum Patena, et si quæ in eo fuerint fragmenta, in Calicem immittit. Deinde dicit secreto *Quod ore*, etc., et se purificat dicens *Corpus tuum, Domine*, etc., et alia facit ut supra. Minister autem dextra manu tenens vas cum vino et aqua, sinistra vero mappulam, aliquanto post Sacerdotem, eis porrigit purificationem, et mappulam ad os abstergendum.

7. Si in Altari remaneant Particulæ in Calice, seu in alio vase usque ad finem Missæ, serventur ea quæ in Feria V Cœnæ Domini præscribuntur circa finem Missæ.

8. In Missa solemni Diaconus stans retro post Celebrantem, cum in Oratione Dominica dicitur *Et dimitte nobis*, etc., facta ibidem genuflexione, vadit ad dextram Celebrantis, et Subdiaconus circa finem Orationis Dominicæ, facta itidem genuflexione, revertitur ad Altare, et stans in cornu Epistolæ, porrigit Patenam Diacono, qui eam discooperit, et Purificatorio abstergens, dat Cele-

branti, illius manum osculando : et quando opus est, discooperit, et cooperit Calicem, et cum Celebrante adorat. Subdiaconus, reddita Patena, et deposito Velo, quod ab humeris ejus pendebat, genuflectit, et descendit retro post Celebrantem : et cum dicitur *Pax Domini*, iterum genuflectens, accedit ad sinistram Celebrantis, et simul dicunt *Agnus Dei :* deinde facta ibidem Sacramento genuflexione, redit post Celebrantem, Diaconus vero a dextris genuflexus expectat pacem ; et cum Celebrans osculatur Altare, ipse se erigens simul osculatur illud extra Corporale, et a Celebrante dicente *Pax tecum*, complexus accipit pacem sinistris genis sibi invicem appropinquantibus, et ei respondet *Et cum spiritu tuo*. Postea iterum Sacramento in Altari adorato, vertit se ad Subdiaconum retro post Celebrantem, et similiter dat ei pacem. Subdiaconus, accepta pace a Diacono, et facta Altari genuflexione, comitatus ab Acolytho vadit ad Chorum, et dat pacem primo cujusque ordinis, dignioribus prius, deinde minus dignis, et reversus ad Altare, facta genuflexione, dat pacem Acolytho, qui ipsum comitaverat, qui et aliis Acolythis circa Altare dat pacem : deinde Subdiaconus vadit ad dextram Celebrantis, et quando opus est, discooperit Calicem, accipit ampullam vini, et infundit quando Celebrans vult purificare. Diaconus post datam pacem Subdiacono vadit ad librum, et dum Celebrans se communicat, stant ipse et Subdiaconus profunde inclinati versus Altare.

9. In Missa Pontificali, Assistens recipit et defert pacem, ut in Cæremoniali habetur. Si in Missa solemni fiat Communio, omnia serventur, ut supra, sed prius communicet Diaconum et Subdiaconum, deinde alios per ordinem; et Diaconus purificationem eis ministret. Interim a Choro cantatur Antiphona, quæ dicitur *Communio*.

XI. *De Communione, et Orationibus post Communionem dicendis.*

Celebrante purificato, dum Calicem collocat in Altari, liber Missalis defertur per Ministrum ad cornu Epistolæ, et collocatur ut in Introitu. Ipse autem Minister genuflectit juxta cornu Evangelii, ut in principio Missæ. Deinde Celebrans stans junctis manibus legit Antiphonam quæ dicitur *Communio;* qua lecta, junctis itidem manibus ante pectus, vadit ad medium Altaris, et eo osculato vertit se ad populum a manu sinistra ad dextram, et dicit *Dominus vobiscum*, et per eamdem viam redit ad librum, dicit *Orationes post Communionem*, eisdem modo, numero et ordine, ut supra dictæ sunt Collectæ. Quibus finitis, claudit librum, et jungens manus ante pectus, revertitur ad medium Altaris, ubi eo osculato vertit se ad populum, et dicit ut supra *Dominus vobiscum;* quo dicto, stans junctis manibus ante pectus versus populum, dicit, si dicendum est, *Ite, Missa est*, et per eamdem viam revertitur ad Altare. Si vero non sit dicendum, dicto *Dominus vobiscum*, revertitur eodem modo per eamdem viam ad medium Altaris, et stans versus ad illud, junctis ante pectus manibus, dicit *Benedicamus Domino*. In Missis autem Defunctorum eodem modo stans versus Altare, dicit *Requiescant in pace*.

2. In Quadragesima autem a Feria IV Cinerum usque ad Feriam IV majoris Hebdomadæ, in Feriali Officio postquam Celebrans dixit Orationes post Communionem cum suis solitis conclusionibus, antequam dicat *Dominus vobiscum*, stans in eodem loco, ante librum dicit *Oremus, Humiliate capita vestra Deo*, caput inclinans, et extensis manibus subjungit eadem voce *Orationem super populum* ibidem positam : qua finita osculatur Altare, et vertens se ad populum dicit *Dominus vobiscum*, et alia ut supra.

3. In Missa solemni Diaconus defert librum Missalis ad

cornu Epistolæ : deinde vadit retro post Celebrantem : Subdiaconus vero vadit ad cornu Evangelii, ubi Calicem mundat, aptat cum Purificatorio, Patena et Palla cooperit, plicat Corporale, reponit in Bursam, et illam ponit super Calicem coopertum Velo, quem collocat in Altari, vel super Credentia, ut prius : postea redit ad locum suum retro post Diaconum, qui cum dicit *Ite*, *Missa est*, cum Celebrante vertit se ad populum : et in Quadragesima dicto per Celebrantem *Oremus*, Diaconus in cornu Epistolæ vertens se ad populum junctis manibus dicit, ut supra, *Humiliate*, etc., quo dicto vertit se versus Altare a tergo Celebrantis, et Celebrans dicit Orationem super populum.

XII. *De Benedictione in fine Missæ, et Evangelio S. Joannis.*

Dicto *Ite*, *Missa est* vel *Benedicamus Domino*, ut supra, Celebrans ante medium Altaris stans junctis manibus super eo, et capite inclinato, dicit secreto *Placeat tibi*, etc., quo dicto extensis manibus hinc inde super Altare positis, ipsum in medio osculatur : tum erigens se, adhuc stans versus illud, elevat ad cœlum oculos et manus, quas extendit et jungit, caputque Cruci inclinans, dicit voce intelligibili *Benedicat vos omnipotens Deus;* et junctis manibus, ac demissis ad terram oculis, vertens se ad populum a sinistro latere ad dextrum, extensa manu dextra, junctisque digitis, et manu sinistra infra pectus posita, semel benedicit populo, dicens *Pater, et Filius,* ✝ *et Spiritus sanctus*. ℟. *Amen*, et circulum perficiens accedit ad cornu Evangelii, ubi dicto *Dominus vobiscum*. ℟. *Et cum spiritu tuo*, pollice dextro signans primum signo Crucis Altare, seu librum in principio Evangelii, deinde frontem, os, et pectus, dicit *Initium sancti Evangelii*, vel *Sequentia*, etc., ut dictum est in Rubricis generalibus, et ℟. *Gloria tibi, Domine*, junctis manibus legit Evangelium S. Joannis, vel aliud, ut convenit. Cum dicit *Et Verbum caro factum est*,

genuflectit versus cornu Evangelii, et surgens prosequitur ut prius : quo finito, Minister stans a parte Epistolæ respondet *Deo gratias*.

2. Si Celebrans in Altari vertit faciem ad populum, non vertit se, sed stans ut erat, benedicit populo, ut supra, in medio Altaris : deinde accedit ad cornu Evangelii, et dicit Evangelium S. Joannis.

3. Si celebravit coram Summo Pontifice, Cardinali, et Legato Sedis Apostolicæ, vel Patriarcha, Archiepiscopo, Episcopo in Provincia, Civitate, vel Diœcesi sua existente, Celebrans dicto *Placeat tibi*, etc., dicit *Benedicat vos omnipotens Deus*, et convertens se ad Summum Pontificem genuflexus, ad Cardinalem vero et Legatum, vel alium ex supradictis Prælatis, capite inclinato quasi licentiam benedicendi petens, prosequitur *Pater*, *et Filius*, etc., benedicens astantes a parte ubi non adest Pontifex, Cardinalis, Legatus, aut Prælatus prædicti. Si autem celebravit coram Patriarcha, Archiepiscopo, et Episcopo, extra eorum Provinciam, Civitatem, vel Diœcesim constitutis, eis, absque alio respectu, ut cæteris qui intersunt, more consueto benedicit.

4. Si autem celebravit pro Defunctis, dicto *Placeat*, ut supra, et osculato Altari, accedit ad cornu Evangelii, et dicit Evangelium S. Joannis, prætermissa benedictione, quæ in Missis Defunctorum non datur.

5. Finito Evangelio in fine Missæ, si celebravit coram Summo Pontifice, Cardinali, et Legato Sedis Apostolicæ, vel Patriarcha, Archiepiscopo, et Episcopo, convertit se ad illum, coram quo ex prædictis celebravit, et facit reverentiam convenientem. Si non celebravit coram aliquo prædictorum, hujusmodi reverentiam prætermittit.

6. Quibus omnibus absolutis, extinguuntur per Ministrum candelæ : interim Sacerdos accipit sinistra Calicem, dextram ponens super Bursam, ne aliquid cadat, descendit ante infimum gradum Altaris : et ibi in medio vertens se

ad illud, caput inclinat (vel si in eo est Tabernaculum SS. Sacramenti, genuflectit), et facta reverentia, accipit Biretum a Ministro, caput cooperit, ac præcedente eodem Ministro, eo modo quo venerat, redit ad Sacristiam, interim dicens Antiphonam *Trium puerorum*, et Canticum *Benedicite*. Si vero sit dimissurus paramenta apud Altare ubi celebravit, finito Evangelio prædicto, ibidem illis se exuit, et dicit Antiphonam *Trium puerorum*, cum Cantico et aliis Orationibus, ut suo loco ponitur.

7. In Missa solemni Celebrans, eadem voce et modo quo in Missis privatis, semel tantum benedicit populo, nisi sit Episcopus (vel Abbas, ut infra) : et dicto Evangelio secundum Joannem, vel alio ut supra, ministrante Subdiacono librum, si opus est, discedit cum Ministris ordine et modo quo venerat.

8. Episcopus autem ter benedicit populo etiam in Missis privatis, ut in Cæremoniali habetur.

XIII. *De iis quæ omittuntur in Missa pro Defunctis.*

In Missa pro Defunctis, ante Confessionem non dicitur Psalmus *Judica me*, *Deus*, sed pronuntiata Antiphona *Introibo ad Altare Dei*, et responso a Ministro *Ad Deum*, etc., dicitur ℣. *Adjutorium nostrum*, et Confessio, cum reliquis, ut supra. Cum Celebrans ad Altare incipit *Introitum*, non signat se, sed manu dextra extensa, facit signum Crucis super librum, quasi aliquem benedicens. Non dicitur *Gloria Patri*, sed post Psalmum repetitur *Requiem æternam*, nec dicitur *Gloria in excelsis*, nec *Alleluia*, nec *Jube*, *Domine*, *benedicere*, nec *Dominus sit in corde meo*, nec osculatur librum in fine. Non dicitur *Credo*, non benedicitur aqua in Calicem fundenda : dicitur tamen Oratio *Deus qui humanæ substantiæ*, etc. Cum lavat manus, in fine Psalmi *Lavabo inter innocentes*, non dicitur *Gloria Patri*. Ad *Agnus Dei*, non dicitur *Miserere nobis*, cujus loco dicitur *Dona eis requiem;* nec tertio *Dona*

nobis pacem, cujus loco dicitur *Dona eis requiem sempiternam*, neque percutitur pectus. Non dicitur prima Oratio ante Communionem, scilicet, *Domine Jesu Christe qui dixisti*, etc., nec datur pax. In fine non dicitur *Ite, Missa est*, nec *Benedicamus Domino*, sed *Requiescant in pace*. Et non datur benedictio, sed dicto *Placeat*, et osculato Altari, dicitur ut supra *In principio erat Verbum*, etc. Alia omnia ut in aliis Missis.

2. In Missa solemni non incensatur Altare ad Introitum, et Subdiaconus finita Epistola non osculatur manum Celebrantis, nec benedicitur : Diaconus non petit benedictionem, nec osculatur Celebrantis manum : non tenentur luminaria ad Evangelium, nec portatur incensum, sed duo tantum Acolythi sine candelabris stant unus a dextris et alter a sinistris Subdiaconi tenentis librum Evangeliorum. Non incensatur liber, nec in fine Celebrans; nec defertur liber Evangeliorum osculandus. Oblata et Altare incensantur, ut supra : incensatur solus Celebrans, et non incensantur alii. Subdiaconus non tenet Patenam post Celebrantem : sed tempore elevationis Sacramenti genuflexus in cornu Epistolæ illud incensat. Ministri cum aliquid porrigunt Celebranti, in hac Missa non osculantur ejus manum, neque rem quæ porrigitur.

3. Si distribuendæ sunt candelæ, distribuantur post Epistolam; et accendantur ad Evangelium, ad elevationem Sacramenti, et post Missam, dum fit Absolutio. Si habendus est sermo, habeatur finita Missa ante Absolutionem.

4. Finita Missa, si facienda est Absolutio, Celebrans retrahit se ad cornu Epistolæ, ubi exuitur Casula, et deposito Manipulo, accipit Pluviale nigrum. Subdiaconus medius inter duos Acolythos cum candelabris accensis defert Crucem sicut in Processionibus, præcedentibus duobus aliis Acolythis, uno cum Thuribulo et Navicula incensi, alio cum Vase aquæ benedictæ et Aspersorio : sequitur Cele-

brans, facta prius Altari reverentia, et Diaconus a sinistris ejus. Subdiaconus cum Cruce sistit se ad pedes tumuli seu lecticæ mortuorum contra Altare, medius inter dictos Acolythos tenentes luminaria : Celebrans vero ex alia parte in capite loci inter Altare et tumulum, aliquantulum versus cornu Epistolæ, ita ut crucem Subdiaconi respiciat : a sinistris ejus Diaconus, et prope eum alii duo Acolythi deferentes Thuribulum, et Vas aquæ benedictæ. Interim cantatur ℟. *Libera me*, *Domine*, et circa illius finem Celebrans ponit incensum in Thuribulum, benedicens illud more solito, ministrante Diacono Naviculam : et finito *Kyrie*, *eleison*, incipit intelligibili voce *Pater noster*, et secreto prosequendo reliqua, accipit Aspersorium de manu Diaconi, et facta Altari reverentia, comitante eodem Diacono a dextris, et tenente fimbriam anteriorem Pluvialis, circuiens tumulum, aspergit illum aqua benedicta, ter a parte dextra, et ter a sinistra. Cum transit ante Crucem, profunde se inclinat, Diaconus vero genuflectit : postea de manu ejusdem Diaconi accipit Thuribulum ; et eodem modo quo asperserat, incensat. Et rediens ad pristinum locum, Diacono tenente librum, junctis manibus dicit :

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. A porta ínferi.
℟. Erue, Dómine, ánimam ejus.
℣. Requiéscat in pace.
℟. Amen.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Absolve, quæsumus, Dómine, ánimam fámuli tui N. ab omni vínculo delictórum : ut in resurrectiónis glória, inter Sanctos et eléctos tuos resuscitátus respíret. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Deinde Celebrans faciens Crucem manu dextra super tumulum, dicit :

℣. Réquiem ætérnam dona ei, Dómine.

℟. Et lux perpétua lúceat ei.

Et dicto per Cantores Requiéscat in pace.

℟. Amen.

Præcedente Cruce redit cum aliis ad Sacristiam.

Si officium fit pro pluribus defunctis, omnia dicantur in numero plurali.

DE DEFECTIBUS

IN CELEBRATIONE MISSARUM OCCURRENTIBUS.

Sacerdos celebraturus, omnem adhibeat diligentiam ne desit aliquid ex requisitis ad Sacramentum Eucharistiæ conficiendum. Potest autem defectus contingere ex parte materiæ consecrandæ, et ex parte formæ adhibendæ, et ex parte Ministri conficientis. Quidquid enim horum deficit, scilicet materia debita, forma cum intentione, et ordo Sacerdotalis in conficiente, non conficitur Sacramentum. Et his existentibus, quibuscumque aliis deficientibus, veritas adest Sacramenti. Alii vero sunt defectus, qui in Missæ celebratione occurrentes, et si veritatem Sacramenti non impediant, possunt tamen aut cum peccato, aut cum scandalo contingere.

II. *De defectibus materiæ.*

Defectus ex parte materiæ possunt contingere, si aliquid desit ex iis quæ ad ipsam requiruntur. Requiritur enim ut sit panis triticeus, et vinum de vite : et ut hujusmodi materia consecranda in actu consecrationis sit coram Sacerdote.

III. *De defectu panis.*

Si panis non sit triticeus, vel si triticeus, admixtus sit granis alterius generis in tanta quantitate, ut non maneat panis triticeus, vel si alioqui corruptus; non conficitur Sacramentum.

2. Si sit confectus de aqua rosacea, vel alterius distillationis, dubium est an conficiatur.

3. Si cœperit corrumpi, sed non sit corruptus : similiter si non sit azymus, secundum morem Ecclesiæ Latinæ; conficitur, sed conficiens graviter peccat.

4. Si Celebrans ante consecrationem advertit Hostiam esse corruptam, aut non esse triticeam; remota illa Hostia, aliam ponat, et facta oblatione, saltem mente concepta, prosequatur ab eo loco, ubi desinit.

5. Si id adverterit post consecrationem, etiam post illius Hostiæ sumptionem, posita alia, faciat oblationem, ut supra, et a consecratione incipiat, scilicet ab illis verbis *Qui pridie quam pateretur*, et illam priorem si non sumpsit, sumat post sumptionem Corporis et Sanguinis, vel alii sumendam tradat, vel alicubi reverenter conservet. Si autem sumpserit, nihilominus sumat eam, quam consecravit : quia præceptum de perfectione Sacramenti majoris est ponderis, quam quod a jejunis sumatur.

6. Quod si hoc contingat post sumptionem Sanguinis, apponi debet rursus novus panis, et vinum cum aqua; et facta prius oblatione, ut supra, Sacerdos consecret, incipiendo ab illis verbis *Qui pridie*, ac statim sumat utrum-

que, et prosequatur Missam, ne Sacramentum remaneat imperfectum, et ut debitus servetur ordo.

7. Si Hostia consecrata dispareat, vel casu aliquo, ut vento, aut miraculo, vel ab aliquo animali accepta, et nequeat reperiri; tunc altera consecretur, ab eo loco incipiendo *Qui pridie quam pateretur*, facta ejus prius oblatione, ut supra.

IV. *De defectu vini.*

Si vinum sit factum penitus acetum, vel penitus putridum, vel de uvis acerbis, seu non maturis expressum, vel ei admixtum tantum aquæ, ut vinum sit corruptum; non conficitur Sacramentum.

2. Si vinum cœperit acescere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantum acre, vel mustum de uvis tunc expressum, vel non fuerit admixta aqua, vel fuerit admixta aqua rosacea, seu alterius distillationis; conficitur Sacramentum, sed conficiens graviter peccat.

3. Si Celebrans ante consecrationem Sanguinis, quamvis post consecrationem Corporis advertat aut vinum, aut aquam, aut utrumque non esse in Calice, debet statim apponere vinum cum aqua, et facta oblatione, ut supra, consecrare, incipiendo ab illis verbis *Simili modo*, etc.

4. Si post verba consecrationis advertat vinum non fuisse positum, sed aquam; deposita aqua in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in Calice, et consecret, resumendo a verbis prædictis *Simili modo*, etc.

5. Si hoc advertat post sumptionem Corporis, vel hujusmodi aquæ, apponat aliam Hostiam iterum consecrandam, et vinum cum aqua in Calice, offerat utrumque, et consecret, et sumat, quamvis non sit jejunus. Vel, si Missa celebretur in loco publico, ubi plures adsint, ad evitandum scandalum poterit apponere vinum cum aqua, et facta oblatione, ut supra, consecrare, ac statim sumere, et prosequi cætera.

6. Si quis percipiat ante consecrationem, vel post consecrationem, totum vinum esse acetum, vel alias corruptum, idem servetur quod supra, ac si deprehenderet non esse positum vinum, vel solam aquam fuisse appositam in Calice.

7. Si autem Celebrans ante consecrationem Calicis advertat non fuisse appositam aquam, statim ponat eam, et proferat verba consecrationis. Si id advertat post consecrationem Calicis, nullo modo apponat, quia non est de necessitate Sacramenti.

8. Si materia quæ esset apponenda, ratione defectus vel panis, vel vini, non posset ullo modo haberi, si id fit ante consecrationem Corporis, ulterius procedi non debet : si post consecrationem Corporis, aut etiam vini, deprehenditur defectus alterius speciei, altera jam consecrata, tunc si nullo modo haberi possit, procedendum erit, et Missa absolvenda; ita tamen ut prætermittantur verba, et signa quæ pertinent ad speciem deficientem. Quod si expectando aliquandiu haberi possit, expectandum erit, ne sacrificium remaneat imperfectum.

V. *De defectibus formæ.*

Defectus ex parte formæ possunt contingere, si aliquid desit ex iis quæ ad integritatem verborum in ipsa consecratione requiruntur. Verba autem consecrationis, quæ sunt forma hujus Sacramenti, sunt hæc : *Hoc est enim Corpus meum*. Et : *Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi et æterni testamenti, mysterium fidei; qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Si quis autem aliquid diminueret, vel immutaret de forma consecrationis Corporis et Sanguinis, et in ipsa verborum immutatione verba idem non significarent, non conficeret Sacramentum. Si vero aliquid adderet quod significationem non mutaret, conficeret quidem, sed gravissime peccaret.

2. Si Celebrans non recordetur se dixisse ea quæ in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. Si tamen certo ei constet se omisisse aliquid eorum quæ sunt de necessitate Sacramenti, id est, formam consecrationis, seu partem, resumat ipsam formam, et cætera prosequatur per ordinem. Si vero valde probabiliter dubitat se aliquid essentiale omisisse, iteret formam saltem sub tacita conditione. Si autem non sunt de necessitate Sacramenti, non resumat, sed procedat ulterius.

VI. *De defectibus Ministri.*

Defectus ex parte Ministri possunt contingere quoad ea quæ in ipso requiruntur. Hæc autem sunt : In primis intentio, deinde dispositio animæ, dispositio corporis, dispositio vestimentorum, dispositio in ministerio ipso, quoad ea quæ in ipso possunt occurrere.

VII. *De defectu intentionis.*

Si quis non intendit conficere, sed delusorie aliquid agere. Item, si aliquæ Hostiæ ex oblivione remaneant in Altari, vel aliqua pars vini, vel aliqua Hostia lateat, cum non intendat consecrare nisi quas videt. Item, si quis habeat coram se undecim Hostias, et intendat consecrare solum decem, non determinans quas decem intendit; in his casibus non consecrat, quia requiritur intentio. Secus si putans quidem esse decem, tamen omnes voluit consecrare quas coram se habebat; nam tunc omnes erunt consecratæ : atque ideo quilibet Sacerdos talem semper intentionem habere deberet, scilicet consecrandi eas omnes quas ante se ad consecrandum positas habet.

2. Si Sacerdos putans se tenere unam Hostiam, post consecrationem invenerit fuisse duas simul junctas, in sumptione sumat simul utramque. Quod si deprehendat post sumptionem Corporis et Sanguinis, aut etiam post ablutionem, reliquias aliquas relictas consecratas, eas

sumat, sive parvæ sint, sive magnæ, quia ad idem sacrificium spectant.

3. Si vero relicta sit Hostia integra consecrata, eam in tabernaculo cum aliis reponat : si hoc fieri nequit, sequenti Sacerdoti ibi celebraturo, in Altari supra Corporale decenter opertam, sumendam una cum altera quam est consecraturus, relinquat : vel si neutrum horum fieri possit, in ipso Calice seu Patena decenter conservet, quousque vel in Tabernaculo reponatur, vel ab altero sumatur ; quod si non habeat quomodo honeste conservetur, potest eam ipsemet sumere.

4. Si intentio non sit actualis in ipsa consecratione propter evagationem mentis, sed virtualis, cum accedens ad Altare intendat facere quod facit Ecclesia, conficitur Sacramentum, et sic curare debet Sacerdos, ut etiam actualem intentionem adhibeat.

VIII. *De defectibus dispositionis animæ.*

Si quis suspensus, excommunicatus, degradatus, irregularis, vel alias canonice impeditus, celebret, conficit quidem Sacramentum, sed gravissime peccat, tam propter Communionem, quam indigne sumit, quam propter executionem Ordinum, quæ sibi erat interdicta.

2. Si quis habens copiam Confessoris celebret in peccato mortali, graviter peccat.

3. Si quis autem in casu necessitatis, non habens copiam Confessoris, in peccato mortali absque contritione celebret, graviter peccat; secus si conteratur : debet tamen cum primum poterit, confiteri.

4. Si in ipsa celebratione Missæ, Sacerdos recordetur se esse in peccato mortali, conteratur cum proposito confitendi, et satisfaciendi.

5. Si recordetur se esse excommunicatum, vel suspensum, aut locum esse interdictum, similiter conteratur cum proposito petendi absolutionem. Ante consecratio-

nem autem in supradictis casibus, si non timetur scandalum, debet Missam incœptam deserere.

IX. *De defectibus dispositionis corporis.*

Si quis non est jejunus post mediam noctem, etiam post sumptionem solius aquæ, vel alterius potus aut cibi, per modum etiam medicinæ, et in quantumcumque parva quantitate, non potest communicare, nec celebrare.

2. Si autem ante mediam noctem cibum aut potum sumpserit, etiamsi postmodum non dormierit, nec sit digestus, non peccat : sed ob perturbationem mentis, ex qua devotio tollitur, consulitur aliquando abstinendum.

3. Si reliquiæ cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt Communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivæ. Idem dicendum, si lavando os, deglutiatur stilla aquæ præter intentionem.

4. Si plures Missas in una die celebret, ut in Nativitate Domini, in unaquaque Missa abluat digitos in aliquo vase mundo, et in ultima tantum percipiat purificationem.

5. Si præcesserit pollutio nocturna, quæ causata fuerit ex præcedenti cogitatione, quæ sit peccatum mortale, vel evenerit propter nimiam crapulam, abstinendum est a Communione et celebratione, nisi aliud Confessario videatur. Si dubium est, an in præcedenti cogitatione fuerit peccatum mortale, consulitur abstinendum, extra tamen casum necessitatis. Si autem certum est non fuisse in illa cogitatione peccatum mortale, vel nullam fuisse cogitationem, sed evenisse ex naturali causa, aut ex diabolica illusione, potest communicare et celebrare, nisi ex illa corporis commotione tanta evenerit perturbatio mentis, ut abstinendum videatur.

X. *De defectibus in ministerio ipso occurrentibus.*

Possunt etiam defectus occurrere in ministerio ipso, si aliquid ex requisitis ad illud desit : ut si celebretur in

loco non sacro, vel non deputato ab Episcopo, vel in Altari non consecrato, vel tribus mappis non cooperto; si non adsint luminaria cerea; si non sit tempus debitum celebrandi, quod est ab aurora usque ad meridiem, communiter; si Celebrans saltem Matutinum cum Laudibus non dixerit; si omittat aliquid ex vestibus Sacerdotalibus; si vestes Sacerdotales et mappæ non sint ab Episcopo, vel ab alio hanc habente potestatem benedictæ; si non adsit Clericus, vel alius deserviens in Missa, vel adsit qui deservire non debet, ut mulier; si non adsit Calix cum Patena conveniens, cujus cuppa debet esse aurea, vel argentea, vel stannea, non ærea vel vitrea; si Corporalia non sint munda, quæ debent esse ex lino, nec serico in medio ornata, et ab Episcopo vel ab alio hanc habente potestatem benedicta, ut etiam superius dictum est, si celebret capite cooperto sine dispensatione; si non adsit Missale, licet memoriter sciret Missam, quam intendit dicere.

2. Si Sacerdote celebrante violetur Ecclesia ante Canonem, dimittatur Missa; si post Canonem, non dimittatur. Si timeatur incursus hostium, vel alluvionis, vel ruina loci, ubi celebratur, ante consecrationem dimittatur Missa; post consecrationem vero Sacerdos accelerare poterit sumptionem Sacramenti, omissis omnibus aliis.

3. Si Sacerdos ante consecrationem graviter infirmetur vel in syncopem inciderit, aut moriatur, prætermittitur Missa; si post consecrationem Corporis tantum, ante consecrationem Sanguinis, vel utroque consecrato id accidit, Missa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco ubi ille desiit, et in casu necessitatis etiam per non jejunum; si autem non obierit, sed fuerit infirmus, adeo tamen ut possit communicare, et non adsit alia Hostia consecrata, Sacerdos qui Missam supplet, dividat Hostiam, et unam partem præbeat infirmo, aliam ipse sumat. Si autem semiprolata forma Corporis obiit Sacerdos, quia non est facta consecratio, non est necesse ut Missa per alium suppleatur.

Si vero obierit semiprolata forma Sanguinis, tunc alter prosequatur Missam, et super eumdem Calicem repetat integram formam, ab eo loco, *Simili modo postquam cœnatum est* : vel posset super alium Calicem præparatum integram formam proferre, et Hostiam primi Sacerdotis, et Sanguinem a se consecratum sumere, ac deinde Calicem relictum semiconsecratum.

4. Si quis extra hujusmodi casus necessitatis integra Sacramenta non sumpserit, gravissime peccat.

5. Si musca, vel aranea, vel aliquid aliud ceciderit in Calicem ante consecrationem, projiciat vinum in locum decentem, et aliud ponat in Calice, misceat parum aquæ, offerat ut supra, et prosequatur Missam : si post consecrationem ceciderit musca, aut aliquid ejusmodi, et fiat nausea Sacerdoti, extrahat eam, et lavet cum vino, finita Missa comburat, et combustio ac lotio hujusmodi in sacrarium projiciatur. Si autem non fuerit ei nausea, nec ullum periculum timeat, sumat cum Sanguine.

6. Si aliquid venenosum ceciderit in Calicem, vel quod provocaret vomitum, vinum consecratum reponendum est in alio Calice, et aliud vinum cum aqua apponendum denuo consecrandum; et finita Missa Sanguis repositus in panno lineo, vel stuppa tamdiu servetur, donec species vini fuerint desiccatæ, et tunc stuppa comburatur, et combustio in sacrarium projiciatur.

7. Si quid venenatum contigerit Hostiam consecratam, tunc alteram consecret, et sumat modo quo dictum est : et illa servetur in Tabernaculo loco separato, donec species corrumpantur, et corruptæ deinde mittantur in sacrarium.

8. Si sumendo Sanguinem, particula remanserit in Calice, digito ad labium Calicis eam adducat, et sumat ante purificationem, vel infundat vinum, et sumat.

9. Si Hostia ante consecrationem inveniatur fracta, nisi populo evidenter appareat, talis Hostia consecretur : si autem scandalum populo esse possit, alia accipiatur, et

offeratur : quod si illius Hostiæ jam erat facta oblatio, eam post ablutionem sumat. Quod si ante oblationem Hostia appareat confracta, accipiatur altera integra, si citra scandalum, aut longam moram fieri poterit.

10. Si propter frigus, vel negligentiam, Hostia consecrata dilabatur in Calicem, propterea nihil est reiterandum; sed Sacerdos Missam prosequatur, faciendo cæremonias et signa consueta cum residua parte Hostiæ, quæ non est madefacta Sanguine, si commode potest. Si vero tota fuerit madefacta, non extrahat eam, sed omnia dicat omittendo signa, et sumat pariter Corpus et Sanguinem, signans se cum Calice, et dicens : *Corpus et Sanguis Domini nostri*, etc.

11. Si in hieme Sanguis congeletur in Calice, involvatur Calix pannis calefactis : si id non proficeret, ponatur in ferventi aqua prope Altare, dummodo in Calicem non intret, donec liquefiat.

12. Si per negligentiam aliquid de Sanguine Christi ceciderit, si quidem super terram, seu super tabulam, lingua lambatur, et locus ipse radatur quantum satis est, et abrasio comburatur; cinis vero in sacrarium recondatur. Si vero super lapidem Altaris ceciderit, sorbeat Sacerdos stillam, et locus bene abluatur, et ablutio in sacrarium projiciatur. Si super linteum Altaris, et ad aliud linteum stilla pervenerit; si usque ad tertium, linteamina ter abluantur ubi stilla ceciderit, Calice supposito, et aqua ablutionis in sacrarium projiciatur. Quod si in ipso solum Corporali, aut si in vestibus ipsis sacerdotalibus ceciderit, debet similiter ablui, et ablutio in sacrarium projici. Si in substrato pedibus panno, vel tapete, bene abluatur, ut supra.

13. At si contingat totum Sanguinem post consecrationem effundi, si quidem aliquid vel parum remansit, illud sumatur, et de effuso reliquo Sanguine fiat ut dictum est. Si vero nihil omnino remansit, ponat iterum vinum et

aquam, et consecret ab eo loco *Simili modo postquam cœnatum est*, facta prius tamen Calicis oblatione ut supra.

14. Si Sacerdos evomat Eucharistiam, si species integræ appareant, reverenter sumantur, nisi nausea fiat; tunc enim species consecratæ caute separentur, et in aliquo loco sacro reponantur, donec corrumpantur, et postea in sacrarium projiciantur. Quod si species non appareant, comburatur vomitus, et cineres in sacrarium mittantur.

15. Si Hostia consecrata, vel aliqua ejus particula dilabatur in terram, reverenter accipiatur, et locus ubi cecidit, mundetur, et aliquantulum abradatur, et pulvis seu abrasio hujusmodi in sacrarium immittatur. Si ceciderit extra Corporale in mappam, seu alio quovis modo in aliquod linteum, mappa vel linteum hujusmodi diligenter lavetur, et lotio ipsa in sacrarium effundatur.

16. Possunt etiam defectus in ministerio ipso occurrere, si Sacerdos ignoret ritus et cæremonias ipsas in eo servandas : de quibus omnibus in superioribus Rubricis copiose dictum est.

ORATIONES

DICENDÆ CUM SACERDOS INDUITUR SACERDOTALIBUS PARAMENTIS.

Cum lavat manus, dicat :

Da Domine virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam : ut sine pollutione mentis et corporis valeam tibi servire.

Ad Amictum, dum ponitur super caput, dicat :

Impone Domine capiti meo galeam salutis, ad expugnandos diabolicos incursus.

Ad Albam, cum ea induitur.

DEALBA me Domine, et munda cor meum : ut in Sanguine Agni dealbatus, gaudiis perfruar sempiternis.

Ad Cingulum, dum se cingit.

PRÆCINGE me Domine cingulo puritatis, et extingue in lumbis meis humorem libidinis : ut maneat in me virtutis continentiæ et castitatis.

Ad Manipulum, dum imponitur brachio sinistro.

MEREAR Domine portare manipulum fletus et doloris : ut cum exultatione recipiam mercedem laboris.

Ad Stolam, dum imponitur collo.

REDDE mihi Domine stolam immortalitatis, quam perdidi in prævaricatione primi parentis : et quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.

Ad Casulam, cum assumitur.

DOMINE, qui dixisti : Jugum meum suave est, et onus meum leve : fac ut istud portare sic valeam, quod consequar tuam gratiam. Amen.

SECTIO ALTERA.

RUBRICÆ SPECIALES E CORPORE MISSALIS EXCERPTÆ.

EX PROPRIO DE TEMPORE.

IN NATIVITATE DOMINI.

Sacerdos, quoniam in die Natalis Domini celebrat tres Missas, in prima et secunda Missa non sumat purificationem; sed in tertia Missa tantum : et in prima et secunda abluat digitos in aliquo vase mundo.

Debet Sacerdos etiam ante sequentes Missas Confessionem dicere, et in fine cujuslibet, populo benedicere, et Evangelium S. Joannis, *In principio erat Verbum*, etc. legere.

Post tertiam vero Missam, loco prædicti Evangelii, dicitur Evangelium, *Cum natus esset Jesus in Bethlehem*, etc., quod habetur in die Epiphaniæ.

POST OCTAVAM EPIPHANIÆ.

Si tempus breve fuerit ab Octava Epiphaniæ usque ad Septuagesimam, ita ut Officia sequentium Dominicarum non possint expleri suis diebus, Officia illarum quæ supersunt post Dominicam II post Epiphaniam, eo anno omittuntur, et resumuntur (quoad Orationem, Epistolam, et Evangelium duntaxat) post Dominicam XXIII post Pentecosten, ut ibi dicitur in Rubrica.

Si Dominica Septuagesimæ venerit sequenti Dominica post Octavam Epiphaniæ, in præcedenti Sabbato, si non est impeditum Festo Semiduplici, dicitur Missa de Dominica II post Epiphaniam, cum Commemoratione Festi Simplicis, si in eo occurrat. Si vero Sabbatum fuerit impeditum Festo Semiduplici, tunc prima die post Octavam Epi-

phaniæ, in qua non sit Festum Duplex, dicitur Missa de Dominica II, et Festum Semiduplex in ea occurrens, transfertur in primam diem similiter non impeditam.

FERIA IV CINERUM.

Ante Missam benedicuntur Cineres facti de ramis olivarum, sive aliarum arborum, præcedenti anno benedictis, hoc modo.

Finita Nona, Sacerdos, indutus pluviali violaceo, vel sine casula, cum ministris similiter indutis, procedit ad benedicendum Cineres in vase aliquo super Altare positos. Et primo cantatur a Choro Antiphona, *Exaudi nos*.

Deinde Sacerdos in cornu Epistolæ, non vertens se ad populum, manibus junctis (quod servatur etiam in Orationibus omnium benedictionum quoad manus junctas) dicit *Orationes, ut in Missali*.

Postea Celebrans, imposito incenso in thuribulo, ter aspergit Cineres aqua benedicta, dicendo Antiphonam *Asperges*, sine Cantu et sine Psalmo, et ter adolet incenso. Deinde dignior Sacerdos ex Clero accedens ad Altare, imponit Cinerem Celebranti non genuflexo. Si vero non adsit alius Sacerdos, ipsemet Celebrans, genibus flexis coram Altari, sibi ipsi Cineres imponit in capite, nihil dicens : et cantatur statim a Choro Antiphona *Immutemur, cum aliis in Missali positis*.

Sacerdos vero, dum cantantur Antiphonæ et Responsorium, detecto capite, primo imponit Cineres digniori Sacerdoti, a quo ipse accepit, deinde Ministris paratis, genibus flexis coram Altari, dicens : *Memento homo, quia pulvis es, et in pulverem reverteris*.

Postea veniunt alii, primo Clerus per ordinem, deinde populus : et genibus flexis ante Altare, singulatim recipiunt Cineres a Sacerdote, ut dictum est de Ministris.

Completa Cinerum impositione, Sacerdos dicit Orationem *Concede*. Deinde dicitur Missa.

DOMINICA IN PALMIS.

COMPLETA Tertia, et facta aspersione aquæ more solito, Sacerdos indutus pluviali violaceo, vel sine casula, cum Ministris similiter indutis, procedit ad benedicendum ramos palmarum, et olivarum, sive aliarum arborum, in medio ante Altare, vel ad cornu Epistolæ positos. Et primo cantatur a Choro Antiphona *Hosanna*.

Deinde Sacerdos stans in cornu Epistolæ, non vertens se ad populum, dicit, in tono Orationis Missæ ferialis, Orationem *Deus quem diligere*.

Postea Subdiaconus in loco solito cantat Lectionem *Venerunt* in tono Epistolæ, et in fine osculatur manum Sacerdotis.

Interim, dum cantatur ℟. Diaconus ponit librum Evangeliorum super Altare : et Sacerdos, ministrante Diacono naviculam, ponit incensum in thuribulo. Deinde Diaconus dicit *Munda cor meum*, accipit librum de Altari, petit benedictionem a Sacerdote : postea Subdiacono librum tenente, medius inter duos Acolythos tenentes candelabra accensa, signat librum, incensat, et cantat Evangelium, ut infra, more consueto : quo finito, Subdiaconus defert librum osculandum Sacerdoti, qui et incensatur a Diacono.

Post hæc benedicuntur rami, *ut in Missali*.

Post Orationem *Benedic*, Celebrans ponit incensum in thuribulum, deinde ter aspergit ramos aqua benedicta, dicendo Antiphonam *Asperges me*, sine cantu et sine Psalmo, et ter adolet incenso. Postea dicit Orationem *Deus qui Filium*.

Completa benedictione, dignior ex Clero accedit ad Altare, et dat ramum benedictum Celebranti, qui non genuflectit, nec osculatur manum dantis. Postea Celebrans, stans ante Altare versus ad populum distribuit ramos, primum digniori, a quo ipse accepit, deinde Diacono et Subdiacono paratis, et aliis Clericis singula-

tim per ordinem, ultimo laicis : omnibus genuflectentibus, et ramum, ac manum Celebrantis osculantibus, exceptis Prælatis, si adsint. Et cum incœperit distribuere, a Choro cantantur Antiphonæ, *ut in Missali.*

Quæ si non sufficiant, repetantur, quousque ramorum distributio finiatur.

Deinde Sacerdos dicit Orationem *Omnipotens.*

Postea fit Processio. Et primo Celebrans imponit incensum in thuribulum. Et Diaconus vertens se ad populum, dicit : *Procedamus in pace.*

Et Chorus respondet : *In nomine Christi. Amen.*

Præcedit thuriferarius cum thuribulo fumigante : deinde Subdiaconus paratus, deferens Crucem, medius inter duos Acolythos cum candelabris accensis : sequitur Clerus per ordinem ; ultimo Celebrans cum Diacono a sinistris, omnes cum ramis in manibus : et cantantur Antiphonæ *ut in Missali* (*aut Rituali*), vel omnes, vel aliquæ, quousque durat Processio.

In reversione Processionis, duo vel quatuor cantores intrant in Ecclesiam, et clauso ostio, stantes versa facie ad Processionem, incipiunt ℣. *Gloria, laus :* et decantant duos primos versus. Sacerdos vero cum aliis extra Ecclesiam, repetit eosdem. Deinde, qui sunt intus cantant alios versus sequentes, vel omnes, vel partem, prout videbitur : et qui sunt extra, ad quoslibet duos versus respondent : *Gloria, laus*, sicut a principio ℣.

Postea Subdiaconus hastili Crucis percutit portam : qua statim aperta, Processio intrat in Ecclesiam, cantando ℟. *Ingrediente*, et non dicitur *Gloria Patri.*

Deinde celebratur Missa, et rami tenentur in manibus dum cantatur Passio et Evangelium tantum.

Passio Domini incipitur absolute : non dicitur *Munda cor meum*, non petitur benedictio, non deferuntur luminaria, nec incensum : non dicitur *Dominus vobiscum*, nec respondetur *Gloria tibi, Domine*, et Celebrans, seu Diaco-

nus, dum pronuntiat *Passio Domini nostri*, non signat librum, neque seipsum. Quod et in aliis diebus servatur, quando legitur Passio.

Ad verba *emisit spiritum*, genuflectitur, et pausatur aliquantulum.

Dicto *sedentes contra sepulchrum*, dicitur *Munda cor meum*, petitur benedictio, defertur incensum sine luminaribus, et incensatur liber : non dicitur *Dominus vobiscum*, et Celebrans, aut Diaconus, non signat librum, neque seipsum : et quod sequitur, cantatur in tono Evangelii : in cujus fine Celebrans osculatur librum, et incensatur. Quæ omnia et in aliis Passionibus servantur præterquam Feria sexta in Parasceve.

In Missis privatis legitur in fine Evangelium, *Cum appropinquasset*, ut in benedictione Palmarum.

FERIA QUINTA IN CŒNA DOMINI.

Hodie Sacerdos consecrat duas Hostias, quarum unam sumit, alteram reservat pro die sequenti, in quo non conficitur Sacramentum : reservat etiam aliquas particulas consecratas, si opus fuerit, pro infirmis : Sanguinem vero totum sumit : et ante ablutionem digitorum ponit Hostiam reservatam in alio Calice, quem Diaconus palla et patena cooperit, et desuper velum expandit, et in medio Altaris collocat. Deinde fit Communio, et completur Missa. Sacerdos autem genuflectit, quandocumque accedit, vel recedit a medio Altaris, vel transit ante Sacramentum in Calice reservatum : et cum dicere debet *Dominus vobiscum*, non vertit se ad populum in medio Altaris, ne terga vertat Sacramento, sed a latere Evangelii : et in fine ibidem dat benedictionem, et non perficit circulum.

Dicitur *Ite, Missa est*, et datur benedictio, et legitur Evangelium sancti Joannis, in cujus initio Sacerdos non signat Altare, sed seipsum tantum.

Hodie paretur locus aptus in aliqua Capella Ecclesiæ, vel

Altari, et decenter quoad fieri potest ornetur cum velis et luminibus : ubi Calix cum Hostia, ut supra reservata, reponatur. Finita autem Missa, accenduntur intorticia, et fit Processio more solito, alio tamen Subdiacono parato Crucem ferente. Celebrans indutus pluviali albo, stans ante Altare, imponit incensum in duobus thuribulis absque benedictione : deinde in medio genuflexus, cum altero incensat ter Sacramentum : et accepto Calice cum Sacramento de manu Diaconi stantis, et cooperto extremitatibus veli, quo ejus humeri teguntur, procedit medius inter eumdem Diaconum a dextris, et Subdiaconum a sinistris sub baldachino duobus Acolythis Sacramentum continue incensantibus usque ad locum præparatum, ubi pro crastino servandum est. Interea dum fit Processio, cantatur Hymnus *Pange lingua gloriosi Corporis mysterium*. Cum autem perventum fuerit ad locum paratum, Diaconus genuflexus a Sacerdote stante accipit Calicem cum Sacramento et ponit illum primo super Altare, ubi a Sacerdote genuflexo incensatur ut supra, deinde reponit in capsula. Postea in Choro dicuntur Vesperæ sine cantu. Et Sacerdos cum Ministris denudat Altaria, legendo Antiphonam. Ps. 21. *Diviserunt sibi vestimenta mea : et super vestem meam miserunt sortem*, cum toto Psalmo *Deus*, *Deus meus*, *respice in me*.

Post denudationem Altarium, hora competenti facto signo cum tabula, conveniunt Clerici ad faciendum mandatum. Prælatus, seu Superior, super amictu, et alba induitur stola, et pluviali violaceis, et in loco ad id deputato, ministrante Diacono (qui paratus cum Subdiacono, ut in Missa paramentis albis, ei assistit), imponit incensum in thuribulo : deinde Diaconus librum Evangeliorum ante pectus tenens, genuflexus ante Superiorem, petit benedictionem : qua accepta, astantibus duobus Acolythis cum candelabris accensis, et Subdiacono librum tenente, signat librum, ut incensat, et cantat, ut moris est,

Evangelium *Ante diem Festum Paschæ,* ut in Missa. Quo finito, Subdiaconus portat librum apertum osculandum Superiori, et Diaconus eum de more incensat. Postea Superior exuitur pluviali, et per Diaconum etSubdiaconum præcingitur linteo, et sic præcinctus, assistentibus sibi iisdem Diacono et Subdiacono, accedit ad lotionem pedum; et per ordinem dispositis iis qui lavandi sunt, Clericis pelvim et aquam ministrantibus, Subdiacono singulorum pedem dextrum tenente, genuflectens singulis, illorum pedem lavat, extergit, et osculatur, Diacono præbente linteum ad abstergendum. Et interim *subscriptæ in Missali* Antiphonæ cantantur.

Post lotionem, Superior, vel qui aliis abluit pedes, lavat manus, et abstergit alio linteo : deinde, rediens ad locum ubi prius fuerat, accipit pluviale, et stans capite detecto, dicit : *Pater noster*, secreto, cum ℣. et Oratione *ut in Missali*.

FERIA SEXTA IN PARASCEVE.

Finita Nona, Sacerdos et Ministri, induti paramentis nigri coloris, sine luminaribus et incenso procedunt ad Altare : et ante illud prostrati aliquandiu orant. Interim Acolythi unam tantum tobaleam extendunt super Altare. Sacerdos cum Ministris, facta oratione, ascendit ad Altare, et osculatur illud in medio : deinde Lector accedit ad legendum Prophetiam in loco ubi legitur Epistola, et incipit eam sine titulo : quam etiam Sacerdos legit submissa voce apud Altare in cornu Epistolæ.

Finito Tractu, Sacerdos in cornu Epistolæ dicit *Oremus*. Diaconus, *Flectamus genua*, et Subdiaconus, *Levate*. Deinde Sacerdos, Orationem *Deus a quo*.

Subdiaconus in tono Epistolæ, similiter sine titulo cantat Lectionem *In diebus illis.*

Finito Tractu, dicitur Passio super nudum pulpitum : quam Celebrans submissa voce legit in cornu Epistolæ.

Ad verba *Tradidit spiritum*, genuflectitur, et pausatur aliquantulum.

Post *Videbunt in quem transfixerunt*, quæ sequuntur leguntur in tono Evangelii, et dicitur *Munda cor meum*, sed non petitur benedictio, et non deferuntur luminaria, neque incensum, et Celebrans in fine non osculatur librum.

Finita Passione, Sacerdos, stans in cornu Epistolæ, incipit absolute, junctis manibus, *Oremus, dilectissimi*, et in tono feriali Orationum Missæ, extensis manibus, Orationes.

Hic modus servetur in subsequentibus monitionibus et orationibus.

Post *Oremus pro Judæis* non respondetur Amen, sed statim dicitur Oratio.

Completis Orationibus, Sacerdos, deposita casula, accedit ad cornu Epistolæ, et ibi in posteriori parte anguli Altaris accipit a Diacono Crucem jam in Altari præparatam: quam, versa facie ad populum, a summitate parum discooperit, incipiens solus Antiphonam *Ecce lig um Crucis*, ac deinceps in reliquis juvatur in cantu a Ministris usque ad *Venite adoremus*. Choro autem cantante *Venite adoremus*, omnes se prosternunt, excepto Celebrante. Deinde procedit ad anteriorem partem anguli ejusdem cornu Epistolæ : et discooperiens brachium dextrum Crucis, elevansque eam paulisper, altius quam primo, incipit *Ecce lignum Crucis*, aliis cantantibus et adorantibus, ut supra. Deinde Sacerdos procedit ad medium Altaris : et discooperiens Crucem totaliter, ac elevans eam, tertio altius incipit *Ecce lignum Crucis*, aliis cantantibus et adorantibus, ut supra.

Postea Sacerdos solus portat Crucem ad locum ante Altare præparatum, et genuflexus ibidem eam locat : mox depositis calceamentis, accedit ad adorandam Crucem, ter genua flectens antequam eam deosculetur. Hoc facto, re-

vertitur, et accipit calceamenta, et casulam. Postmodum ministri Altaris, deinde alii Clerici et laici, bini et bini, ter genibus flexis, ut dictum est, Crucem adorant. Interim, dum fit adoratio Crucis, cantantur improperia, et alia quæ sequuntur, vel omnia, vel pars eorum, prout multitudo adorantium vel paucitas requirit, hoc modo.

Duo Cantores in medio chori cantant ℣. *Popule meus*, usque ad *Agios o Theos*.

Unus Chorus cantat *Agios o Theos*.

Alius Chorus respondet *Sanctus Deus*.

Primus Chorus : *Agios ischyros*.

Secundus Chorus : *Sanctus fortis*.

Primus Chorus : *Agios athanatos, eleison imas*.

Secundus Chorus : *Sanctus immortalis, miserere nobis*.

Postea duo de secundo Choro cantant ℟. *Quia eduxi te*.

Chori respondent alternatim *Agios o Theos*, etc., *Sanctus Deus*, etc.; ita tamen ut primus Chorus semper repetat *Agios*.

Deinde duo de primo Choro cantant ℣. *Quid ultra*.

Item Chori alternatim respondent *Agios o Theos*, etc., *Sanctus Deus*, etc.

¶ Versus sequentis improperii a duobus Cantoribus alternatim cantantur, utroque Choro simul repetente post quemlibet versum : *Popule meus*, usque ad *Quia eduxi te de terra Ægypti*.

Duo de secundo Choro cantant ℣. *Ego propter te*.

Chorus repetit *Popule meus*.

Duo de primo Choro : ℣. *Ego eduxi te*.

Chorus : *Popule meus*.

Duo de secundo Choro : ℣. *Ego ante te*.

Chorus : *Popule meus*.

Duo de primo Choro : ℣. *Ego ante te*.

Chorus : *Popule meus*.

Duo de secundo Choro : ℣. *Ego te pavi*.

Chorus : *Popule meus.*
Duo de primo Choro : ℣. *Ego te potavi.*
Duo de secundo Choro : ℣. *Ego propter te.*
Chorus : *Popule meus.*
Duo de primo Choro : ℣. *Ego dedi tibi.*
Chorus : *Popule meus.*
Duo de secundo Choro : ℣. *Ego te exaltavi.*
Chorus : *Popule meus.*

Deinde cantatur communiter Antiphona *Crucem tuam adoramus* cum Ps. et repetitur.

Postea cantatur ℣. *Crux fidelis*, cum Hymno, *Pange lingua gloriosi* : et post quemlibet ejus Versum repetitur *Crux fidelis*, vel *Dulce lignum*, eo modo qui *in Missali* notatur, scilicet alternatim, ita ut ℣. *Crux fidelis*, quoties repetitur, cantetur usque ad *Dulce lignum*, exclusive.

¶ Circa finem adorationis Crucis accenduntur candelæ super Altare : et Diaconus, accipiens bursam corporalium, extendit corporale more solito, et juxta illud ponit purificatorium : et finita adoratione, Crucem reverenter accipit, et reportat ad Altare. Postea ordinatur Processio ad locum, ubi pridie Sacramentum repositum fuerat. Præcedit Subdiaconus cum Cruce inter duos Acolythos deferentes candelabra cum cereis accensis, et Clerus per ordinem, ultimus Sacerdos cum ministris. Cum perventum fuerit ad locum Sacramenti, accenduntur intorticia, quæ non extinguuntur nisi post sumptionem Sacramenti : et Sacerdos genuflectit ante Sacramentum, orat aliquantulum : Diaconus interim aperit capsulam, in qua reconditum est Corpus Domini. Postea Sacerdos surgens, absque benedictione, imponit incensum in duobus thuribulis, Diacono naviculam ministrante, et genuflexus incensat Sacramentum. Tum Diaconus, extrahens Calicem cum Sacramento de capsula, dat ad manus Sacerdotis, et tegit extremitatibus veli, quod humeros illius circumdat : et procedunt ordine quo venerunt. Defertur baldachinum super Sacra-

mentum, et duo Acolythi cum thuribulis continue Sacramentum incensant. Interim cantatur Hymnus *Vexilla Regis prodeunt*.

Cum venerit Sacerdos ad Altare, posito super illud Calice, genuflexus rursum incensat : et accedens deponit Hostiam ex Calice super patenam, quam Diaconus tenet : et, accipiens patenam de manu Diaconi, Hostiam sacram ponit super corporale, nihil dicens. Si tetigerit Sacramentum, digitos abluat in aliquo vase. Interim Diaconus imponit vinum in Calicem, et Subdiaconus aquam, quam Sacerdos non benedicit, nec dicit super eam Orationem consuetam : sed accipiens Calicem a Diacono, ponit super Altare, nihil dicens, et Diaconus illum cooperit palla : deinde imponit incensum in thuribulo absque benedictione, et incensat oblata et Altare more solito, genuflectens ante et post, et quandocumque transit ante Sacramentum.

Cum incensat oblata, dicit : *Incensum istud*, etc.

Cum incensat Altare, dicit : *Dirigatur Domine*, etc.

Quando reddit thuribulum Diacono, dicit : *Accendat in nobis*, etc.

Et ipse non incensatur.

Postea, aliquantulum extra Altare, in cornu Epistolæ lavat manus, nihil dicens : deinde in medio Altaris inclinatus, junctis manibus dicit : *In spiritu humilitatis*, etc.

Deinde, versus ad populum in cornu Evangelii, dicit more solito : *Orate, fratres*, etc.

Et per eamdem viam revertitur, non perficiens circulum : et, consequenter omissis aliis, dicit : *Oremus præceptis... Pater noster...*

Sacerdos, sub silentio dicto *Amen*, eadem voce qua dixit *Pater noster*, absolute sine *Oremus*, in tono Orationis Missæ ferialis, dicit : *Libera nos*, etc.

¶ Tunc Celebrans, facta reverentia usque ad terram, supponit patenam Sacramento, quod in dextera accipiens, elevat ut videri possit a populo : et statim supra Calicem

dividit in tres partes, quarum ultimam mittit in Calicem, more solito, nihil dicens. *Pax Domini* non dicitur, nec *Agnus Dei*, neque pacis osculum datur. Postmodum, prætermissis duabus primis Orationibus, dicit tantum sequentem : *Perceptio*, etc.

Tum genuflectit, et accipit patenam cum Corpore Christi, et maxima humilitate ac reverentia dicit : *Panem cœlestem accipiam, et nomen Domini invocabo.*

Percutit pectus suum ter, dicens : *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.*

Postea signat se Sacramento, dicens : *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam. Amen.*

Et sumit Corpus reverenter.

Deinde, omissis omnibus quæ dici solent ante sumptionem Sanguinis, immediate particulam Hostiæ cum vino reverenter sumit de Calice. Et more solito facta ablutione digitorum, et sumpta purificatione, in medio Altaris inclinatus, manibus junctis, dicit : *Quod ore sumpsimus, Domine, pura mente capiamus, et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.*

Non dicitur *Corpus tuum, Domine,* nec Postcommunio, nec *Placeat tibi*, nec datur benedictio : sed, facta reverentia Altari, Sacerdos cum ministris discedit. Et dicuntur Vesperæ sine cantu, et denudatur Altare.

SABBATO SANCTO.

Hora competenti cooperiuntur Altaria, et dicuntur Horæ, candelis Altaris extinctis usque ad principium Missæ. Interim excutitur ignis de lapide foris Ecclesiam, et ex eo accenduntur carbones.

Dicta Nona, Sacerdos indutus amictu, alba, cingulo, stola, et pluviali violaceo, vel sine casula, astantibus sibi Ministris, cum Cruce, aqua benedicta, et incenso, ante

portam Ecclesiæ, si commode potest, vel in ipso aditu Ecclesiæ, benedicit novum ignem, dicens : *Dominus vobiscum*, et Orationes, *ut in Missali.*

Deinde benedicit quinque grana incensi ponenda in Cereo, dicens absolute Orationem : *Veniat, quæsumus.*

Dum benedicit grana incensi, Acolythus assumens de carbonibus benedictis ponit in thuribulo : et finita Oratione supradicta, Sacerdos de navicula ponit incensum in thuribulo, benedicens illud more solito : deinde prædicta grana incensi, et ignem ter aspergit aqua benedicta dicens: *Asperges me, Domine,* sine cantu, et sine Psalmo ; et ter adolet incenso.

Interim omnia luminaria Ecclesiæ extinguuntur, ut de igne benedicto postmodum accendantur. Tum Diaconus indutus dalmatica albi coloris, accipit arundinem cum tribus candelis in summitate illius triangulo distinctis. Præcedit Thuriferarius cum Acolytho deferente in vase quinque grana incensi : sequitur Subdiaconus cum Cruce, et Clerus per ordinem : deinde Diaconus cum arundine : post eum Celebrans. Cum Diaconus ingressus est Ecclesiam, inclinat arundinem, et Acolythus deferens candelam accensam de novo igne, accendit unam ex illis tribus candelis desuper positis : et Diaconus, elevans arundinem, genuflectit, similiter et omnes alii cum eo, præter Subdiaconum Crucem ferentem, et cantat solus : *Lumen Christi.* ℟. *Deo gratias.*

Et procedens ad medium Ecclesiæ, ibi accenditur alia candela : et iterum genuflexus, ut supra, alius cantat : *Lumen Christi.* ℟. *Deo gratias.*

Tertio procedit ante Altare, ubi accenditur tertia candela : et rursum genuflexus, ut prius, adhuc altius dicit : *Lumen Christi.* ℟. *Deo gratias.*

Deinde Celebrans ascendit ad Altare in cornu Epistolæ, et Diaconus dat arundinem uni Acolytho : et accipiens librum, petit a Celebrante benedictionem, ut fit ad Evan-

gelium, Sacerdote dicente : *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut digne et competenter annunties suum Paschale præconium; In nomine Patris, et Filii ✠ et Spiritus sancti. Amen.*

Postea vadit ad pulpitum, et ponit super eo librum, et incensat. A dextris Diaconi stent Subdiaconus cum Cruce, et Thuriferarius : a sinistris, duo Acolythi, ille qui tenet arundinem, et alius tenens in vase quinque grana incensi benedicti figenda in Cereo. Tunc surgentibus omnibus, et stantibus, ut fit ad Evangelium, Diaconus cantat : *Exultet*, etc.

Post verba *Curvat imperia*, Diaconus infigit quinque grana incensi benedicti in Cereo in modum Crucis, hoc ordine :

1
4 2 5
3

Post *Rutilans ignis accendit*, Diaconus accendit Cereum cum una ex tribus candelis in arundine positis.

Dicto *Apis mater eduxit*, accenduntur lampades.

Completa benedictione Cerei, Diaconus, depositis albis, sumit violacea paramenta, et vadit ad Celebrantem, qui exuitur pluviali, et sumit manipulum, et casulam violacei coloris. Postea leguntur Prophetiæ sine titulo, et Celebrans legit eas submissa voce ad Altare in cornu Epistolæ. In fine Prophetiarum dicuntur Orationes modo *in Missali* descripto. Ante, vel interim dum Prophetiæ leguntur, Presbyteri catechizent catechumenos baptizandos, et præparent ad baptismum.

His expletis, si Ecclesia habuerit Fontem Baptismalem, Sacerdos benedicturus Fontem, accipit pluviale violaceum, et, præcedente Cruce, cum candelabris et Cereo benedicto accenso, descendit cum Clero et Ministris paratis ad Fontem : et interim cantatur Tractus *Sicut Cervus*.

Deinde Sacerdos, antequam intret ad benedictionem

Fontis, dicit juxta Fontem Orationem *Omnipotens... respice.*

Postea procedit ad benedictionem Fontis, dicens Orationem *Omnipotens... adesto.*

Elevans vocem in modum Præfationis, prosequitur : *Per omnia*, etc.

Dicto *Gratiam de Spiritu sancto*, Sacerdos manu extensa dividit aquam in modum Crucis, et eam statim linteo extergit, dicens : *Qui hanc aquam*, etc.

Postquam dixerit *Non inficiendo corrumpat*, Aquam manu tangit.

Post *Indulgentiam consequantur*, facit tres Cruces super Fontem, dicens : *Unde benedico te*, etc.

Dicto *Spiritus super te ferebatur*, manu aquam dividit et effundit eam versus quatuor mundi partes, dicens : *Qui te de Paradisi*, etc.

Dicto *In nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti*, mutat vocem, et prosequitur in tono Lectionis : *Hæc nobis præcepta servantibus, tu Deus omnipotens, clemens adesto; tu benignus aspira.*

Halat ter in aquam in modum Crucis, dicens : *Tu has simplices aquas tuo ore benedicto; ut præter naturalem emundationem, quam lavandis possunt adhibere corporibus, sint etiam purificandis mentibus efficaces.*

Hic Sacerdos paululum demittit Cereum in aquam : et resumens tonum Præfationis, dicit : *Descendat in hanc plenitudinem fontis, virtus Spiritus sancti.*

Deinde extractum Cereum de aqua, iterum profundius mergit, aliquantulo altius repetens *Descendat in hanc.* Postea Cereum rursus de aqua extractum, tertio immergens usque ad fundum, altiori adhuc voce repetit *Descendat*, ut supra. Et deinde, sufflans ter in aquam, secundum hanc figuram Ψ prosequitur : *Totamque hujus aquæ substantiam regenerandi fœcundet effectu.*

Hic tollitur Cereus de aqua, et prosequitur : *Hic*

omnium peccatorum, etc. Dicit legendo : *Per Dominum.* ℟. *Amen.*

Deinde per assistentes Sacerdotes spargitur de ipsa aqua benedicta super populum. Et interim unus ex ministris Ecclesiæ accipit in vase aliquo de eadem aqua ad aspergendum in domibus, et aliis locis. His peractis, Sacerdos qui benedicit Fontem, infundit de Oleo Catechumenorum in aquam in modum Crucis, intelligibili voce dicens : *Sanctificetur, et fœcundetur fons iste oleo salutis renascentibus ex eo : in vitam æternam.* ℟. *Amen.*

Deinde infundit de Chrismate modo quo supra, dicens : *Infusio Chrismatis Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus sancti Paracliti, fiat in nomine sanctæ Trinitatis.* ℟. *Amen.*

Postea accipit ambas Ampullas dicti Olei sancti, et Chrismatis, et de utroque simul in modum Crucis infundendo, dicit : *Commixtio Chrismatis sanctificationis, et Olei unctionis, et aquæ baptismatis, pariter fiat, in nomine Pa- ✠ tris, et Fi- ✠ lii, et Spiritus ✠ sancti.* ℟. *Amen.*

Tunc miscet ipsum Oleum cum aqua, et spargit manu sua per omnem Fontem. Si aderunt baptizandi, eos baptizat more consueto. Deinde revertentibus Sacerdote, et ministris ad Altare, cantantur Litaniæ a duobus Clericis, et Chorus idem simul repetit, ut dicitur infra.

Ubi vero non est Fons baptismatis, finita ultima Prophetia cum sua Oratione, Celebrans casulam deponit, et cum ministris ante Altare procumbit : et aliis omnibus genuflexis, cantantur Litaniæ in medio Chori a duobus cantoribus, utroque Choro idem simul respondente. Cum autem perventum fuerit ad ℣. *Peccatores, te rogamus*, Sacerdos, et ministri surgunt, et accedentes ad Sacristiam induuntur paramentis albi coloris pro Missa solemniter celebranda, et interim accenduntur luminaria in Altari. In fine Litaniarum cantantur solemniter *Kyrie eleison*, et repetuntur ut in Missa moris est.

Interim Sacerdos cum ministris in paramentis albis accedit ad Altare, et dicto Psalmo *Judica me Deus*, cum *Gloria Patri*, facit confessionem, ut moris est, in loco consueto : deinde ascendens, osculatur Altare, incensat more solito, et finitis a Choro *Kyrie eleison* incipit solemniter, *Gloria in excelsis*, et pulsantur campanæ.

Finita Epistola, Celebrans incipit *Alleluia*, et totum decantat ter, elevando vocem gradatim : et Chorus post quamlibet vocem, in eodem tono repetit illud idem. Postea Chorus prosequitur ℣. *Confitemini*.

Deinde dicitur Tractus *Laudate*. Ad Evangelium non portantur luminaria, sed tantum incensum : petitur benedictio, et alia fiunt de more.

Non dicitur *Credo*, sed finito Evangelio Sacerdos dicit : *Dominus vobiscum*. Postea, *Oremus*. Non dicitur Offertorium. Ad *Lavabo*, dicitur *Gloria Patri*.

Præfatio. *Te quidem Domine*... *Communicantes*... *Hanc igitur*, ut in Missali. Dicitur *Pax Domini sit semper vobiscum*, sed pacis osculum non datur. *Agnus Dei* non dicitur, nec Postcommunio : dicuntur tamen tres consuetæ Orationes ante Communionem.

Post sumptionem Sacramenti, pro Vesperis in Choro cantatur Antiphona *Alleluia, alleluia, alleluia*.

Psalmus *Laudate*... *Gloria*..., Capitulum, Hymnus, et Versus non dicuntur, sed statim Celebrans in cantu incipit Ant. ad *Magnificat*, *Vespere autem Sabbati*, et prosequitur Chorus, *Quæ lucescit*, etc.

Deinde cantatur *Magnificat*, cum *Gloria Patri* in fine, et fit incensatio, ut alias in Vesperis.

Repetita Antiphona, Celebrans dicit : *Dominus vobiscum*, et Orationem *Spiritum*.

Deinde dicit : *Dominus vobiscum*, et Diaconus vertens se ad populum, cantat : *Ite missa est, alleluia, alleluia*. ℟. *Deo gratias, alleluia, alleluia*.

Et Sacerdos, dicto *Placeat tibi sancta Trinitas*, dat benedictionem more solito.

SABBATO IN ALBIS.

Ab hac die usque ad Octavam Pentecostes, tam in Officio de Tempore, quam de Sanctis, non dicitur Graduale : sed ejus loco dicuntur duo Versus cum quatuor *Alleluia*, ordine infrascripto : præterquam in Missis Rogationum, et Vigiliæ Pentecostes, in quibus dicitur unum *Alleluia* cum uno versu : similiter et post quamlibet Lectionem in Sabbato Quatuor Temporum post Pentecosten. Alio tempore usque ad Septuagesimam, quando dicitur Graduale, dicuntur tria *Alleluia*, post Graduale, bis ante Versum, et semel post Versum : cum autem dicitur Sequentia, *Alleluia*, quod dicendum esset post Versum, dicitur post Sequentiam.

IN LITANIIS MAJORIBUS.

Missa *Exaudivit* dicitur in Litaniis majoribus, et minoribus ad Processionem, sine Commemoratione Festi occurrentis. In Feriis autem Rogationum, in Missis privatis, si dicitur de Sancto, fit commemoratio Rogationum : si dicitur de Rogationibus, fit commemoratio Festi occurrentis. Feria vero III, si Festum non occurrat, dicatur Missa de Rogationibus, sine *Gloria in excelsis*, licet in Officio dictum sit *Te Deum*, et Oratio Dominicæ.

IN VIGILIA ASCENSIONIS.

Si hodie occurrat Festum Simplex, fit de ipso tantum commemoratio. Si occurrat Festum Duplex, vel Semiduplex, Missa dicitur de Festo cum commemoratione Vigiliæ, et Rogationum. Sed in Ecclesiis Collegiatis, præter Missam de Rogationibus, dicuntur duo Missæ, una de Festo, et alia de Vigilia.

SABBATO IN VIGILIA PENTECOSTES.

DICTA Nona, Sacerdos et Ministri, induti paramentis violacei coloris, accedunt ad Altare, et facta reverentia, Sacerdos illud osculatur in medio. Deinde leguntur Prophetiæ sine titulo, candelis Altaris extinctis usque ad principium Missæ, sicut in Sabbato sancto. Sacerdos legit eas submissa voce ad Altare in cornu Epistolæ. In fine Prophetiarum dicantur Orationes sine *Flectamus genua*.

¶ Ubi vero non fuerint Fontes, finita Prophetia sexta cum sua Oratione, Celebrans deponit casulam, et cum Ministris ante Altare procumbit : et aliis omnibus genuflexis cantantur Litaniæ a duobus cantoribus in medio Chori, utroque Choro idem simul respondente. Cum autem perventum fuerit ad ℣. *Peccatores*, *Te rogamus*, Sacerdos, et Ministri surgunt, et accedentes ad Sacristiam, induuntur paramentis rubeis, et accenduntur Luminaria circa Altare.

In fine Litaniarum cantatur solemniter *Kyrie eleison*, pro Missa, et repetuntur, ut moris est. Quo incepto, Sacerdos cum Ministris procedit ad Altare, et facit Confessionem : deinde ascendens illud osculatur, et incensat more solito.

Finitis *Kyrie eleison*, incipit solemniter *Gloria in excelsis Deo*. Et campanæ pulsantur.

DOMINICA VIGESIMA TERTIA POST PENTECOSTEN.

SI erit ultima, tunc loco vigesimæ tertiæ ponetur quæ *in Missali* est XXIV : et Missa Dominicæ XXIII dicetur in Sabbato præcedenti non impedito Festo Duplici, vel Semiduplici, alioquin in alia præcedenti Feria similiter non impedita.

¶ Si Dominicæ post Pentecosten fuerint plures viginti quatuor, tunc post XXIII resumantur (quoad Orationes, Epistolas, et Evangelia) Missæ Dominicarum quæ superfuerunt

post Epiphaniam (ut *in Missali* post Dominicam XXIV) hoc ordine :

¶ Si Dominicæ fuerint XXV, in Dominica XXIV dicitur Missa Dominicæ VI post Epiphaniam.

Si fuerint XXVI, in Dominica XXIV dicitur Missa Dominicæ V post Epiphaniam : et in XXV, Missa Dominicæ VI.

Si fuerint XXVII, in Dominica XXIV dicitur Missa Dominicæ IV post Epiphaniam : in XXV, Dominicæ V : et in XXVI, Dominicæ VI.

Si fuerint XXVIII, in Dominica XXIV dicitur Missa Dominicæ III post Epiphaniam : in XXV, Dominicæ IV : in XXVI, Dominicæ V : in Dominica XXVII, Dominicæ VI.

Et ultimo loco semper ponitur Missa Dominicæ XXIV post Pentecosten.

¶ Introitus autem, Graduale, Offertorium, et Communio in prædictis Dominicis semper dicuntur ut in Dominica XXIII.

EX PROPRIO MISSARUM DE SANCTIS.

DIE XXIX NOVEMBRIS.

IN VIGILIA S. ANDREÆ APOSTOLI.

Si Vigilia S. Andreæ venerit in Adventu, Missa dicitur de Vigilia, et secunda Oratio erit de Adventu, tertia de S. Saturnino.

¶ Si Festum S. Andreæ venerit Feria secunda, Missa de Vigilia dicitur in Sabbato, et secunda Oratio erit de S. Maria, *Concede nos,* tertia, *Ecclesiæ tuæ,* vel pro Papa, *Deus omnium,* et Commemoratio S. Saturnini fit in Dominica. Quod et in aliis Vigiliis (excepta Vigilia Nativitatis Domini) servatur.

¶ Si autem Festum S. Andreæ venerit in Dominica, transfertur, et Missa de Vigilia dicitur in Sabbato, cum Commemoratione S. Saturnini, ut supra, et tertia Oratio erit de S. Maria, *Concede nos*.

DIE II FEBRUARII.

IN FESTO PURIFICATIONIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Si hoc Festum venerit in Dominicis Septuagesimæ, Sexagesimæ, vel Quinquagesimæ, fit tantum benedictio, et distributio candelarum, et Processio : et Missa dicitur de Dominica : Missa vero Festi transfertur in sequentem diem.

¶ Finita Tertia, Sacerdos indutus Pluviali violaceo, vel sine Casula, cum ministris similiter indutis, procedit ad benedicendum Candelas, in medio ante Altare, vel ad cornu Epistolæ positas, et ipse ibidem stans versus ad Altare, dicit manibus junctis in tono Orationis Missæ Ferialis Orationes *in Missali positas*.

¶ Finitis Orationibus, Celebrans ponit incensum in thuribulum, deinde ter aspergit Candelas aqua benedicta, dicendo Antiphonam *Asperges me*, etc., sine cantu, et sine Psalmo, et ter adolet incenso. Tum dignior ex Clero accedit ad Altare, et ab eo Celebrans accipit Candelam non genuflectens, nec osculans manum illius. Postea Celebrans stans in medio ante Altare, versus ad populum distribuit Candelas, primum digniori, a quo ipse acceperat : deinde Diacono et Subdiacono paratis, et aliis Clericis singulatim per ordinem, ultimo laicis : omnibus genuflectentibus, Candelam et manum Celebrantis osculantibus, exceptis Prælatis, si adsint. Et cum incœperit distribuere Candelas, a Choro cantatur Antiphona *Lumen*.

Cantic. *Nunc dimittis*. Repetitur post quemlibet Versum tota Antiphona *Lumen*.

Deinde Sacerdos dicit : *Oremus*.

¶ Et si fuerit post Septuagesimam, et non in die Dominica, Diaconus dicit : *Flectamus genua.* ℟. *Levate.*

Oratio *Exaudi.*

¶ Deinde fit Processio. Et primo Celebrans ponit incensum in thuribulum : postea Diaconus vertens se ad populum, dicit : *Procedamus in pace.* Et Chorus respondet : *In nomine Christi. Amen.*

Præcedit Thuriferarius cum thuribulo fumigante : deinde Subdiaconus paratus, deferens Crucem, medius inter duos Acolythos cum candelabris accensis : sequitur Clerus per ordinem, ultimo Celebrans cum Diacono a sinistris, omnes cum Candelis accensis in manibus : et cantantur Antiphonæ *Adorna* et *Responsum.*

Et ingrediendo Ecclesiam, cantatur ℟. *Obtulerunt.*

¶ Finita Processione, Celebrans et Ministri, depositis violaceis, accipiunt paramenta alba pro Missa, et Candelæ tenentur in manibus accensæ dum legitur Evangelium, et iterum ad Elevationem Sacramenti usque ad Communionem. Si vero Missa fieret de Dominica, Candelæ non accenduntur.

DIE XXI MARTII.

De Festis Duplicibus, et Semiduplicibus, quæ veniunt a Dominica Palmarum usque ad Octavam Paschæ, nihil fit : sed post Octavam celebrantur : et tunc in fine Introitus ante Psalmum dicuntur duo *Alleluia*, et in fine Offertorii, et Communionis, unum *Alleluia.* Post Epistolam non dicitur Graduale, sed dicuntur duo Versus, cum quatuor *Alleluia*, ut notatum est in Sabbato in Albis. Et hoc idem observatur in omnibus Festis, quæ celebrantur inter Pascha et Pentecosten.

DIE XXV APRILIS.

IN FESTO MARCI, EVANGELISTÆ.

Ad Processionem dicitur Missa de Rogationibus, sine Commemoratione S. Marci : non tamen transfertur Processio, nisi quando prædictum Festum occurreret in die Paschatis : tunc enim in Feriam tertiam sequentem transferatur.

EX COMMUNI SANCTORUM.

In Communi Confessorum, et Virginum, et in aliis Missis, tempore Paschali, omnia dicuntur ut infra, addito in Introitu ante Psalmum duplici *Alleluia*, et in fine Offertorii, et Communionis uno *Alleluia*, ubi non habetur : et omisso Graduali, dicuntur duo ℣. cum quatuor *Alleluia*, ut suis locis ponitur.

DE MISSIS VOTIVIS.

Missæ votivæ, licet pro Sacerdotis devotione quacumque die dici possint per Hebdomadam quando Festum Duplex non occurrit : hoc tamen passim, nisi rationabili de causa, fieri non debet : sed, quoad fieri potest, Missa cum Officio conveniat. Cuique autem diei propria Missa potest assignari, ut : Feria II, nisi dicatur pro Defunctis, Missa de Sancta Trinitate. Feria III de Angelis. Feria IV de Apostolis. Feria V de Spiritu Sancto, vel de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento. Feria VI de Cruce, vel de Passione Domini. Sabbato de S. Maria. In ipsis non dicitur *Gloria in excelsis*, nec *Credo*, nisi pro publica Ecclesiæ causa : et tunc, etiamsi dicantur in paramentis violaceis, dicitur *Credo*, si sit Dominica, non autem *Gloria in excelsis*. In Missa autem B. Mariæ in Sabbato, et in Missa Angelorum, dicitur tantum *Gloria in excelsis*. Tempore Paschali, in fine Introitus dicuntur duo *Alleluia*, et

in fine Offertorii et Communionis, additur *Alleluia*, ubi non habetur.

MISSA PRO SPONSO ET SPONSA.

Si benedictio Nuptiarum facienda sit die Dominica, vel alio die festo, dicatur Missa de Dominica, vel Festo, cum *Gloria in excelsis* et *Credo*, si illa Missa id requirat, et cum Commemoratione Missæ pro Sponso et Sponsa, et reliquis quæ pro Communione et complemento benedictionis in ea habentur.

¶ Dicto *Pater noster*, Sacerdos antequam dicat *Libera nos, quæsumus, Domine*, stans in cornu Epistolæ versus Sponsum et Sponsam ante Altare genuflexos, dicit super eos Orationes, *ut in Missali*.

Tum Sacerdos reversus ad medium Altaris, dicat : *Libera nos*, et reliqua more solito : et postquam sumpserit Sanguinem, communicet Sponsos, et prosequatur Missam.

Dicto *Benedicamus Domino*, vel, si Missæ illius diei conveniat, *Ite Missa est*, Sacerdos antequam populo benedicat, conversus ad Sponsum et Sponsam, dicat : *Deus Abraham*, etc., *ut in Missali*.

Moneat eos Sacerdos sermone gravi, ut sibi invicem servent fidem : orationis tempore, et præsertim jejuniorum ac solemnitatum, casti maneant : et vir uxorem, atque uxor virum diligat : et in timore Dei permaneant. Postea eos aspergat aqua benedicta, et dicto *Placeat tibi Sancta Trinitas*, det benedictionem : et legat, ut solitum est, Evangelium S. Joannis *In principio erat Verbum*.

ORDO AD FACIENDAM AQUAM BENEDICTAM.

Die Dominica, in Sacristia præparato sale, et aqua benedicenda, Sacerdos celebraturus Missam, vel alius ad

id deputatus, alba vel superpelliceo indutus cum stola circa collum, benedicit aquam, *ut in Missali* (*et Rituali*).

Finita benedictione, Sacerdos celebraturus, indutus pluviali coloris Officio convenientis, accedit ad Altare, et ibi ad gradus cum Ministris genuflexus, etiam tempore Paschali, accipit a Diacono aspersorium, et primo ter aspergit Altare, deinde se, et erectus Ministros, incipiens Antiphonam *Asperges me*. Et Chorus prosequitur : *Domine, hyssopo*, etc.

Psalm. *Miserere*, etc., ℣. *Gloria Patri*, etc., ut in Missali.

Et repetitur Antiphona *Asperges me*.

Interim Celebrans aspergit Clerum, deinde populum, dicens submissa voce cum Ministris Psalmum *Miserere*.

Antiphona *Asperges me* prædicto modo dicitur ad aspersionem aquæ benedictæ in Dominicis per totum annum : excepta Dominica de Passione, et Dominica Palmarum in quibus non dicitur *Gloria Patri* : sed post Psalmum *Miserere*, repetitur immediate Antiphona *Asperges me* : excepto etiam tempore Paschali, scilicet a Dominica Paschæ usque ad Pentecosten inclusive, quo tempore cantatur Antiphona *Vidi aquam*.

In Dominica vero Trinitatis resumitur *Asperges me, Domine*.

In die sancto Paschæ et Pentecostes, ubi est fons baptismalis, fit aspersio cum aqua pridie benedicta in fonte Baptismi et ante infusionem olei et chrismatis accepta.

Finita Antiphona supradicto modo, Sacerdos, qui aspersit aquam, reversus ad Altare, stans ante gradus Altaris, junctis manibus, dicat ℣℣. et Orationem, *ut in Missali*.

PARS QUINTA.

EXCERPTA E RITUALI ROMANO.

I. DE IIS QUÆ IN ADMINISTRATIONE SACRAMENTORUM GENERALITER SERVANDA SUNT.

Ut ea, quæ ex antiquis Catholicæ Ecclesiæ institutis, et sanctorum Canonum Summorumque Pontificum Decretis, de Sacramentorum ritibus ac cæremoniis hoc libro præscribuntur, qua par est diligentia ac religione custodiantur, et ubique fideliter serventur, illud ante omnia scire et observare convenit, quod sacrosancta Tridentina Synodus, *sess.* 7, *can.* 13, de iis ritibus decrevit in hæc verba : *Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse : anathema sit.*

Cum igitur in Ecclesia Dei nihil sanctius, aut utilius, nihilque excellentius, aut magis divinum habeatur, quam Sacramenta ad humani generis salutem a Christo Domino instituta, Parochus, vel quivis alius Sacerdos, ad quem eorum administratio pertinet, meminisse in primis debet, se sancta tractare, atque omni temporis momento ad tam sanctæ administrationis officium paratum esse oportere.

Quamobrem illud perpetuo curabit, ut integre, caste pieque vitam agat; nam etsi Sacramenta ab impuris coinquinari non possunt, neque a pravis ministris eorum effectus impediri, impure tamen et indigne ea ministrantes, in æternæ mortis reatum incurrunt. Sacerdos ergo, si fuerit peccati mortalis sibi conscius, quod absit, ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere,

nisi prius corde pœniteat; sed si habeat copiam Confessarii, et temporis locique ratio ferat, convenit confiteri.

Quacumque diei ac noctis hora ad Sacramenta ministranda vocabitur, nullam officio suo præstando, præsertim si necessitas urgeat, moram interponat, ac propterea populum sæpe, prout sese offert occasio, præmonebit, ut cum sacro ministerio opus fuerit, se quamprimum advocet nulla temporis aut cujuscumque incommodi habita ratione.

Ipse vero antequam ad hujusmodi administrationem accedat, paululum, si opportunitas dabitur, orationi, et sacræ rei quam acturus est meditationi vacabit, atque ordinem ministrandi, et cæremonias pro temporis spatio prævidebit.

In omni Sacramentorum administratione superpelliceo sit indutus, et desuper stola ejus coloris, quem Sacramenti ritus exposcit; nisi in Sacramento Pœnitentiæ ministrando occasio, vel consuetudo, vel locus interdum aliter suadeat.

Adhibebit quoque unum saltem, si habeat, vel plures Clericos, prout loci et Sacramenti ratio postulabit, decenti habitu, et superpelliceo pariter indutos.

Curabit etiam, ut sacra supellex, vestes, ornamenta, linteamina, et vasa ministerii integra, nitidaque sint et munda.

In Sacramentorum administratione eorum virtutem, usum ac utilitatem, et cæremoniarum significationes, ut Concilium Tridentinum præcipit, ex sanctorum Patrum et Catechismi Romani doctrina, ubi commode fieri potest, diligenter explicabit.

Dum Sacramentum aliquod ministrat, singula verba, quæ ad illius formam et ministerium pertinent, attente, distincte, et pie, atque clara voce pronuntiabit. Similiter et alias Orationes et preces devote ac religiose dicet; nec memoriæ, quæ plerumque labitur, facile confidet, sed

omnia recitabit ex libro. Reliquas præterea cæremonias ac ritus, ita decenter gravique actione peraget, ut adstantes ad cœlestium rerum cogitationem erigat, et attentos reddat.

Ad ministrandum procedens, rei, quam tractaturus est, intentus sit; nec de iis, quæ ad ipsam non pertinent, quidquam cum alio colloquatur; in ipsaque administratione actualem attentionem habere studeat, vel saltem virtualem, cum intentione faciendi quod in eo facit Ecclesia.

Illud porro diligenter caveat, ne in Sacramentorum administratione aliquid quavis de causa vel occasione, directe vel indirecte exigat, aut petat; sed ea gratis ministret, et ab omni simoniæ atque avaritiæ suspicione, nedum crimine, longissime absit. Si quid vero nomine eleemosynæ, aut devotionis studio, peracto jam Sacramento, sponte a fidelibus offeratur, id licite pro consuetudine locorum accipere poterit, nisi aliter Episcopo videâtur.

Fidelibus alienæ Parochiæ Sacramenta non ministrabit, nisi necessitatis causa, vel de licentia Parochi, seu Ordinarii.

Omnes autem, qui Sacramenta suscipiunt, loco et tempore opportuno monebit, ut remoto inani colloquio, et habitu actuque indecenti, pie ac devote Sacramentis intersint, et ea, qua par est, reverentia suscipiant.

Librum hunc Ritualem, ubi opus fuerit, semper cum ministrabit, secum habebit, ritusque et cæremonias in eo præscriptas diligenter servabit.

Cæterum illorum tantum Sacramentorum, quorum administratio ad Parochos pertinet, ritus hoc opere præscribuntur, cujusmodi sunt Baptismus, Pœnitentia, Eucharistia, Extrema Unctio, et Matrimonium. Reliqua vero duo Sacramenta Confirmationis, et Ordinis, cum propria sint Episcoporum, ritus suos habent in Pontificali præscriptos.

Et ea, quæ de iis atque aliis Sacramentis scire, servare et docere Parochi debent, cum ex aliis libris, tum præcipue ex Catechismo Romano sumi possunt. Siquidem hic de iis fere tantum agere instituti operis ratio postulat, quæ ad ipsorum quinque Sacramentorum ritus pertinent.

Postremo, quisquis Sacramenta administrare tenetur, habeat libros necessarios ad officium suum pertinentes, eosque præsertim, in quibus Parochialium functionum notæ ad futuram rei memoriam describuntur, ut ad finem hujus Ritualis habetur.

II. DE SACRAMENTO BAPTISMI RITE ADMINISTRANDO.

SACRUM Baptisma, Christianæ Religionis et æternæ vitæ janua, quod inter alia novæ Legis Sacramenta a Christo instituta primum tenet locum, cunctis ad salutem necessarium esse ipsa Veritas testatur illis verbis : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* (*Joan.* 3.) Itaque summa ad illud opportune riteque administrandum ac suscipiendum diligentia adhibenda est.

Cum autem ad hoc Sacramentum conferendum alia sint de jure divino absolute necessaria, ut materia, forma, minister; alia ad illius solemnitatem pertineant, ut ritus ac cæremoniæ, quas ex Apostolica et antiquissima traditione acceptas et approbatas, nisi necessitatis causa, omittere non licet de iis aliqua præmonenda sunt, ut sacrum hoc ministerium rite et sancte peragatur.

DE MATERIA BAPTISMI.

AC primum intelligat Parochus, cum hujus Sacramenti materia sit aqua vera ac naturalis, nullum alium liquorem ad id adhiberi posse.

Aqua vero solemnis Baptismi sit eo anno benedicta in Sabbato Sancto Paschatis, vel Sabbato Pentecostes, quæ in Fonte mundo nitida et pura diligenter conservetur; et

hæc quando nova benedicenda est, in Ecclesiæ, vel potius Baptisterii Sacrarium effundatur.

Si aqua benedicta tam imminuta sit ut minus sufficere videatur, alia non benedicta admisceri potest, in minori tamen quantitate.

Si vero corrupta fuerit, aut effluxerit, aut quovis modo defecerit, Parochus in Fontem bene mundatum ac nitidum, recentem aquam infundat, eamque benedicat ex formula, quæ infra præscribitur.

Sed si aqua conglaciata sit, curetur, ut liquefiat : sin autem ex parte congelata sit, aut nimium frigida, poterit parum aquæ naturalis non benedictæ calefacere, et admiscere aquæ baptismali in vasculo ad id parato, et ea tepefacta ad baptizandum uti, ne noceat infantulo.

DE FORMA BAPTISMI.

QUONIAM Baptismi forma his verbis expressa : *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti,* omnino necessaria est, ideo eam nullo modo licet mutare, sed eadem verba uno et eodem tempore, quo fit ablutio, pronuntianda sunt.

Latinus Presbyter latina forma semper utatur.

Cum Baptismum iterare nullo modo liceat, si quis sub conditione, de quo infra, sit baptizandus, ea conditio explicanda est hoc modo : *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, etc.* Hac tamen conditionali forma non passim aut leviter uti licet, sed prudenter, et ubi, re diligenter pervestigata, probabilis subest dubitatio, infantem non fuisse baptizatum.

Baptismus licet fieri possit aut per infusionem aquæ, aut per immersionem, aut per aspersionem ; primus tamen, vel secundus modus, qui magis sunt in usu, pro Ecclesiarum consuetudine retineantur; ita ut trina ablutione caput baptizandi perfundatur, vel immergatur in modum

Crucis uno et eodem tempore, quo verba proferuntur, et idem sit aquam adhibens et verba pronuntians.

Ubi vero Baptismus fit per infusionem aquæ, cavendum est, ne aqua ex infantis capite in Fontem, sed in Sacrarium Baptisterii prope ipsum Fontem extructum defluat, aut in aliquo vase ad hunc usum parato recepta, in ipsius Baptisterii vel in Ecclesiæ Sacrarium effundatur.

DE MINISTRO BAPTISMI.

Legitimus quidem Baptismi Minister est Parochus, vel alius Sacerdos a Parocho, vel ab Ordinario loci delegatus; sed quoties infans aut adultus versatur in vitæ periculo, potest sine solemnitate a quocumque baptizari in qualibet lingua, sive Clerico, sive Laico etiam excommunicato, sive fideli, sive infideli, sive Catholico, sive hæretico, sive viro, sive femina, servata tamen forma et intentione Ecclesiæ.

Sed si adsit Sacerdos, Diacono præferatur, Diaconus Subdiacono, Clericus Laico, et vir feminæ, nisi pudoris gratia deceat feminam potius quam virum baptizare infantem non omnino editum, vel nisi melius femina sciret formam et modum baptizandi. Quapropter curare debet Parochus, ut fideles, præsertim obstetrices, rectum baptizandi ritum probe teneant et servent.

Pater aut mater propriam prolem baptizare non debent, præterquam in mortis periculo, quando alius non reperitur, qui baptizet; neque tunc ullam contrahunt cognationem, quæ matrimonii usum impediat.

DE BAPTIZANDIS PARVULIS.

Opportune Parochus hortetur eos, ad quos ea cura pertinet, ut natos infantes, sive baptizandos, sive baptizatos, quamprimum fieri poterit, ea qua decet Christiana modestia, sine pompæ vanitate deferant ad Ecclesiam, ne illis sacramentum tantopere necessarium nimium differatur

cum periculo salutis, et ut iis, qui ex necessitate privatim baptizati sunt, consuetæ cæremoniæ ritusque suppleantur, omissa forma et ablutione.

Nemo in utero matris clausus baptizari debet. Sed si infans caput emiserit, et periculum mortis immineat, baptizetur in capite, nec postea, si vivus evaserit, erit iterum baptizandus. At si aliud membrum emiserit, quod vitalem indicet motum, in illo, si periculum impendeat, baptizetur; et tunc, si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus eo modo, quo supra dictum est : *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, etc.* Si vero ita baptizatus, deinde mortuus prodierit ex utero, debet in loco sacro sepeliri.

Si mater prægnans mortua fuerit, fœtus quamprimum caute extrahatur, ac si vivus fuerit, baptizetur : si fuerit mortuus, et baptizari non potuerit, in loco sacro sepeliri non debet.

Infantes expositi et inventi, si re diligenter investigata de eorum Baptismo non constet, sub conditione baptizentur.

In monstris vero baptizandis, si casus eveniat, magna cautio adhibenda est, de quo si opus fuerit, Ordinarius loci, vel alii periti consulantur, nisi mortis periculum immineat.

Monstrum, quod humanam speciem non præ se ferat, baptizari non debet, de quo si dubium fuerit, baptizetur sub hac conditione : *Si tu es homo, ego te baptizo, etc.*

Illud vero, de quo dubium est, una ne aut plures sint personæ, non baptizetur, donec id discernatur ; discerni autem potest, si habeat unum vel plura capita, unum vel plura pectora ; tunc enim totidem erunt corda et animæ, hominesque distincti, et eo casu singuli seorsum sunt baptizandi, unicuique dicendo : *Ego te baptizo, etc.* Si vero periculum mortis immineat, tempusque non suppetat ut singuli separatim baptizentur, poterit Minister singulorum

capitibus aquam infundens omnes simul baptizare, dicendo: *Ego vos baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Quam tamen formam in iis solum, et in aliis similibus mortis periculis ad plures simul baptizandos, et ubi tempus non patitur, ut singuli separatim baptizentur, alias nunquam licet adhibere.

Quando vero non est certum in monstro esse duas personas, quia duo capita et duo pectora non habet distincta, tunc debet primum unus absolute baptizari, et postea alter sub conditione, hoc modo : *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.*

DE PATRINIS.

PAROCHUS, antequam ad baptizandum accedat, ab iis, ad quos spectat, exquirat diligenter, quem, vel quos Susceptores seu Patrinos elegerint, qui infantem de sacro Fonte suscipiant, ne plures quam liceat, aut indignos, aut ineptos admittat.

Patrinus unus tantum, sive vir, sive mulier, vel ad summum unus et una adhibeantur, ex Decreto Concilii Tridentini; sed simul non admittantur duo viri, aut duæ mulieres, neque baptizandi pater aut mater.

Hos autem Patrinos saltem in ætate pubertatis, ac Sacramento Confirmationis consignatos esse, maxime convenit.

Sciant præterea Parochi, ad hoc munus non esse admittendos infideles, aut hæreticos, non publice excommunicatos, aut interdictos, non publice criminosos, aut infames, nec præterea qui sana mente non sunt, neque qui ignorant rudimenta Fidei. Hæc enim Patrini spirituales filios suos, quos de Baptismi Fonte susceperint, ubi opus fuerit, opportune docere tenentur.

Præterea ad hoc etiam admitti non debent Monachi, vel Sanctimoniales, neque alii cujusvis Ordinis Regulares a sæculo segregati.

DE TEMPORE ET LOCO ADMINISTRANDI BAPTISMUM.

Quamvis Baptismus quovis tempore, etiam interdicti et cessationis a Divinis, præsertim si urgeat necessitas, conferri possit; tamen duo potissimum ex antiquissimo Ecclesiæ ritu sacri sunt dies, in quibus solemni cæremonia hoc Sacramentum administrari maxime convenit: nempe Sabbatum Sanctum Paschæ, et Sabbatum Pentecostes, quibus diebus Baptismalis Fontis aqua rite consecratur. Quem ritum, quatenus fieri commode potest, in adultis baptizandis, nisi vitæ periculum immineat, retineri decet, aut certe non omnino prætermitti, præcipue in Metropolitanis aut Cathedralibus Ecclesiis.

Ac licet, urgente necessitate, ubique baptizare nihil impediat; tamen proprius Baptismi administrandi locus est Ecclesia, in qua sit Fons Baptismalis, vel certe Baptisterium prope Ecclesiam.

Itaque necessitate excepta, in privatis locis nemo baptizari debet, nisi forte sint Regum aut magnorum Principum filii, id ipsis ita deposcentibus, dummodo id fiat in eorum Capellis seu Oratoriis, et in aqua Baptismali de more benedicta.

Baptisterium sit decenti loco et forma, materiaque solida, et quæ aquam bene contineat, decenter ornatum, et cancellis circumseptum, sera et clave munitum, atque ita obseratum, ut pulvis vel aliæ sordes intro non penetrent, in eoque, ubi commode fieri potest, depingatur imago sancti Joannis Christum baptizantis.

DE SACRIS OLEIS, ET ALIIS REQUISITIS.

Sacrum Chrisma, et sanctum Oleum, quod et Catechumenorum dicitur, quorum usus est in Baptismo, eodem anno sint ab Episcopo de more benedicta Feria V in Cœna Domini.

Curet Parochus, ut ea suo tempore quamprimum habeat, et tunc vetera in Ecclesia comburat.

Veteribus Oleis, nisi necessitas cogat, ultra annum non utatur : ac si deficere videantur, et Chrisma, aut Oleum benedictum haberi non possit, aliud Oleum de olivis non benedictum adjiciatur, sed in minori quantitate.

Chrisma, et Oleum sacrum sint in suis vasculis argenteis, aut saltem stanneis, bene obturatis : quæ vascula sint inter se distincta, et propriam unumquodque inscriptionem habeat majusculis litteris incisam, ne quis error committatur.

Ad usum vero quotidianum minora habeantur vascula ex argento, si fieri potest, aut stanno, sive separata, sive etiam conjuncta : apte tamen distincta, et bene cooperta, et cum suis inscriptionibus, ut supra, ne Parochus aberret, et unum pro altero sumat, quod cavere debet diligenter.

In ea igitur ex majoribus vasculis Chrismatis et Olei, quod sufficiat infundatur, atque ut effusionis periculum caveatur commodum erit, in his vasculis bombacium, seu quid simile habere, Oleo sacro, et Chrismate separatim perfusum, in quo pollex, cum opus est, ad inungendum immittatur.

Hæc vascula ita parata in loco proprio, honesto ac mundo, sub clave ac tuta custodia decenter asserventur, ne ab aliquo, nisi a Sacerdote, temere tangantur, aut eis sacrilege quisquam abuti possit.

Parochus, quantum fieri potest, curet, ne per laicos, sed per se, vel per alium Sacerdotem, vel saltem per alium Ecclesiæ ministrum, hæc Olea deferantur : caveat item, ne de iis quicquam ulli unquam tribuat cujusvis rei prætextu.

Sal, quod in os baptizandi immittendum est, sit benedictum sua peculiari benedictione, quæ infra præscribitur ; neque utatur sale exorcizato ad benedicendam aquam ; sitque prius bene confractum et attritum, siccum ac mun-

dum. Sal ita benedictum nemini tradatur, neque etiam iis, qui benedicendum attulerint, reddatur, sed ad alios baptizandos servetur, aut in sacrarium abjiciatur.

Cum igitur Baptismi Sacramentum jam administrandum est, hæc in promptu esse debent:

Vascula sacri Olei Catechumenorum, et Chrismatis;

Vasculum cum sale benedicendo, vel jam, ut dictum est, benedicto;

Vasculum, seu cochlear ex argento, vel alio metallo nitidum, ad aquam Baptismi fundendam super caput baptizandi, quod nulli præterea alii usui deserviat;

Pelvis, seu bacile ad excipiendam aquam ex capite defluentem, nisi statim in Sacrarium defluat;

Gossipium, alio nomine bombacium, seu quid simile, ad abstergenda loca sacris Oleis inuncta;

Stolæ duæ, ubi commode haberi possunt, una violacea, et altera alba, ut infra notatur, mutanda, sin minus, una saltem adhibeatur;

Medulla panis, qua inuncti Sacerdotis digiti, cum manus lavat, abstergantur; et vas pro manuum lotione post Baptismum, quod huic tantum usui deservire debet;

Alba vestis in modum palliali, seu linteolum candidum, infantis capiti imponendum;

Cereus, seu candela cerea, baptizato ardens tradenda;

Hic denique Ritualis liber sit paratus, et item liber Baptismalis, in quo baptizati describuntur.

Omnibus igitur opportune præparatis, Sacerdos ad tanti Sacramenti administrationem, lotis manibus, superpelliceo et stola violacea indutus, accedat; Clericum unum, seu plures, si potest, secum adhibeat superpelliceo pariter indutos, qui sibi ministrent.

Ita paratus accedat ad limen Ecclesiæ, ubi foris expectant qui infantem detulerunt.

Interroget, nisi de his bene sibi constet, an sit suæ Parochiæ, masculus, an femina, an sit domi baptizatus, et a

quo, et quam rite, et qui sint compatres qui infantem teneant, pro eoque respondeant; quos pie ac decenter assistere, ac prout opus fuerit, pro baptizando ad interrogationes respondere admoneat.

Et quoniam iis qui baptizantur, tanquam Dei filiis in Christo regenerandis, et in ejus militiam adscribendis, nomen imponitur, curet ne obscœna, fabulosa, aut ridicula, vel inanium deorum, vel impiorum ethnicorum hominum nomina imponantur, sed potius, quatenus fieri potest, Sanctorum, quorum exemplis fideles ad pie vivendum excitentur, et patrociniis protegantur.

His igitur expeditis, et accepto nomine baptizandi, positi, si infans fuerit, super brachium dextrum illius qui eum defert, Parochus ad Baptismum procedat, in hunc modum nominatim interrogans.

Admonendi sunt Susceptores de spirituali cognatione, quam contraxerunt cum baptizato, baptizatique patre et matre; quæ cognatio impedit Matrimonium, ac dirimit.

Curet Parochus parentes infantis admoneri, ne in lecto secum ipsi, vel nutrices parvulum habeant, propter oppressionis periculum; sed eum diligenter custodiant, et opportune ad Christianam disciplinam instituant.

Commonendi sunt etiam parentes, et alii, si opus fuerit, ne filios Hebræis, aliisve infidelibus, vel hæreticis mulieribus ullo modo lactandos, aut nutriendos tradant.

Antequam infans ex Ecclesia asportetur, aut Susceptores discedant, eorum nomina, et alia de administrato Baptismo ad præscriptam formam in Baptismali libro Parochus accurate describat.

DE BAPTISMO ADULTORUM.

Si quis adultus sit baptizandus, debet prius, secundum Apostolicam regulam, in Christiana Fide, ac sanctis moribus diligenter instrui, et per aliquot dies in operibus pietatis exerceri, ejusque voluntas et propositum sæpius ex-

plorari, et nonnisi sciens et volens, probeque instructus baptizari.

At vero si quis, dum instruitur, in mortis periculum incidat, baptizarique voluerit, habita ratione periculi vel necessitatis, baptizetur.

Adultorum Baptismus, ubi commode fieri potest, ad Episcopum deferatur, ut si illi placuerit, ab eo solemnius conferatur, alioquin Parochus ipse baptizet, stata cæremonia.

Decet autem hujusmodi Baptismum, ex Apostolico instituto, in Sabbato Sancto Paschatis vel Pentecostes solemniter celebrari.

Quare si circa hæc tempora Catechumeni sint baptizandi, in ipsos dies, si nihil impediat, Baptismum differri convenit.

Verum si circa, seu post tempus Pentecostes aliqui conversi fuerint, qui ægre ferant suum Baptismum in longum tempus differri, et ad illud festinent, instructique ac rite parati esse noscantur, citius baptizari possunt.

Catechumenus instructus baptizetur in Ecclesia, seu Baptisterio. Patrinus ei assistat, et ipse Catechumenus ad Sacerdotis interrogationes respondeat, nisi mutus fuerit, aut omnino surdus, vel ignotæ linguæ; quo casu vel per Patrinum, si illam intelligat, aut alium interpretem, vel nutu consensum explicet suum.

Pro hujus autem veneratione Sacramenti, tam Sacerdotem, qui adultos baptizabit, quam ipsos adultos, qui sani sunt, convenit esse jejunos.

Quare non post epulas, aut prandia, sed ante meridiem, nisi ex rationabili causa aliter faciendum esset, eorum baptisma celebretur.

Admonendus est Catechumenus, ut peccatorum suorum pœniteat.

Amentes et furiosi non baptizentur, nisi tales a nativitate fuerint : tunc enim de iis idem judicium faciendum

est, quod de infantibus, atque in Fide Ecclesiæ baptizari possunt.

Sed si dilucida habeant intervalla, dum mentis compotes sunt, baptizentur, si velint. Si vero antequam insanirent, suscipiendi Baptismi desiderium ostenderint, ac vitæ periculum immineat, etiamsi non sint compotes mentis, baptizentur.

Idemque dicendum est de eo, qui lethargo aut phrenesi laborat, ut tantum vigilans et intelligens baptizetur; nisi periculum mortis impendeat, si in eo prius apparuerit Baptismi desiderium.

Sacerdos diligenter curet, ut certior fiat de statu et conditione eorum qui baptizari petunt, præsertim exterorum : de quibus facta diligenti inquisitione, num alias ac rite sint baptizati, caveat, ne quis jam baptizatus, imperitia vel errore, aut ad quæstum, vel ob aliam causam, fraude dolove iterum baptizari velit.

Omnes autem, de quibus, re diligenter investigata, probabilis dubitatio est, an baptizati fuerint, si nihil aliud impediat, sub conditione baptizentur.

Hæretici vero ad Catholicam Ecclesiam venientes, in quorum Baptismo debita forma aut materia servata non est, rite baptizandi sunt; sed prius errorum suorum pravitatem agnoscant et detestentur, et in Fide Catholica diligenter instruantur : ubi vero debita forma et materia servata est, omissa tantum suppleantur, nisi rationabili de causa aliter Episcopo videatur.

Ceterum legantur et serventur ea, quæ supra de Baptismo in communi præscripta sunt.

III. DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

SANCTUM Pœnitentiæ Sacramentum, ad eos, qui post Baptismum lapsi sunt, in gratiam Dei restituendos a Christo Domino institutum, eo diligentius administrandum est, quo frequentior est ejus usus, et quo plura

requiruntur ad illud recte digneque tractandum, ac suscipiendum. Cum autem ad illud constituendum tria concurrant, materia, forma, et minister : illius quidem remota materia sunt peccata, proxima vero sunt actus pœnitentis, nempe contritio, confessio, et satisfactio. Forma autem, illa absolutionis verba : *Ego te absolvo*, *etc*. Minister denique est Sacerdos, habens potestatem absolvendi vel ordinariam, vel delegatam. Sed si periculum mortis immineat, approbatusque desit Confessarius, quilibet Sacerdos potest a quibuscumque censuris et peccatis absolvere. In ejus ministro requiritur etiam bonitas, scientia, atque prudentia, cum sigillo secretæ confessionis sub exacto, perpetuoque silentio. Quibus et aliis ad id opportunis, ut optime sint instructi, omni studio curare debent Confessarii.

In primis meminerit Confessarius, se judicis pariter et medici personam sustinere, ac divinæ justitiæ simul et misericordiæ ministrum a Deo constitutum esse, ut tanquam arbiter inter Deum et homines, honori divino, et animarum saluti consulat.

Ut ergo recte judicare queat, discernens inter lepram et lepram, et tanquam peritus medicus animarum morbos prudenter curare, et apta cuique remedia applicare sciat, quantam potest maximam ad id scientiam atque prudentiam, tum assiduis ad Deum precibus, tum ex probatis auctoribus, præsertim e Catechismo Romano, et prudenti consilio peritorum studeat sibi comparare.

Sciat casus et censuras Sedi Apostolicæ et Ordinario suo reservatas, et suæ cujusque Ecclesiæ constitutiones easque diligenter observet.

Denique hujus Sacramenti doctrinam omnem recte nosse studebit, et alia ad ejus rectam administrationem necessaria. Atque in hoc ministerio ita procedat, ut infra præscribitur.

ORDO MINISTRANDI SACRAMENTUM PŒNITENTIÆ.

Sacerdos ad audiendam Confessionem vocatus, promptum facilemque se præbeat, ac priusquam ad audiendum accedat, si tempus suppetat, ad hoc ministerium recte sancteque obeundum, divinum auxilium piis precibus implorabit.

In Ecclesia, non autem in privatis ædibus, Confessiones audiat, nisi ex causa rationabili, quæ cum inciderit, studeat tamen id decenti ac patenti loco præstare.

Habeat in Ecclesia sedem confessionalem, in qua sacras Confessiones excipiat : quæ sedes patenti, conspicuo, et apto Ecclesiæ loco posita, crate perforata inter pœnitentem et Sacerdotem sit instructa.

Superpelliceo, et stola violacei coloris utatur, prout tempus, vel locorum feret consuetudo.

Pœnitens, si opus fuerit, admoneatur ut qua decet humilitate mentis et habitus accedat, et flexis genibus signo Crucis se muniat.

Mox Confessarius inquirat de illius statu, nisi aliter notus fuerit, et quampridem sit confessus, et an impositam pœnitentiam adimpleverit; num rite atque integre alias confessus fuerit; num conscientiam suam, ut debet, prius diligenter discusserit.

Quod si pœnitens aliqua censura, vel casu reservato sit ligatus, a quo ipse non possit absolvere, non absolvat, nisi prius obtenta facultate a Superiore.

Si vero Confessarius, pro personarum qualitate, cognoverit pœnitentem ignorare Christianæ fidei rudimenta, si tempus suppetat, eum breviter instruat de articulis Fidei, et aliis ad salutem cognitu necessariis, et ignorantiam ejus corripiat, illumque admoneat, ut ea postmodum diligentius addiscat.

Tum pœnitens Confessionem generalem latina vel vulgari lingua dicat : scilicet *Confiteor etc.*, vel saltem utatur

his verbis : *Confiteor Deo omnipotenti, et tibi, pater*. Peccata sua exinde confiteatur, adjuvante, quotiescumque opus fuerit, Sacerdote, qui confitentem non reprehendet, nisi finita, ut dicetur, Confessione; neque interpellabit, nisi opus fuerit aliquid melius intelligere : proinde fiduciam ei præbeat, et humaniter suggerat, ut omnia peccata sua rite et integre confiteatur, remota stulta illa quorumdam verecundia, qua præpediti, suadente diabolo, peccata confiteri non audeat.

Si pœnitens numerum, et species, et circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum Sacerdos prudenter interroget.

Sed caveat, ne curiosis aut inutilibus interrogationibus quemquam detineat, præsertim juniores utriusque sexus, vel alios, de eo, quod ignorant, imprudenter interrogans, ne scandalum patiantur, indeque peccare discant.

Demum, audita Confessione, perpendens peccatorum, quæ ille admisit, magnitudinem ac multitudinem, pro eorum gravitate ac pœnitentis conditione, opportunas correptiones ac monitiones, prout opus esse viderit, paterna charitate adhibebit, et ad dolorem et contritionem efficacibus verbis adducere conabitur, atque ad vitam emendandam ac melius instituendam inducet, remediaque peccatorum tradet.

Postremo salutarem et convenientem satisfactionem, quantum spiritus et prudentia suggesserint, injungat, habita ratione status, conditionis, sexus, et ætatis, et item dispositionis pœnitentium. Videatque, ne pro peccatis gravibus levissimas pœnitentias imponat, ne si forte peccatis conniveat, alienorum peccatorum particeps efficiatur. Id vero ante oculos habeat, ut satisfactio non sit tantum ad novæ vitæ remedium, et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum castigationem.

Quare curet, quantum fieri potest, ut contrarias pecca-

tis pœnitentias injungat, veluti avaris eleemosynas, libidinosis jejunia, vel alias carnis afflictiones, superbis humilitatis officia, desidiosis devotionis studia. Rarius autem vel serius confitentibus, vel in peccata facile recidentibus, utilissimum fuerit consulere, ut sæpe, puta semel in mense, vel certis diebus solemnibus, confiteantur, et si expediat, communicent.

Pœnitentias pecuniarias sibi ipsis Confessarii non applicent, neque a pœnitentibus quidquam tanquam ministerii sui præmium petant, vel accipiant.

Pro peccatis occultis, quantumvis gravibus, manifestam pœnitentiam non imponat.

Videat autem diligenter Sacerdos, quando, et quibus conferenda, vel deneganda, vel differenda sit absolutio, ne absolvat eos, qui talis beneficii sunt incapaces : quales sunt qui nulla dant signa doloris, qui odia et inimicitias deponere, aut aliena, si possunt, restituere, aut proximam peccandi occasionem deserere aut alio modo peccata derelinquere, et vitam in melius emendare nolunt : aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant, et scandalum tollant : neque etiam eos absolvat, quorum peccata sunt Superioribus reservata.

Si vero quis confiteatur in periculo mortis constitutus, absolvendus est ab omnibus peccatis et censuris quantumvis reservatis (cessat enim tunc omnis reservatio) : sed prius, si potest, cui debet satisfaciat : ac si periculum evaserit, et aliqua ratione Superiori, a quo alias esset absolvendus, se sistere teneatur ; cum primum poterit, coram eo se sistat, quidquid debet præstiturus.

Quod si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox et loquela ægro deficiat, nutibus et signis conetur, quoad ejus fieri poterit, peccata pœnitentis cognoscere : quibus utcumque vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.

Meminerit porro Sacerdos, ægris non esse injungendam gravem, aut laboriosam pœnitentiam; sed indicendam tantum illam, quam, si convaluerint, opportuno tempore peragant. Interim juxta gravitatem morbi, aliqua oratione, aut levi satisfactione imposita, et acceptata, absolvantur, prout opus fuerit.

DE ABSOLUTIONE AB EXCOMMUNICATIONE IN FORO EXTERIORI.

Si potestas absolvendi ab excommunicationis sententia Sacerdoti commissa fuerit a Superiore, et in mandato certa forma sit præscripta, illa omnino servanda est : si vero in mandato seu commissione dicitur : *In forma Ecclesiæ consueta absolvat*, hæc servanda sunt :

Primo, ut excommunicatus ei, ob cujus offensam in excommunicationem incurrit, prius, si potest, satisfaciat. Quod si tunc non possit, sufficientem cautionem præbeat, aut saltem, si eam præstare non potest, juret se, ut primum poterit, satisfacturum.

Secundo, si crimen, ob quod in excommunicationem incidit, sit grave, juramentum ab eo exigatur de parendo mandatis Ecclesiæ, quæ illi fient pro tali causa : ac præcipue ne deinceps delinquat contra illum Canonem, vel Decretum, contra quod faciendo censuram incurrit.

IV. DE SANCTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

Omnibus quidem Ecclesiæ Catholicæ Sacramentis religiose sancteque tractandis, magna ac diligens cura adhibenda est; sed præcipue in administrando, ac suscipiendo sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, quo nihil dignius, nihil sanctius et admirabilius habet Ecclesia Dei; cum in eo contineatur præcipuum et maximum Dei donum, et ipsemet omnis gratiæ et sanctitatis fons, auctorque Christus Dominus.

Parochus igitur summum studium in eo ponat, ut cum

ipse venerabile hoc Sacramentum, qua decet reverentia, debitoque cultu tractet, custodiat, et administret; tum etiam populus sibi commissus religiose colat, sancte frequenterque suscipiat, præsertim in majoribus anni solemnitatibus.

Ideo populum sæpius admonebit, qua præparatione, et quanta animi religione ac pietate, et humili etiam corporis habitu ad tam divinum Sacramentum debeat accedere, ut præmissa sacramentali Confessione, omnes saltem a media nocte jejuni, et utroque genu flexo Sacramentum humiliter adorent, ac reverenter suscipiant : viris quantum fieri potest a mulieribus separatis.

Moneantur præterea communicantes, ut sumpto Sacramento non statim ab Ecclesia discedant, aut colloquantur, ne statim vagis oculis circumspiciant, aut expuant, neque de libro statim orationes recitent, ne Sacramenti species de ore decidant, sed, qua par est devotione, aliquantisper in oratione permaneant, gratias agentes Deo de tam singulari beneficio, atque etiam de sanctissima Passione Dominica, in cujus memoriam hoc mysterium celebratur et sumitur.

Curare porro debet, ut perpetuo aliquot particulæ consecratæ eo numero, qui usui infirmorum et aliorum fidelium communioni satis esse possit, conserventur in pyxide ex solida decentique materia, eaque munda, et suo operculo bene clausa, albo velo cooperta, et quantum res feret, ornato in tabernaculo, clave obserato.

Hoc autem tabernaculum conopeo decenter opertum, atque ab omni alia re vacuum, in Altari majori vel in alio, quod venerationi et cultui tanti Sacramenti commodius ac decentius videatur, sit collocatum; ita ut nullum aliis sacris functionibus, aut Ecclesiasticis officiis impedimentum afferatur. Lampades coram eo plures, vel saltem una, die noctuque perpetuo colluceat; curabitque Parochus,

ut omnia ad ipsius Sacramenti cultum ordinata, integra mundaque sint, et conserventur.

Sanctissimæ Eucharistiæ particulas frequenter renovabit. Hostiæ vero, seu particulæ consecrandæ sint recentes, et ubi eas consecraverit, veteres primo distribuat, vel sumat.

Fideles omnes ad sacram Communionem admittendi sunt, exceptis iis, qui justa ratione prohibentur. Arcendi autem sunt publice indigni; quales sunt excommunicati, interdicti, manifesteque infames, ut meretrices, concubinarii, fœneratores, magi, sortilegi, blasphemi, et alii ejus generis publici peccatores, nisi de eorum pœnitentia et emendatione constet, et publico scandalo prius satisfecerint.

Occultos vero peccatores, si occulte petant, et non eos emendatos agnoverit, repellat, non autem si publice petant, et sine scandalo ipsos præterire nequeat.

Amentibus præterea, seu phreneticis communicare non licet : licebit tamen, si quando habeant lucida intervalla, et devotionem ostendant, dum in eo statu manent, si nullum indignitatis periculum adsit.

Ita etiam iis, qui propter ætatis imbecillitatem nondum hujus Sacramenti cognitionem et gustum habent, administrari non debet.

DE COMMUNIONE PASCHALI.

Curet autem Parochus, ut in Quadragesima per se, vel per alios concionatores populo opportune denuntietur Constitutio Concilii Lateranensis sub Innocentio III, quæ sic habet :

Omnis utriusque sexus Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio Sacerdoti, et injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter, ad minus in Pascha, Eucharistiæ

Sacramentum, nisi forte de consilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum : alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, et moriens Christiana careat sepultura.

Ut igitur hoc salutare Concilii decretum inviolabiliter servetur, descripta Parochus habeat nomina suorum Parochianorum; et qui dicto tempore non communicaverint, et post Octavam Paschæ eos, qui propriæ salutis immemores sæpius admoniti non obtemperaverint, Ordinario suo denuntiet.

Dabit quoque operam Parochus, quoad fieri potest, ut in ipso die sanctissimo Paschæ communicent; quo die ipse per se, nisi legitime impediatur, parochiæ suæ Fidelibus hoc Sacramentum ministrabit.

Alienæ vero parochiæ Fideles ad proprium Parochum remittet, præter peregrinos et advenas, et qui certum domicilium non habent : quibus ipse sacram præbebit Communionem, si accesserint rite parati; vel ubi est ea consuetudo, eos ad Cathedralis Ecclesiæ Parochos remittet. In cæteris vero servabit ea, quæ in libro de statu animarum, ut infra, præscribuntur.

Ægrotis quoque parochialibus, etiamsi Communionem extra præscriptos Paschales dies sumpserint, in Paschalibus diebus illam deferet, ac ministrabit.

DE COMMUNIONE INFIRMORUM.

Viaticum sacratissimi Corporis Domini nostri Jesu Christi summo studio ac diligentia ægrotantibus, opportuno tempore, procurandum est, ne forte contingat illos tanto bono, Parochi incuria, privatos decedere.

Cavendum autem in primis est, ne ad indignos cum aliorum scandalo deferatur, quales sunt publici usurarii, concubinarii, notorie criminosi, nominatim excommunicati, aut denuntiati, nisi sese prius sacra Confessione pur-

gaverint, et publicæ offensioni, prout de jure, satisfecerint.

Hortetur Parochus infirmum, ut sacram Communionem sumat, etiam si graviter non ægrotet, aut mortis periculum non immineat, maxime si Festi alicujus celebritas id suadeat, neque ipse illam ministrare recusabit.

Pro Viatico autem ministrabit, cum probabile est, quod eam amplius sumere non poterit. Quod si æger, sumpto Viatico, dies aliquot vixerit, vel periculum mortis evaserit, et communicare voluerit, ejus pio desiderio Parochus non deerit.

Potest quidem Viaticum brevi morituris dari non jejunis; id tamen diligenter curandum est, ne iis tribuatur, a quibus ob phrenesim, sive ob assiduam tussim, aliumve similem morbum, aliqua indecentia cum injuria tanti Sacramenti timeri potest. Cæteris autem infirmis, qui ob devotionem in ægritudine communicant, danda est Eucharistia ante omnem cibum et potum, non aliter ac cæteris Fidelibus, quibus nec etiam per modum medicinæ ante aliquid sumere licet.

Sed alicui ad adorandum solum, seu devotionis seu cujusvis rei prætextu ad ostendendum non deferatur.

Deferri autem debet hoc sanctum Sacramentum ab Ecclesia ad privatas ægrotantium domos decenti habitu, superposito mundo velamine, manifeste atque honorifice, ante pectus cum omni reverentia et timore, semper lumine præcedente.

Parochus igitur processurus ad communicandum infirmum, aliquot campanæ ictibus jubeat convocari Parochianos, seu Confraternitatem SS. Sacramenti, ubi fuerit instituta, seu alios pios Christi Fideles, qui sacram Eucharistiam cum cereis, seu intorticiis comitentur, et umbellam, seu baldachinum, ubi haberi potest, deferant.

Præmoneat, ut ægri cubiculum mundetur, et in eo paretur mensa linteo mundo cooperta, in quo SS. Sacramen-

tum decenter deponatur. Parentur luminaria, ac duo vascula, alterum cum vino, alterum cum aqua. Præterea linteum mundum ante pectus communicandi ponatur, atque alia ad ornatum loci, pro cujusque facultate.

Ubi vero convenerint, qui Eucharistiam comitaturi sunt, Sacerdos indutus superpelliceo et stola, et, si haberi potest, pluviali albi coloris, Acolythis, seu Clericis, aut etiam Presbyteris, si locus feret, superpelliceo pariter indutis comitatus, decenter, et de more acceptas aliquot particulas consecratas, vel unam tantum, si longius, aut difficilius iter sit faciendum, ponat in pyxide, seu parva custodia, quam proprio suo operculo cooperit; et velum sericum superimponit : ipse vero Sacerdos, imposito sibi prius ab utroque humero oblongo velo decenti, utraque manu accipiat vas cum Sacramento, et deinde umbellam, seu baldachinum subeat, nudo capite processurus.

Præcedat semper Acolythus, vel alius minister deferens laternam (noctu autem hoc Sacramentum deferri non debet, nisi necessitas urgeat); sequantur duo Clerici, vel qui illorum vices suppleant, quorum alter aquam benedictam cum aspersorio, et bursam cum corporali, quod supponendum erit vasculo SS. Sacramenti super mensa in cubiculo infirmi, et cum linteolo purificatorio ad digitos Sacerdotis abstergendos ; alter hunc librum Ritualem deferat, et campanulam jugiter pulset. Succedant deinde deferentes intorticia ; postremo Sacerdos Sacramentum gestans elevatum ante pectus sub umbella, dicens Psalmum *Miserere*, et alios Psalmos, et Cantica.

Quod si longius, aut difficilius iter obeundum sit, et fortasse etiam equitandum necesse erit vas, in quo Sacramentum defertur, bursa decenter ornata, et ad collum appensa, apte includere, et ita ad pectus alligare, atque adstringere, ut neque decidere, neque pyxide excuti Sacramentum queat.

Quod si ob difficultatem, aut longitudinem itineris, vel quia ea qua decet veneratione, Sacramentum ad Ecclesiam commode reportari non potest, sumpta fuerit una tantum particula consecrata, ut dictum est, tunc ea infirmo administrata, Sacerdos, prædictis precibus recitatis, cum manu benedicit, et una cum aliis privato habitu, extinctis luminibus, umbella demissa, latente pyxide, ad Ecclesiam vel domum quisque suam revertatur.

V. DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

Extremæ Unctionis Sacramentum a Christo Domino institutum, tanquam cœlestis medicina, non animæ solum, sed etiam corpori salutaris, omni studio ac diligentia, periculose ægrotantibus adhibendum est, et eo quidem tempore, si fieri possit, cum illis adhuc integra mens et ratio viget, ut ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam, ipsi etiam suam fidem ac piam animi voluntatem conferre possint, dum sacro liniuntur Oleo.

In quo illud in primis ex generali Ecclesiæ consuetudine observandum est, ut si tempus et infirmi conditio permittat, ante Extremam Unctionem, Pœnitentiæ et Eucharistiæ Sacramenta infirmis præbeantur.

Habeat igitur Parochus loco nitido et decenter ornato, in vase argenteo seu stanneo, diligenter custoditum sacrum Oleum infirmorum, quod in singulis annis Feria V in Cœna Domini ab Episcopo benedictum, veteri combusto, renovandum est. Id tamen, si forte infra annum aliquo modo ita deficiat, ut sufficere non posse videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico oleo non benedicto in minori quantitate superinfuso, reparari potest.

Oleum porro ipsum vel per se solum, vel in bombacio, seu re simili servari potest; sed ad evitandum effusionis periculum multo commodius ad infirmos defertur in bombacio.

Debet autem hoc Sacramentum infirmis præberi, qui

cum ad usum rationis pervenerint, tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur; et iis, qui præ senio deficiunt, et in diem videntur morituri etiam sine alia infirmitate.

Infirmis autem, qui, dum sana mente et integris sensibus essent, illud petierint, seu verisimiliter petiissent, seu dederint signa contritionis, etiam si deinde loquelam amiserint, vel amentes effecti sint, vel delirent, aut non sentiant, nihilominus præbeatur.

Sed si infirmus, dum phrenesi aut amentia laborat, verisimiliter posset quidquam facere contra reverentiam Sacramenti, non inungatur, nisi periculum tollatur omnino.

Impœnitentibus vero, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, et excommunicatis, et nondum baptizatis, penitus denegetur.

Non ministretur etiam prælium inituris, aut navigationem, aut peregrinationem, aut alia pericula subituris, aut reis ultimo snpplicio mox afficiendis, aut pueris rationis usum non habentibus.

Si quis autem laborat in extremis, et periculum immineat ne decedat antequam finiantur Unctiones, cito ungatur, incipiendo ab eo loco : *Per istam sanctam Unctionem, etc.*, ut infra : deinde, si adhuc supervivat, dicantur Orationes prætermissæ suo loco positæ.

Si vero dum inungitur, infirmus decedat, Presbyter ultra non procedat, et prædictas orationes omittat.

Quod si dubitet an vivat adhuc, Unctionem prosequatur, sub conditione pronuntiando formam, dicens : *Si vivis, per istam sanctam Unctionem*, etc., ut infra.

Si autem acciderit, infirmum post peccatorum suorum confessionem ad exitum vitæ properare, tunc cum sacro Viatico poterit et Oleum infirmorum ad eum deferri per ipsum Sacerdotem, qui defert sacram Eucharistiam. Si tamen alius Presbyter, vel Diaconus, qui Oleum sanctum

deferat, haberi possit, per ipsum deferatur, qui superpelliceo indutus, cum Oleo sacro occulte delato sequatur Sacerdotem Viaticum portantem; et postquam infirmus Viaticum sumpserit, inungatur a Sacerdote.

In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit, ut si cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis inciderit.

Quinque vero corporis partes præcipue ungi debent, quas veluti sensuum instrumenta homini natura tribuit, nempe oculi, aures, nares, os, et manus: attamen pedes etiam et renes ungendi sunt; sed renum unctio in mulieribus, honestatis gratia, semper omittitur; atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non potest. Sed sive in mulieribus, sive in viris, alia corporis pars pro renibus ungi non debet.

Manus vero, quæ reliquis infirmis interius ungi debent, Presbyteris exterius ungantur.

Dum oculos, aures, et alia corporis membra, quæ paria sunt, Sacerdos ungit, caveat, ne alterum ipsorum inungendo, Sacramenti formam prius absolvat, quam ambo hujusmodi paria membra perunxerit.

Si quis autem sit aliquo membro mutilatus, pars loco illi proxima inungatur, eadem verborum forma.

Hujus autem Sacramenti forma, qua Sancta Romana Ecclesia utitur, solemnis illa precatio est, quam Sacerdos ad singulas unctiones adhibet, cum ait:

Per istam sanctam Unctionem, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per visum, sive per auditum, etc., deliquisti.

ORDO MINISTRANDI SACRAMENTUM EXTREMÆ UNCTIONIS.

SACERDOS igitur Sacramentum ministraturus, quatenus fieri poterit, parari curet apud infirmum mensam mappa candida coopertam, itemque vas, in quo sit bombacium, seu quid simile in septem globulos distinctum,

ad abstergendas partes inunctas, medullam panis ad detergendos digitos; et aquam ad abluendas Sacerdotis manus; cercam item candelam, quæ deinde accensa ipsi ungenti lumen præbeat. Denique operam dabit, ut quanta poterit munditia ac nitore hoc Sacramentum ministretur.

Deinde convocatis Clericis seu ministris, vel saltem uno Clerico, qui Crucem sine hasta, aquam benedictam cum aspersorio, et librum Ritualem deferat, ipse Parochus decenter accipit vas sacri Olei infirmorum sacculo serico violacei coloris inclusum, illudque caute deferat, ne effundi possit. Quod si longius iter peragendum, aut etiam equitandum sit, vel alias adsit periculum effusionis, vas olei sacculo aut bursa inclusum, ut dictum est, ad collum appendat, ut commodius et securius perferat. Procedat autem sine sonitu campanulæ.

Cum perventum fuerit ad locum ubi jacet infirmus, Sacerdos intrans cubiculum dicit : *Pax huic domui.*

℟. *Et omnibus habitantibus in ea.*

Deinde deposito Oleo super mensam, superpelliceo stolaque violacea indutus, ægroto Crucem pie deosculandam porrigit; mox in modum Crucis cum aqua benedicta, et cubiculum, et circumstantes aspergit, dicens Antiphonam : *Asperges me, Domine, etc.* Quod si ægrotus voluerit confiteri, audiat illum, et absolvat. Deinde piis verbis illum consoletur, et de hujus Sacramenti vi, atque efficacia, si tempus ferat, breviter admoneat; et quantum opus sit, ejus animam confirmet, et in spem erigat vitæ æternæ.

Postea dicat ℣℣. ut in Rituali.

Antequam Parochus incipiat ungere infirmum, moneat adstantes, ut pro illo orent, et ubi commodum fuerit, pro loco et tempore, et adstantium numero, vel qualitate, recitent septem Psalmos Pœnitentiales cum Litaniis, vel alias preces, dum ipse Unctionis Sacramentum administrat.

Deinde intincto pollice in Oleo sancto, in modum Crucis ungit infirmum in partibus hic subscriptis, aptando proprio loco verba formæ in hunc modum.

Minister vero, si est in Sacris, vel ipsemet Sacerdos, post quamlibet Unctionem, tergat loca inuncta novo globulo bombacii, vel rei similis, eumque in vase mundo reponat, et ad Ecclesiam postea deferat, comburat, cineresque projiciat in Sacrarium.

Unctio autem ad lumbos, ut dictum est, omittitur semper in feminis, et etiam in viris, qui ob infirmitatem vix, aut sine periculo moveri non possunt.

Ad extremum, pro personæ qualitate, salutaria monita breviter præbere poterit, quibus infirmus ad moriendum in Domino confirmetur, et ad fugandas dæmonum tentationes roboretur.

Denique aquam benedictam, et Crucem, nisi aliam habeat, coram eo relinquat, ut illam frequenter aspiciat, et pro sua devotione osculetur et amplectatur.

Admoneat etiam domesticos et ministros infirmi, ut si morbus ingravescat, vel infirmus incipiat agonizare, statim ipsum Parochum accersant, ut morientem adjuvet, ejusque animam Deo commendet: sed si mors immineat, priusquam discedat, Sacerdos animam Deo rite commendabit.

Quæ autem pertinent ad visitationem curamque infirmorum, et adjuvandos morientes, ad Commendationem animæ, et ad Exequias, infra suis locis præscribuntur.

VI. DE VISITATIONE ET CURA INFIRMORUM.

Parochus in primis meminisse debet, non postremas esse muneris sui partes, ægrotantium curam habere. Quare cum primum noverit quempiam ex Fidelibus curæ suæ commissis ægrotare, non expectabit ut ad eum vocetur, sed ultro ad illum accedat; idque non semel tantum, sed sæpius, quatenus opus fuerit; horteturque parochiales suos,

ut ipsum admoneant, cum aliquem in Parochia sua ægrotare contigerit, præcipue si morbus gravior fuerit.

Ad hoc juvabit, præsertim in amplis Parochiis, ægrotorum notam, seu catalogum habere, ut cujusque statum et conditionem cognoscat, eorumque memoriam facilius retinere, et illis opportune subvenire possit.

Quod si Parochus legitime impeditus, infirmorum, ut quando plures sunt, visitationi interdum vacare non potest : id præstandum curabit per alios Sacerdotes, si quos habet in Parochia sua, aut saltem per laicos homines pios, et christiana charitate præditos.

Ægrotos visitans, ea, qua Sacerdotes Domini decet, honestate et gravitate se habeat, ut non ægris solum, sed sibi et domesticis verbo et exemplo prosit ad salutem.

Eorum vero præcipuam curam geret, qui humanis auxiliis destituti, benigni ac providi Pastoris charitatem et operam requirunt. Quibus si non potest ipse succurrere de suo, et eleemosynas illis, prout debet, si facultas suppetit, erogare, quantum fieri potest, sive per charitatis vel alterius nominis Confraternitatem, si in ea civitate vel loco fuerit, sive per privatas, sive per publicas collectas et eleemosynas, illorum necessitatibus succurrendum curabit.

In primis autem spiritualem ægrotantium curam suscipiat, omnemque diligentiam in eo ponat, ut in via salutis eos dirigat, atque a diabolicis insidiis salutarium adjumentorum præsidio defendat, ac tueatur.

Accedat autem ad ægrotum ita paratus, ut in promptu habeat argumenta ad persuadendum apta, ac præsertim Sanctorum exempla, quæ plurimum valent : quibus eum in Domino consoletur, excitet, ac recreet. Horteturque ut omnem spem suam in Deo ponat, peccatorum suorum pœniteat, divinam misericordiam imploret, et infirmitatis pœnas, tanquam paternam Dei visitationem, patienter

ferat, et ad salutem suam provenisse credat, ut vitam moresque suos melius instituat.

Deinde qua par est prudentia et charitate, hominem ad sacram Confessionem inducat, et confitentem audiat, etiam si velit totius vitæ peccata confiteri; ac si opus fuerit, tam infirmo, quam ejus familiaribus vel propinquis in memoriam revocet, quod Lateranensis Concilii ac plurium Summorum Pontificum decretis cavetur sub gravibus pœnis, ne medici ultra tertiam vicem ægrotos visitent, nisi prius ipsis certo constet, illos Confessionis Sacramento rite expiatos fuisse.

Illud præterea diligenter servari curabit, ne quis pro corporali salute aliquid ægroto suadeat, vel adhibeat, quod in detrimentum animæ convertatur.

Ubi vero periculum immineat, Parochus monebit ægrotum, ne dæmonum astutia, neque medicorum pollicitationibus, neque propinquorum aut amicorum blanditiis se ullo modo decipi sinat; quominus ea, quæ ad animæ salutem pertinent, opportune procuret, et qua par est devotione et celeritate, sancta Sacramenta, dum sana mens est integrique sensus, religiose suscipiat, citra fallacem illam ac perniciosam procrastinationem, quæ plurimos ad æterna supplicia perduxit, in diesque fallente diabolo, perducit.

Quod si æger aliquis hortationibus ac monitis Sacerdotum vel amicorum et domesticorum consiliis adduci non potest, ut velit peccata sua confiteri, tunc non omnino desperanda res est, sed quandiu ille vivit, repetendæ sunt frequenter variæ et efficaces Sacerdotum et aliorum piorum hominum exhortationes; proponendaque æternæ salutis damna, et sempiternæ mortis supplicia; ostendendaque immensa Dei misericordia, eum ad pœnitentiam provocantis, ad ignoscendum paratissimi. Adhibendæ sunt etiam tum privatæ, tum publicæ ad Deum preces,

ad divinam gratiam impetrandam pro salute miseri decumbentis.

Videbit denique Sacerdos, quibus potissimum tentationibus, aut pravis opinionibus æger sit subjectus, eique, prout opus fuerit, apta remedia prudenter adhibebit.

Sacras Imagines Christi Domini crucifixi, beatæ Mariæ Virginis, et Sancti, quem æger præcipue veneratur, ob oculos ejus apponi curabit. Vasculum item adsit aquæ benedictæ, qua frequenter aspergatur.

Proponet etiam ægrotanti, prout ejus conditio feret, aliquas Orationes, et pias mentis ad Deum excitationes; præsertim versiculos e Psalmorum libro, vel Orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam, Symbolum Fidei, vel Passionis Domini nostri meditationem, et Sanctorum martyria et exempla, ac cœlestis gloriæ beatitudinem. Hæc tamen opportune et discrete suggerantur, ne ægroto molestia, sed levamen afferatur.

Consoletur infirmum, dicens se pro eo in Missæ sacrificio et aliis precibus oraturum, curaturumque ut alii itidem pro eo faciant, idque re ipsa præstabit.

Si morbus gravior, vel cum periculo fuerit, ægroto suadeat, ut dum integra mente est, rem suam omnem recte constituat, et testamentum faciat; si quid habeat alienum, restituat, et ad remedium animæ suæ pro facultatibus, quod in Domino ei placuerit, disponat : sed hæc suggerendo, omnis avaritiæ nota caveatur.

Hortetur denique, ut si convaluerit, ante omnia ad Ecclesiam veniat, ubi Deo gratias agat de restituta valetudine, et sacram Communionem pie suscipiat, ac deinceps meliorem vitæ disciplinam teneat.

IN EXPIRATIONE.

Cum vero tempus expirandi institerit, tunc maxime ab omnibus circumstantibus, flexis genibus, vehementer orationi instandum est. Ipse vero moriens, si potest, di-

cat, vel si non potest, assistens, sive Sacerdos pro eo clara voce pronuntiet : JESU, JESU, JESU. Quod, et ea quæ sequuntur, ad illius aures, si videbitur, etiam sæpius repetat. *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. Domine Jesu Christe, suscipe spiritum meum. Sancta Maria, ora pro me. Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu me ab hoste protege, et hora mortis suscipe.*

Tunc ubi viget pia consuetudo, pulsetur campana Parochialis Ecclesiæ aliquibus ictibus, ad significandum fidelibus in urbe, vel loco, aut extra in suburbanis existentibus, instantem mortem expirantis, ægroti, ut pro eo Deum rogare possint. *Cantus prout in Rituali.*

Interim detur campana signum transitus defuncti pro loci consuetudine, ut audientes pro ejus anima Deum precentur. Deinde corpus de more honeste compositum, loco decenti cum lumine collocetur : ac parva Crux super pectus inter manus defuncti ponatur, aut ubi Crux desit, manus in modum Crucis componantur, interdumque aspergatur aqua benedicta, et interim donec efferatur, qui adsunt, sive Sacerdotes, sive alii, orabunt pro defuncto.

VII. DE EXEQUIIS.

SACRAS Cæremonias ac ritus, quibus ex antiquissima traditione, et Summorum Pontificum institutis sancta mater Ecclesia Catholica in filiorum suorum exequiis uti solet, tanquam vera religionis mysteria, Christianæque pietatis signa, et fidelium mortuorum saluberrima suffragia, Parochi summo studio servare debent, atque usu retinere.

His itaque præstandis, qua par est modestia ac devotione ita se habebunt, ut ad defunctorum salutem, simulque ad vivorum pietatem, quemadmodum vere sunt, non ad quæstum, ejusmodi ritus sancti instituti esse videantur.

Nullum corpus sepeliatur, præsertim si mors repentina

fuerit, nisi post debitum temporis intervallum, ut nullus omnino de morte relinquatur dubitandi locus.

Quod antiquissimi est instituti, illud, quantum fieri poterit, retineatur, ut Missa, præsente corpore defuncti, pro eo celebretur, antequam sepulturæ tradatur.

Si quis die festo sit sepeliendus, Missa propria pro defunctis præsente corpore celebrari poterit; dum tamen Conventualis Missa, et Officia divina non impediantur, magnaque diei celebritas non obstet.

Caveant omnino Parochi, aliique Sacerdotes, ne sepulturæ, vel exequiarum, seu anniversarii Mortuorum officii causa quidquam paciscantur, aut tanquam pretium exigant; sed iis eleemosynis contenti sint, quæ aut probata consuetudine dari solent, aut Ordinarius constituerit. Neque permittant, ut pallia, aut alia Altaris ornamenta ad ornatum feretri, vel tumbæ adhibeantur.

Cum autem antiquissimi ritus Ecclesiastici sit, cereos accensos in exequiis et funeribus deferre, caveant item, ne ejusmodi ritus omittatur, ac ne quid avare, aut indigne in eo committatur.

Pauperes vero, quibus mortuis nihil aut ita parum superest, ut propriis impensis humari non possint, gratis omnino sepeliantur; ac debita lumina suis impensis, si opus fuerit, adhibeant Sacerdotes, ad quos defuncti cura pertinet, vel aliqua pia Confraternitas, si fuerit, juxta loci consuetudinem.

Ubi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in Cœmeteriis, retineatur; et ubi fieri potest, restituatur: at vero cui locus sepulturæ dabitur in Ecclesia, humi tantum detur. Cadavera autem prope altaria non sepeliantur.

Sepulchra Sacerdotum, et Clericorum cujuscumque Ordinis, ubi fieri potest, a sepulchris laicorum separata sint, ac decentiori loco sita; atque ita, ubi commodum fuerit, ut alia pro Sacerdotibus, alia pro inferioris Ordinis Ecclesiæ ministris parata sint.

Sacerdos, aut cujusvis Ordinis Clericus defunctus, vestibus suis quotidianis communibus usque ad talarem vestem inclusive, tum desuper sacro vestitu Sacerdotali, vel Clericali, quem Ordinis sui ratio deposcit, indui debet. Sacerdos quidem super talarem vestem, amictu, alba, cingulo, manipulo, stola, et casula seu planeta violacea sit indutus.

Diaconus vero induatur amictu, alba, cingulo, manipulo, stola super humerum sinistrum, quæ sub axilla dextera annectatur, et dalmatica violacea.

Subdiaconus autem amictu, alba, cingulo, manipulo et tunicella.

Alii præterea inferiorum Ordinum Clerici superpelliceo supra vestem talarem ornari debent, singuli prædicti cum tonsura, ac biretis suis.

Nullum porro cadaver perpetuæ sepulturæ traditum, ex ulla cujusvis Ordinis Ecclesia asportari liceat, nisi de licentia Ordinarii.

Laici cadaver, quolibet generis aut dignitatis titulo præditus ille fuerit, Clerici ne deferant, sed laici.

Corpora defunctorum in Ecclesia ponenda sunt pedibus versus Altare majus; vel si conduntur in Oratoriis, aut Capellis ponantur cum pedibus versis ad illarum Altaria : quod etiam pro situ et loco fiat in sepulchro. Presbyteri vero habeant caput versus Altare.

Cæterum nemo Christianus in communione fidelium defunctus, extra Ecclesiam, aut cœmeterium rite benedictum sepeliri debet; sed si necessitas cogat ex aliquo eventu aliquando ad tempus aliter fieri, curetur, ut quatenus fieri poterit, corpus in locum sacrum quamprimum transferatur; et interim semper Crux capiti illius apponi debet, ad significandum illum in Christo quievisse.

QUIBUS NON LICET DARE ECCLESIASTICAM SEPULTURAM.

Ignorare non debet Parochus, qui ab Ecclesiastica sepultura ipso jure sunt excludendi, ne quemquam ad illam contra sacrorum Canonum decreta unquam admittat.

Negatur igitur Ecclesiastica sepultura Paganis, Judæis, et omnibus infidelibus; hæreticis, et eorum fautoribus; apostatis a Christiana fide; schismaticis, et publicis excommunicatis majori excommunicatione; interdictis nominatim, et iis, qui sunt in loco interdicto, eo durante;

Seipsos occidentibus ob desperationem, vel iracundiam, non tamen si ex insania id accidat, nisi ante mortem dederint signa pœnitentiæ;

Morientibus in duello, etiam si ante obitum dederint pœnitentiæ signa;

Manifestis et publicis peccatoribus, qui sine pœnitentia perierunt;

Iis de quibus publice constat, quod semel in anno non susceperunt Sacramenta Confessionis, et Communionis in Pascha, et absque ullo signo contritionis obierunt;

Infantibus mortuis absque Baptismo.

Ubi vero in prædictis casibus dubium occurrerit, Ordinarius consulatur.

EXEQUIARUM ORDO.

Constituto tempore quo corpus ad Ecclesiam deferendum est, convocetur Clerus, et alii, qui funeri interesse debent, et in Parochialem, vel in aliam Ecclesiam, juxta loci consuetudinem, ordine conveniant; ac datis certis campanæ signis, eo modo et ritu, quo in eo loco fieri solet, Parochus indutus superpelliceo et stola nigra, vel etiam pluviali ejusdem coloris, Clerico præferente Crucem, et alio aquam benedictam, ad domum defuncti una cum aliis procedit. Distribuuntur cerei, et accenduntur intorticia.

Mox ordinatur Processio, præcedentibus laicorum Confraternitatibus, si adsint; tum sequitur Clerus regularis, et secularis per ordinem; binique procedunt, prælata Cruce, devote Psalmos, ut infra, decantantes, Parocho præcedente feretrum cum luminibus; inde sequuntur alii funus comitantes, et pro defuncto Deum rite deprecantes sub silentio, etc. *Prout in Rituali.*

Deinde a Sepultura in Ecclesiam, vel in Sacristiam revertentes, dicant sine cantu Antiphonam *Si iniquitates*, cum Psalmo *De profundis*, etc., *Requiem æternam*, etc.

Si vero ob rationabilem causam, videlicet ob temporis angustiam, vel aliorum funerum instantem necessitatem, prædictum Officium Mortuorum cum tribus Nocturnis et Laudibus dici non potest, deposito in Ecclesia feretro cum corpore, dicatur saltem primum Nocturnum cum Laudibus, vel etiam sine Laudibus, maxime ubi ejusmodi viget consuetudo, incipiendo ab Invitatorio *Regem, cui omnia vivunt, Venite, adoremus.* Et postea omnia alia dicantur, quæ supra præscripta sunt dicenda post Officium Mortuorum, et Missam.

Quod si etiam ea fuerit temporis angustia, vel alia urgens necessitas, ut unum Nocturnum cum Laudibus dici non possit, aliæ prædictæ preces et suffragia nunquam omittantur.

Missa vero, si hora fuerit congruens ritu pro defunctis, ut in die obitus, præsente corpore, non omittatur, nisi obstet magna diei solemnitas, aut aliqua necessitas aliter suadeat : et post Missam fiat, ut supra.

OFFICIUM DEFUNCTORUM.

Dicitur in choro in die depositionis, et aliis diebus, pro temporis opportunitate, et Ecclesiarum consuetudine, ut supra dictum est. In die vero depositionis, et tertio, septimo, trigesimo, et anniversario, duplicantur Antiphonæ, et in fine Psalmorum dicitur : *Requiem æternam*

dona eis, Domine : et lux perpetua luceat eis, etiam si pro uno tantum fiat Officium. *Ut in Rituali et in Breviario.*

DE OFFICIO FACIENDO IN EXQUIIS, ABSENTE CORPORE DEFUNCTI, ET IN DIE TERTIO, SEPTIMO, TRIGESIMO, ET ANNIVERSARIO.

Si faciendæ sint Exequiæ absente corpore, eo die, quo bene visum fuerit, in Ecclesia dicatur Officium Mortuorum, cum tribus Nocturnis, et Laudibus, et Antiphonis duplicatis, vel saltem unum Nocturnum cum tribus Lectionibus, et Laudibus et Missa. Post Missam, Celebrans deponit manipulum et planetam, accipit pluviale nigri coloris, et præcedentibus Subdiacono cum Cruce et Clero, et duobus Ceroferariis cum luminaribus accensis, et duobus Acolythis, uno cum navicula incensi et thuribulo, et altero cum vasculo aquæ benedictæ et aspersorio, et hoc libro Rituali, accedit cum Diacono a sinistris ad locum tumuli, et ibi a circumstante Clero cantatur ℣. *Libera me, Domine*, etc. Interim ministratur incensum, benedicitur, et imponitur in thuribulum.

Postea dicitur : *Kyrie, eleison, Christe, eleison, Kyrie, eleison.* Sacerdos dicit *Pater noster*, et dum secreto dicitur, accipit aspersorium, circuit tumbam, aspergens, deinde incensat eodem modo, ut dictum est.

Postea dicit : *ut in Rituali.*

Si Officium fuerit pro pluribus defunctis, Oratio et ℣. dicantur in plurali numero : si fuerit mulier, in genere feminino : si fuerit Sacerdos, vel Episcopus, in Oratione exprimitur nomen dignitatis, etc.

Prædictus autem Officii ritus pro defunctis adultis tam Sacerdotibus et Clericis, quam secularibus et laicis, servari debet in Officio sepulturæ in die depositionis, sive in die tertio, septimo, trigesimo, et anniversario.

DE EXEQUIIS PARVULORUM.

In primis admonendi sunt Parochi, ut juxta vetustam et laudabilem Ecclesiarum consuetudinem, Parvulorum corpuscula non sepeliantur in communibus et promiscuis cœmeteriorum et Ecclesiarum sepulturis; sed ut pro illis in Parochialibus Ecclesiis, et illarum cœmeteriis, quatenus commode fieri potest, speciales et separatos ab aliis loculos et sepulturas habeant, seu fieri curent, in quibus non sepeliantur, nisi qui baptizati fuerint infantes, vel pueri, qui ante annos discretionis obierunt.

In funere Parvulorum ut plurimum non pulsantur campanæ; quod si pulsentur, non sono lugubri, sed potius festivo pulsari debent.

ORDO SEPELIENDI PARVULOS.

Cum igitur infans, vel puer baptizatus defunctus fuerit ante usum rationis, induitur juxta ætatem, et imponitur ei corona de floribus, seu de herbis aromaticis et odoriferis, in signum integritatis carnis et virginitatis; et Parochus superpelliceo et stola alba indutus, et alii de Clero, si adsint, præcedente Cruce, quæ sine hasta defertur, accedunt ad domum defuncti, cum Clerico aspersorium deferente. Sacerdos aspergit corpus, deinde dicit : *ut in Rituali.*

VIII. DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Parochus admonitus de aliquo Matrimonio in sua Parochia contrahendo, primum cognoscat ex his ad quos spectat, qui et quales sint, qui Matrimonium contrahere volunt : An inter eos sit aliquod canonicum impedimentum : Utrum sponte, libere, et secundum honestatem Sacramenti velint contrahere : Utrum sint in ætate legitima, ut vir saltem quatuordecim, mulier duodecim annos ex-

pleverit; et uterque sciat rudimenta Fidei, cum ea deinde filios suos docere debeant.

Noverit ex probatis auctoribus, quæ sint canonica impedimenta Matrimonii contrahendi, et quæ contractum dirimant; et qui sint gradus consanguinitatis et affinitatis, et item cognationis spiritualis ex Baptismi vel Confirmationis Sacramento contractæ.

Habeat in primis ipse bene cognita præcepta illa omnia, quæ in Matrimoniis rite conficiendis servari oportere, sacri Canones, et præcipue sancta Synodus Tridentina jussit; dabitque operam, ut illa in Parochia sua accurate, exacteque serventur.

Præsertim vero meminerit, Matrimonia inter raptorem et raptam, dum ipsa in raptoris potestate manserit, inita, necnon clandestina, et quælibet Matrimonia, quæ aliter quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi vel Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus contrahuntur, ex ipsius Concilii decretis, irrita omnino ac nulla esse.

Est autem proprius Parochus, qui adesse debet, is, in cujus Parochia Matrimonium celebratur, sive viri, sive mulieris.

Caveat præterea Parochus, ne facile ad contrahendum Matrimonium admittat vagos ac peregrinos, et qui incertas habent sedes; neque item eos, qui antea conjugati fuerunt, ut sunt uxores militum, vel captivorum, vel aliorum qui peregrinantur; nisi diligenter de iis omnibus facta inquisitione, et re ad Ordinarium delata, ab eoque habita de ejusmodi Matrimonii celebrandi licentia, quæ gratis concedatur.

Antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho continuis diebus festis in Ecclesia intra Missarum solemnia, ad ipsius Concilii præscriptum, publice denuntietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum.

Si vero vir, et mulier Parochiæ sint diversæ, in utraque Parochia fiant denuntiationes : quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum apponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii procedatur. Sed si quid obstat, ultra Parochus non procedat.

Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, vel alia rationabilis causa subsit, arbitrio Episcopi, Matrimonium malitiose impediri posse, si tot præcesserint denuntiationes, tunc de licentia Ordinarii, vel una tantum fiat denuntiatio, vel saltem Parocho, et duobus, vel tribus testibus præsentibus, Matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant : ut si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur, nisi aliter Ordinarius ipse expedire judicaverit.

Has autem denuntiationes Parochus facere non aggrediatur, nisi prius de utriusque contrahentis libero consensu sibi bene constet.

Si vero infra duos menses post factas denuntiationes Matrimonium non contrahatur, denuntiationes repetantur, nisi aliter Episcopo videatur.

Denuntiationes autem fiant hoc modo. Inter Missarum solemnia Parochus populum admoneat in hanc sententiam vulgari sermone :

Notum sit omnibus, hic præsentibus quod N. vir, et N. mulier, ex tali, vel tali familia et Parochia, Deo adjuvante, intendunt inter se contrahere Matrimonium. Proinde admonemus omnes et singulos, ut si quis noverit aliquod consanguinitatis, vel affinitatis, aut cognationis spiritualis, vel quodvis aliud impedimentum inter eos esse, quod Matrimonium contrahendum invicem impediat, illud quamprimum nobis denuntiare debeat; et hoc admonemus primo, si fuerit prima, vel *secundo*, si fuerit secunda, vel *tertio*, si fuerit tertia denuntiatio.

Moneat Parochus conjuges, ut ante benedictionem Sacerdotalem in templo suscipiendam, in eadem domo non

cohabitent, neque Matrimonium consumment, nec etiam simul maneant, nisi aliquibus propinquis, vel aliis præsentibus; quæ benedictio a nullo alio, quam ab ipso Parocho, seu ab alio Sacerdote de ipsius Parochi, vel Ordinarii licentia, fieri debet.

Caveat etiam Parochus, ne quando conjuges in primis nuptiis benedictionem acceperint, eos in secundis benedicat, sive mulier, sive etiam vir ad secundas nuptias transeat. Sed ubi ea viget consuetudo, ut si mulier nemini unquam nupserit, etiam si vir aliam uxorem habuerit, nuptiæ benedicantur, ea servanda est. Sed viduæ nuptias non benedicat, etiam si ejus vir nunquam uxorem duxerit.

Matrimonium in Ecclesia maxime celebrari decet : sed si domi celebratum fuerit præsente Parocho et testibus, sponsi veniant ad Ecclesiam benedictionem accepturi, et tunc caveat Sacerdos, ne iterum a contrahentibus consensum exigat; sed tantum benedictionem illis conferat, celebrata Missa, ut infra dicetur.

Admoneantur præterea conjuges, ut antequam contrahant, sua peccata diligenter confiteantur, et ad SS. Eucharistiam, atque ad Matrimonii Sacramentum suscipiendum pie accedant, et quomodo in eo recte et christiane conversari debeant, diligenter instruantur ex divina Scriptura, exemplo Tobiæ et Saræ, verbisque Angeli Raphaelis eos edocentis, quam sancte conjuges debeant convivere.

Postremo meminerint Parochi, a Dominica I Adventus, usque ad diem Epiphaniæ, et a Feria IV Cinerum, usque ad Octavam Paschæ inclusive, solemnitates nuptiarum prohibitas esse, ut nuptias benedicere, sponsam traducere, nuptialia celebrare convivia. Matrimonium autem omni tempore contrahi potest. Nuptiæ vero qua decet modestia et honestate fiant : sancta enim res est Matrimonium, sancteque tractandum.

Quæ omnia fere ex sacri Concilii Tridentini decretis

desumpta, et item alia, quæ ibi de Matrimonio rite contrahendo præcipiuntur, sunt diligenter servanda.

RITUS CELEBRANDI MATRIMONII SACRAMENTUM.

PAROCHUS igitur Matrimonium celebraturus, publicationibus factis tribus diebus Festis, ut dictum est, si nullum obstet legitimum impedimentum, in Ecclesia superpelliceo et alba stola indutus, adhibito uno saltem Clerico superpelliceo pariter induto, qui librum et vas aquæ benedictæ cum aspersorio deferat, coram tribus, aut duobus testibus, virum, et mulierem, quos parentum, vel propinquorum suorum præsentia cohonestari decet, de consensu in Matrimonium interroget utrumque singillatim in hunc modum vulgari sermone : *ut in Rituali.*

Si benedicendæ sint nuptiæ, Parochus Missam pro Sponso et Sponsa, ut in Missali Romano, celebret servatis omnibus, quæ ibi præscribuntur.

Cæterum, si quæ Provinciæ aliis, ultra prædictas, laudabilibus consuetudinibus et cæremoniis in celebrando Matrimonii Sacramento utantur, eas sancta Tridentina Synodus optat retineri.

Peractis omnibus, Parochus manu sua describat in libro Matrimoniorum nomina conjugum, et testium, et alia juxta formulam præscriptam ; idque, licet alius Sacerdos, vel a se vel ab Ordinario delegatus, Matrimonium celebraverit.

DE BENEDICTIONE MULIERIS POST PARTUM.

SI qua puerpera post partum, juxta piam ac laudabilem consuetudinem, ad Ecclesiam venire voluerit, pro incolumitate sua Deo gratias actura, petieritque a Sacerdote benedictionem, ipse superpelliceo et stola alba indutus, cum ministro aspergillum deferente, ad fores Ecclesiæ accedat, ubi illam foris ad limina genuflectentem, et can-

delam accensam in manu tenentem, aqua benedicta aspergat, deinde dicat : *ut in Rituali.*

Deinde porrigens ad manum mulieris extremam partem stolæ, eam introducit in Ecclesiam, dicens : *Ingredere,* ut in Rituali.

Et ipsa ingressa, genuflectit coram Altari, et orat, gratias agens Deo de beneficiis sibi collatis ; et Sacerdos dicit : *ut in Rituali.*

IX. DE BENEDICTIONIBUS REGULÆ GENERALES.

Noverit Sacerdos quarum rerum benedictiones ad ipsum, et quæ ad Episcopum suo jure pertineant, ne majoris dignitatis munera temere aut imperite unquam usurpet propria auctoritate.

In omni benedictione extra Missam, Sacerdos saltem superpelliceo, et stola pro ratione temporis utatur, nisi aliter in Missali notetur.

Stando semper benedicat, et aperto capite.

In principio cujusque benedictionis dicat :

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*
℟. *Qui fecit cœlum et terram.*
℣ *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

Deinde dicatur Oratio propria, una vel plures, prout suo loco notatum fuerit. Postea rem aspergat aqua benedicta, et ubi notatum fuerit, pariter incenset, nihil dicendo.

Cum Sacerdos aliquid benedicturus est, habeat ministrum cum vase aquæ benedictæ et aspergillo, et cum hoc Rituali libro, seu Missali.

Caveat, ne benedictionis causa ponat aliquid indecens super Altare, veluti esculenta ; sed quod ejusmodi est, ponatur super mensam commodo loco paratam.

Post benedictionem aquæ, Sacerdos Dominicis diebus

antequam incipiat Missam, aspergit Altare, deinde se, et ministros, ac populum, prout in Missali præscribitur.

Postea Christi Fideles possunt de ista aqua benedicta in vasculis suis accipere, et secum deferre ad aspergendos ægros, domos, agros, vineas, et alia, et ad eam habendam in cubiculis suis, ut ea quotidie et sæpius aspergi possint.

BENEDICTIO DOMORUM IN SABBATO SANCTO PASCHÆ.

PAROCHUS, seu alius Sacerdos, superpelliceo et stola alba indutus, cum ministro deferente vas aquæ ex benedictione Fontium ante perfusionem Chrismatis acceptæ; visitat domos suæ Parochiæ, aspergens eas eadem aqua benedicta.

Ingrediens domum, dicit : *ut in Rituali.*

ALIA BENEDICTIO DOMORUM ALIO TEMPORE FACIENDA CUM ASPERSIONE AQUÆ BENEDICTÆ.

PAROCHUS, seu alii Sacerdotes volentes aliquam particularem domum, vel generaliter domos Fidelium alio tempore intra annum aspergere aqua benedicta, ingredientes domum, dicant : *Pax huic domui, et omnibus habitantibus in ea.*

Deinde loca aspergendo, dicant Antiphonam : *Asperges,* ut in Rituali.

BENEDICTIO PEREGRINORUM AD LOCA SANCTA PRODEUNTIUM.

PEREGRINI, ad loca sancta profecturi, antequam discedant, juxta veteris Ecclesiæ institutum, debent accipere patentes, seu commendatitias litteras a suo Ordinario, seu Parocho. Quibus obtentis, et rebus suis dispositis, facta peccatorum suorum confessione, et audita Missa, in qua dicitur Oratio pro Peregrinantibus, SS. Eucharistiam devote suscipiant. Expleta Missa, Sacerdos super eos genuflexos dicit sequentes preces :

Antiphona, *In viam pacis.*

Canticum, *Benedictus*, in fine *Gloria Patri*.

Repetitur Antiphona, *In viam pacis*, ut in Rituali.

Quod si unus fuerit peregrinaturus, omnia dicantur in numero singulari : ac si Sacerdos ipse, qui benedicit, fuerit socius peregrinationis, dicat in persona prima numeri pluralis, quatenus congruere videbitur.

X. DE PROCESSIONIBUS.

PUBLICÆ sacræque Processiones, seu supplicationes, quibus ex antiquissimo SS. Patrum instituto Catholica Ecclesia vel ad excitandam Fidelium pietatem; vel ad commemoranda Dei beneficia, eique gratias agendas, vel ad divinum auxilium implorandum uti consuevit, qua par est religione celebrari debent; continent enim magna ac divina mysteria, et salutares Christianæ pietatis fructus eas pie exequentes a Deo consequuntur : de quibus Fideles præmonere et erudire, quo tempore magis opportunum fuerit, Parochorum officium est.

Videant in primis Sacerdotes, aliique Ecclesiastici Ordinis, ut in his Processionibus ea modestia ac reverentia tum ab ipsis, tum ab aliis adhibeatur, quæ piis et religiosis hujusmodi actionibus maxime debetur.

Omnes decenti habitu, superpelliceis, vel aliis sacris vestibus, sine galeris, nisi pluvia cogente, induti, graviter, modeste, ac devote bini suo loco procedentes, sacris precibus ita sint intenti, ut remoto risu, mutuoque colloquio, et vago oculorum aspectu, populum etiam ad pie devoteque precandum invitent.

Laici a Clericis, feminæ a viris separatæ, orantes prosequantur.

Præferatur Crux, et ubi fuerit consuetudo, vexillum sacris Imaginibus insignitum, non tamen factum militari seu triangulari forma.

Edendi ac bibendi abusum, secumque esculenta et poculenta deferendi in sacris Processionibus, agrisque

lustrandis, et suburbanis Ecclesiis visitandis, tollere Parochi studeant; ac Fideles, præsertim die Dominica, quæ proxime Rogationes antecedit quam hæc dedeceat corruptela, sæpius admoneant.

Processiones prius fieri debent, deinde Missa solemniter celebrari : nisi aliter ob gravem causam interdum Ordinario vel Clero videatur.

Processiones autem quædam sunt ordinariæ, quæ fiunt certis diebus per annum, ut in festo Purificationis B. Mariæ semper Virginis, et in Dominica Palmarum, et in Litaniis Majoribus in festo S. Marci, et in Minoribus Rogationum triduo ante Ascensionem Domini, et in festo SS. Corporis Christi, vel aliis diebus pro consuetudine Ecclesiarum.

Quædam vero sunt extraordinariæ, ut quæ variis, ac publicis Ecclesiæ de causis in dies indicuntur.

XI. DE EXORCIZANDIS OBSESSIS A DÆMONIO.

Sacerdos, seu quivis alius legitimus Ecclesiæ minister, vexatos a dæmone exorcizaturus, ea qua par est pietate, prudentia, ac vitæ integritate præditus esse debet : qui non sua, sed divina fretus virtute; ab omni rerum humanarum cupiditate alienus, tam pium opus ex charitate constanter et humiliter exequatur. Hunc præterea maturæ ætatis esse decet, et non solum officio, sed etiam morum gravitate reverendum.

Ut igitur suo munere recte fungatur, cum alia multa sibi utilia documenta, quæ brevitatis gratia hoc loco prætermittuntur, ex probatis auctoribus, et ex usu noscere studeat; tum hæc pauca magis necessaria diligenter observabit.

In primis ne facile credat, aliquem a dæmonio obsessum esse, sed nota habeat ea signa, quibus obsessus dignoscitur ab iis, qui vel atra bile, vel morbo aliquo laborant. Signa autem obsidentis dæmonis sunt : Ignota lingua loqui

pluribus verbis, vel loquentem intelligere : Distantia, et occulta patefacere : Vires supra ætatis seu conditionis naturam ostendere : et id genus alia, quæ cum plurima concurrunt, majora sunt indicia.

Hæc autem ut magis cognoscat, post unum aut alterum exorcismum interroget obsessum, quid senserit in animo vel in corpore, ut sciat etiam ad quænam verba magis diaboli conturbentur, ut ea deinceps magis inculcet ac repetat.

Advertat, quibus artibus ac deceptionibus utantur dæmones ad Exorcistam decipiendum : solent enim ut plurimum fallaciter respondere, et difficile se manifestare, ut Exorcista diu defatigatus desistat; aut infirmus videatur non esse a dæmonio vexatus.

Aliquando postquam sunt manifesti, abscondunt se, et relinquunt corpus quasi liberum ab omni molestia, ut infirmus putet se omnino esse liberatum : sed cessare non debet Exorcista, donec viderit signa liberationis.

Aliquando etiam dæmones ponunt quæcumque possunt impedimenta, ne infirmus se subjiciat exorcismis; vel conantur persuadere infirmitatem esse naturalem; interdum in medio exorcismi faciunt dormire infirmum, et ei visionem aliquam ostendunt, subtrahendo se, ut infirmus liberatus videatur.

Aliqui ostendunt factum maleficium, et a quibus sit factum, et modum ad illud dissipandum : sed caveat, ne ob hoc ad magos, vel ad sagas, vel ad alios, quam ad Ecclesiæ ministros confugiat, aut ulla superstitione, aut alio modo illicito utatur.

Quandoque diabolus infirmum quiescere, et suscipere sanctissimam Eucharistiam permittit, ut discessisse videatur.

Denique innumerabiles sunt artes et fraudes diaboli ad decipiendum hominem, quibus ne fallatur, Exorcista cautus esse debet.

Quare memor Dominum nostrum dixisse, genus esse dæmoniorum, quod non ejicitur nisi per orationem et jejunium, *Matth.* 17, hæc duo potissimum remedia ad impetrandum divinum auxilium, dæmonesque pellendos, exemplo SS. Patrum, quoad ejus fieri poterit, tum per se, tum per alios curet adhiberi.

In Ecclesiam, si commode fieri potest, vel in alium religiosum et honestum locum seorsum a multitudine perductus energumenus, exorcizetur; sed si fuerit ægrotus, vel persona nobilis, vel alia honesta de causa, in domo privata exorcizari poterit.

Admoneatur obsessus, si mente et corpore valeat, ut pro se oret Deum, ac jejunet, et sacra Confessione et Communione sæpius ad arbitrium Sacerdotis se communiat; et dum exorcizatur, totum se colligat, et ad Deum convertat, ac firma fide salutem ab eo deposcat cum omni humilitate. Et cum vehementius vexatur, patienter sustineat, nihil diffidens de auxilio Dei.

Habeat præ manibus, vel in conspectu Crucifixum. Reliquiæ quoque Sanctorum, ubi haberi possint, decenter ac tuto colligatæ et coopertæ, ad pectus vel ad caput obsessi reverenter admoveantur; sed caveatur, ne res sacræ indigne tractentur, aut illis a dæmone ulla fiat injuria. Sanctissima vero Eucharistia super caput obsessi, aut aliter ejus corpori non admoveatur, ob irreverentiæ periculum.

Exorcista ne vagetur in multiloquio, aut supervacaneis vel curiosis interrogationibus præsertim de rebus futuris et occultis, ad suum munus non pertinentibus; sed jubeat immundum spiritum tacere, et ad interrogata tantum respondere; neque ei credatur, si dæmon simularet se esse animam alicujus Sancti, vel defuncti, vel Angelum bonum.

Necessariæ vero interrogationes sunt, ut de numero et nomine spiritum obsidentium, de tempore quo ingressi

sunt, de causa, et aliis hujusmodi. Cæteras autem dæmonis nugas, risus, et ineptias Exorcista cohibeat, aut contemnat, et circumstantes, qui pauci esse debent, admoneat, ne hæc curent, neque ipsi interrogent obsessum; sed potius humiliter et enixe Deum pro eo precentur.

Exorcismos vero faciat ac legat cum imperio et auctoritate, magna fide, et humilitate, atque fervore; et cum viderit spiritum valde torqueri, tunc magis instet et urgeat. Et quoties viderit obsessum in aliqua corporis parte commoveri, aut pungi, aut tumorem alicubi apparere, ibi faciat signum Crucis, et aqua benedicta aspergat, quam exorcizando in promptu habeat.

Observet etiam ad quæ verba dæmones magis contremiscant, et ea sæpius repetat; et quando pervenerit ad comminationem, eam iterum et sæpius proferat, semper pœnam augendo; ac si videat se proficere, in ipsa perseveret per duas, tres, quatuor horas, et amplius, prout poterit, donec victoriam consequatur.

Caveat proinde Exorcista ne ullam medicinam infirmo obsesso præbeat, aut suadeat; sed hanc curam medicis relinquat.

Mulierem exorcizans, semper secum habeat honestas personas, quæ obsessam teneant, dum exagitatur a dæmonio; quæ quidem personæ sint patienti, si fieri potest, cognatione proximæ; atque honestatis memor Exorcista caveat, ne quid dicat vel faciat, quod sibi aut aliis occasio esse possit pravæ cogitationis.

Dum exorcizat, utatur sacræ Scripturæ verbis potius, quam suis, aut alienis. Jubeatque dæmonem dicere, an detineatur in illo corpore ob aliquam operam magicam, aut malefica signa, vel instrumenta quæ si obsessus sumpserit, evomat; vel si alibi extra corpus fuerint, ea revelet; et inventa comburantur. Moneatur etiam obsessus, ut tentationes suas omnes Exorcistæ patefaciat.

Si vero obsessus liberatus fuerit, moneatur, ut diligen-

ter sibi caveat a peccatis, ne occasionem dæmoni præbeat in ipsum revertendi, ne fiant novissima hominis illius pejora prioribus.

Itaque Sacerdos, sive alius Exorcista, rite confessus, aut corde peccata sua detestans, peracto si commode fieri potest, SS. Missæ sacrificio, divinoque auxilio piis precibus implorato, superpelliceo et stola violacea, cujus extrema pars ad obsessi collum circumponatur, indutus, et coram se habens obsessum ligatum, si fuerit periculum, eum, se, et astantes communiat signo Crucis, et aspergat aqua benedicta, et genibus flexis, aliis respondentibus, dicat Litanias ordinarias usque ad Preces exclusive.

In fine. Antiphona, *Ne reminiscaris*, ut in Rituali.

XII. FORMULÆ SCRIBENDÆ IN LIBRIS HABENDIS A PAROCHIS.

LIBER Baptizatorum habeatur in Ecclesiis, in quibus confertur Baptisma.

Liber Confirmatorum habeatur in Ecclesiis, in quibus confertur Chrisma.

Liber Matrimonium. Liber Status animarum. Liber Defunctorum habeatur etiam in omnibus Ecclesiis, in quibus defuncti sepeliuntur.	Hi tres habeantur a quolibet Parocho.

Advertat in primis Parochus, ut in libris tam Baptizatorum, et Confirmatorum, quam Matrimoniorum, et Defunctorum exprimat semper non solum nomen personarum, quæ ibi nominantur, sed etiam familiam.

FORMA DESCRIBENDI BAPTIZATOS IN PRIMO LIBRO.

ANNO *Domini... die... mensis..., ego N. Parochus hujus Ecclesiæ S. N. civitatis*, vel *loci N. baptizavi infantem natum die...* vel *natam ex N. et N. conjugibus hujus Parochiæ*, vel *Parochiæ S. N., et ex tali patria, et familia, cui*

impositum est nomen N. Patrini fuerunt N. filius N. ex Parochia, seu *loco N.*, *et N. conjux N. filia N. ex Parochia*, seu *loco N.*

Si infans non fuerit ex legitimo matrimonio natus, nomen saltem alterius parentis, de quo constat, scribatur (omnis tamen infamiæ vitetur occasio) : si vero de neutro non constat, ita scribatur : *Baptizavi infantem, cujus parentes ignorantur, natum die, etc.*, ut supra.

Si expositus sit infans, exprimatur quo die, ubi, et a quo repertus, et quot dierum verisimiliter sit et baptizetur sub conditione, si ignoratur fuisse baptizatum.

Si infans domi ob imminens mortis periculum baptizatus sit, tunc ita scribatur :

Anno... die... mensis... natus est N. filius N. et N. conjugum, etc., ut supra, *quem ob imminens mortis periculum, in domo rite baptizavit N. obstetrix probata*, vel *N. filius N., ut mihi retulit N.*

Si supervixerit infans, et ei adhibitæ sint in Ecclesia sacræ cæremoniæ, ita addatur :

Die... ejusdem mensis ad Ecclesiam portatus est infans prædictus, ipsique ego Parochus sacras cæremonias et preces adhibui, et N. nomen imposui.

Si forte non Parochus, sed alius baptizaverit, id exprimatur.

Si fuerit baptizatus sub conditione, *Si non es baptizatus*, etc., id pariter exprimatur.

FORMA DESCRIBENDI CONFIRMATOS IN SECUNDO LIBRO.

ANNO... *die... mensis... qui fuit dies... N. filius N. et N. conjugum*, vel *N. filia N.* (et si fuerit nupta, addatur uxor N.) *Sacramentum Confirmationis accepit a Reverendiss. D. N. Episcopo N. in Ecclesia S. N. civitatis*, vel *loci N. Compater fuit N. filius N. Parochiæ S. N. civitatis*, vel *loci N.*

Marium descriptio in una pagina, seu prima facie folii: feminarum vero in altera sejunctim notetur.

Si Confirmatus non constet, an ex legitimo Matrimonio genitus sit, vel parentes ignorentur, servetur quod in libro Baptizatorum præscriptum est.

FORMA DESCRIBENDI CONJUGATOS IN TERTIO LIBRO.

ANNO... *die... mensis... denuntiationibus præmissis tribus continuis diebus festivis, quarum prima die... secunda die... tertia die... inter Missæ Parochialis solemnia habita est, nulloque legitimo impedimento detecto, ego N. Rector hujus Ecclesiæ Parochialis N. civitatis*, vel *loci N. filium N. Parochiæ S. N. et N. filiam N.* seu *relictamque N.* (si fuerit vidua) *hujus*, seu *Parochiæ S. N. in Ecclesia N. interrogavi, eorumque mutuo consensu habito, solemniter per verba de præsenti Matrimonio conjunxi, præsentibus testibus notis N. filio N. qui habitat in Parochia S. N. et N. filio N.*, etc., *et N. filio N.*, etc., *postea eis ex ritu S. Matris Ecclesiæ* (si tamen nuptias benedixerit), *in Missæ celebratione benedixi.*

Si unus ex his, qui Matrimonium contrahere voluerint, alterius Parochiæ fuerit, antequam admittatur, Parochus, in cujus Ecclesia Matrimonium celebrari debet, denuntiationum in ejus Parochia rite factarum fidem scriptam habeat, quæ asservetur, et res tota exprimatur in ipsomet libro Matrimoniorum, hac ratione.

Denuntiationes hujus Matrimonii factæ sunt etiam a R. D. N. Parocho Ecclesiæ S. N. sub cujus cura dictus N. vel *dicta N. habitat, ut ex ipsius Parochi scripto servato apud me apparet. Denuntiationum autem prima facta est die... secunda die... tertia die... inter Missæ Parochialis solemnia, nullumque impedimentum canonicum detectum est.*

Si autem alteruter sit diversæ diœcesis, testimonium Parochi affirmantis denuntiationes esse rite præstitas, nullius roboris censeatur, nisi ab Episcopo, vel ab ejus Vicario

Generali illius diœcesis subscriptione et sigillo comprobatum, et ab Episcopo, seu ejus Vicario loci, ubi contrahitur Matrimonium, recognitum sit, ab eoque licentia contrahendi fuerit obtenta.

Ubi vero Ordinarii concessu, quod scripto constare debet, denuntiationes aliquæ differendæ, aut omittendæ interdum sint, ita notentur :

Anno Domini... die... mensis... denuntiationum una die festo rite facta, reliquis vero dilatis post Matrimonii celebrationem ex facultate scripto concessa a Reverendiss. N. seu *Vicario N. sub die... datis*, etc., *infrascripti tenoris, quam penes me servo cum aliis hujusmodi facultatibus, nulloque prorsus impedimento allato, ego*, etc., ut supra.

Denuntiationes vero, quæ post contractum Matrimonium fient, ita scribantur :

Anno... die... mensis... qui fuit festus, etc., *et sequenti, qui fuit Dominicus*, etc., *ejusdem mensis, ego N. Rector hujus Ecclesiæ* S. *N. inter Missarum solemnia, denuntiationes habui Matrimonii, jam prævia opportuna dispensatione initi inter N. et N. die prima hujus mensis, nullum tamen canonicum impedimentum ab aliquo allatum est, quo minus hujusmodi Matrimonium ratum, ac firmum esse debeat.*

Si autem denuntiationes omnes omittendæ sint, aut differendæ, ita scribantur :

Denuntiationibus omnibus omissis, vel *dilatis*, etc., *ex facultate*, etc., *ego Rector N.*, etc., ut supra.

Cæterum si alteri Presbytero ab Ordinario, vel a Parocho ipso facultas facta sit conjungendi aliquos, id in libro proprii Parochi sic adnotetur ipsius Parochi manu :

N. Presbyter, vel *Capellanus Ecclesiæ N.*, *de licentia Reverendissimi Episcopi N.* seu *N.*, *ejus Vicarii loci N.*, aut *mea quæ penes me extat, N. filium N. et N.*, etc., *in*

Matrimonium conjunxit, etc., ut supra, *Et ego N. Parochus N. subscripsi, et testor, rem ita se habere.*

Quod si ex denuntiationibus compertum sit, conjuges aliquo consanguinitatis, aut affinitatis gradu conjunctos esse, et nihilominus ad contrahendum fuerit cum ipsis Apostolica auctoritate dispensatum, adnotetur gradus consanguinitatis, vel affinitatis dispensatæ, et compendium decreti super ea relati, cum die, et anno, ac Notarii de illo rogati nomine, hoc modo :

Anno Domini... die... mensis... præmissis denuntiationibus, ac comperto impedimento secundi, vel *tertii*, aut *quarti gradus consanguinitatis*, vel *affinitatis*, seu alio quovis, etc., *inter N. et N.*, etc., *obtentoque per eos Apostolicæ Sedis mandato de dispensando, et cum eis per Reverendissimum Episcopum N. auctoritate dispensato sub die... anno... ut constat ex Actis Notarii officii prædicti Episcopi, eos Matrimonio conjunxi*, etc., ut in prædicta formula.

Denuntiationes autem factæ in diversis Parochiis, sponsi videlicet et sponsæ, ab utroque Parocho in libro notari debent etiam si Matrimonium non sequatur.

FORMA DESCRIBENDI STATUM ANIMARUM IN QUARTO LIBRO.

Familia quæque distincte in libro notetur, intervallo relicto ab unaquaque ad alteram subsequentem, in quo singillatim scribantur nomen, cognomen, ætas singulorum, qui ex familia sunt, vel tanquam advenæ in ea vivunt.

Qui vero ad sacram Communionem admissi sunt, hoc signum in margine e contra habeant : *C.*

Qui Sacramento Confirmationis sunt muniti, hoc signum habeant : *Chr.*

Qui ad alium locum habitandum accesserint, eorum nomina subducta linea notentur.

Hac igitur ratione fiat, videlicet :

Anno... die... mensis... in via, seu *platea*, vel *pago*, *in propriis ædibus Pauli N.*, vel *in ædibus N. a Paulo conductis habitant.*

Chr. Paulus N. Petri filius, annorum, etc.
Chr. Apollonia ejus uxor, filia Jacobi N., annorum, etc.
C. Dominicus eorum filius, annorum, etc.
C. Lucia eorum filia, annorum, etc.
C. Chr. Antonius filius N. famulus, annorum, etc.
C. Catharina N. filia N. ancilla, annorum, etc.
C. Martinus filius N., annorum, etc.

FORMA DESCRIBENDI DEFUNCTOS IN QUINTO LIBRO.

Describatur quis, et quæ, et cui Sacramenta ministraverit, quando quis mortuus fuerit, et ubi sepultus, quod hoc pacto fieri poterit.

Anno... die... mensis... N. filius, vel *filia N. ex loco N. ætatis N.* (si hæc scire possunt), *in domo N. in communione S. Matris Ecclesiæ animam Deo reddidit, cujus corpus die... sepultum est in Ecclesia S. N. mihi N.*, vel *N. Confessario probato confessus die... sanctissimoque Viatico refectus die... et sancti Olei unctione roboratus per me, die...*, etc.

PARS SEXTA.

EX CÆREMONIALI EPISCOPORUM EXCERPTA.

E LIBRO I.

E capite II. *De accessu et recessu Episcopi.*

1. In discessu recitabit in Ecclesia, si commode fieri poterit, sin minus, antequam equum ascendat, cum suis Clericis et familiaribus, Itinerarium; idemque observabit quotidie mane post Missam, antequam equum ascendat, quamdiu erit in itinere : et si erit Archiepiscopus, quamprimum suam Provinciam intraverit, faciat ante se deferri Crucem per aliquem ex suis Capellanis, imagine sanctissimi Crucifixi ad se versa; et sibi occurrentes subditos, qui genuflectere debent, signo Crucis super illos facto benedicet : atque ita etiam faciet Episcopus cum suam Diœcesim intraverit.

2. Præmittet etiam aliquem ex suis, qui Clerum, et alios ad quos spectat, admoneat ut processionem habendam in hujusmodi ingressu indicent; præparari faciant baldachinum in porta civitatis, et deputari qui illud portent supra Episcopum, ut inferius dicetur; vias etiam, per quas eundum erit, mundari, ac floribus vel frondibus conspergi in signum lætitiæ curent.

3. Die præstituta, Canonici et Capitulum cum toto Clero debent processionali ritu proficisci extra portam civitatis, et prope illam consistere; Magistratus vero et Officiales cum civibus et populo Episcopum in porta excipere...

4. Ordo autem procedendi erit. Equitabunt primo cives omnes, deinde familiares Episcopi, tum Magistratus et Officiales civitatis, Barones et Principes, si qui aderunt;

mox Clerus omnis pedibus incedens, præcedente sua Cruce, quem Cantores subsequentur cantantes, ut in Pontificali Romano; post hos Canonici et Capitulum Ecclesiæ; et si fuerit Archiepiscopus, antecedet Crux Archiepiscopalis, inter quam et Archiepiscopum nemo erit, nisi Dignitates et Canonici; demum Archiepiscopus, seu Episcopus mitratus equitabit sub baldachino, quod portabitur primo loco per Magistratum civitatis, deinde per nobiles cives, usque ad Ecclesiam, sive per eos quibus ex consuetudine vel ex privilegio id convenit. Ipse Episcopus memor erit populo, manu dextera aperta et extensa, frequenter benedicere, signum crucis faciens. Post Episcopum equitabunt Prælati, si qui erunt, et reliqui togati.

5. Ante portam Ecclesiæ Episcopus descendet ex equo super tapete stratum ibidem extensum, et, retenta Mitra, capiet aspersorium de manu dignioris de Capitulo antedicti, ut supra induti, quo se et alios asperget aqua benedicta, incipiendo a digniore : ac ministrante eodem, qui aspersorium obtulit, naviculam, imponet in thuribulum, quod aliquis Acolythus tenet, thus cum benedictione; tum prædictus dignior ex Capitulo, accipiens thuribulum de manu Acolythi, stans, facta prius profunda capitis inclinatione, ante Episcopum, thurificet illum stantem cum Mitra, triplici ductu thuribuli; et præcedentibus Clero, Canonicis et Dignitatibus, atque Hymnum *Te Deum laudamus*, etc., cantantibus, ad Altare Sanctissimi Sacramenti, si est aliud ab Altari majori consistet ibi Episcopus, et remoto tunc baldachino, deposita Mitra per aliquem Capellanum, aut Canonicum, si sit ante Sanctissimum Sacramentum, etiam clausum in tabernaculo, ac facta genuflexione usque ad terram ante ipsum Sanctissimum Sacramentum, genuflectet iterum super pulvino ibidem parato in genuflexorio, et orabit; deinde surget, et facta iterum reverentia cum genuflexione Sanctissimo Sacramento, accipiet Mitram, et procedet ad Altare majus,

ubi ante infimum gradum deposita Mitra, faciet Cruci, super Altare positæ, reverentiam, caput profunde inclinando, deinde genuflectet super pulvino et genuflexorio ibi parato, et orabit; et interim ille dignior, ut supra indutus, accedet ad Altare, et in cornu Epistolæ, in anteriori parte super suppedaneum, stans quasi versus orantem Episcopum; finito Hymno *Te Deum laudamus*, etc., cantabit ex libro super Altare posito Versiculum *Protector noster*, etc., et alia, prout in Pontificali Romano. Post Orationem, Episcopus surget a Faldistorio, et facta Altari reverentia, accepta Mitra, ibit ad sedem suam Pontificalem, in qua Sedens recipiet omnes Dignitates, Canonicos, et alios de Capitulo ad osculum manus, Cantoribus interim Antiphonam vel Psalmum aliquem cantantibus, vel organista organum pulsante. Deinde accedet Episcopus ad Altare, quod, deposita Mitra ante infimum gradum, et facta iterum Cruci reverentia, in medio osculabitur, et cantata prius Antiphona Sancti Tituli Ecclesiæ cum suis Versiculo et Responsorio a Choro vel Cantoribus, cantabit ipse in cornu Epistolæ Orationem ejusdem Sancti, qua finita, accipiet Mitram; ad medium Altaris revertetur, et dabit Benedictionem solemnem, cantando prout inferius habetur cap. XXV, lib. I, de forma dandi Benedictionem solemnem, etc., eo modo quo datur in fine Missæ.

6. Deinde, facta prius Cruci reverentia, assumpta Mitra, si est Archiépiscopus, vel alius Crucem ante se habens, et apud Sedem suam, depositis paramentis, et Assumpta Cappa, procedet ad locum suæ habitationis; quem dignior ille de Capitulo, dimisso Pluviali, et alii Canonici in habitu Canonicali comitentur, si habitatio erit contigua vel vicina Ecclesiæ; si vero distantior, usque ad portam ipsius Ecclesiæ. Quod si adesset aliquis magnus Princeps qui vellet Episcopum usque ad portam hospitii comitari, debebit Episcopus aliquantulum resistere; non tamen hujusmodi obsequii et pietatis officium omnino recusare,

præsertim si habitationis locus non multum distet, sed ei pro tali humanitate gratias agere.

7. Si contingeret, dum Episcopus ad suam civitatem proficiscitur, transire per aliquem locum insignem suæ Diœcesis, vel in eo hospitari, et Clerus ac Magistratus ejus loci eum honorare cupiant, permittet quidem ut ei obviam eant, etiam extra locum, et eum comitentur usque ad Ecclesiam primariam ejus loci, et, facta ibi oratione, usque ad locum ubi hospitaturus est, non mutato habitu itinerario; sed nulla fiet processio.

8. Quando vero Episcopus, post ingressum in civitatem propriam, voluerit alias civitates vel oppida insignia suæ Diœcesis visitare, conveniens erit ut prima vice recipiatur cum sacra Cleri sæcularis et regularis processione. Ipse vero non erit Mitra et Pluviali indutus, sed equitabit super mulam ornatam Pontificalibus ephippiis cum Cappa, et Galero Pontificali, et offeretur ei in porta Crux osculanda, et alia omnia fient etiam in Ecclesia, prout de civitate propria et primaria suæ Diœcesis dictum fuit.

Caput V. *De Cæremoniarum Magistris.*

1. Antequam Cæremoniarum regulæ et usus explicentur, de ipsis Cæremoniarum Magistris, quorum ministerio et cura omnia Ecclesiastica munia obeunda sunt, statuendum est. Curabit ergo Episcopus ut duo, si fieri possit, de gremio suæ Ecclesiæ, aspectu et statura corporis convenienti, et multo magis scientia et bonis moribus præditi, experti et dociles, ad hujusmodi onus assumantur, quorum primus vigesimum quintum saltem attingat annum, sitque in Presbyterali ordine constitutus, bonis artibus instructus, et, si fieri posset, juris Canonici vel Theologiæ intelligentiam habeat, divinorum Officiorum ac Rituum Ecclesiasticorum assiduus et diligens perscrutator. Is erit in primis sollicitus circa personam Episcopi,

aliarumque personarum dignitate aut nobilitate præstantium, ut eis præsto sit, si quid petant, aut si qua de re admonendi erunt : ac nihilominus omnia circumspiciat, singulorum munia perpendat.

2. Quando autem erunt celebranda Officia, quæ non ita frequenter occurrunt, et quæ solemniori ritu apparatuque peragi solent; præsertim quando ad ea accederent Magnates, ut Cardinales, Principes, Duces, et similes, per diem aut plures dies antea præsens videat, et intelligat an omnia recte disposita et ordinata sint, quæ ad celebrationem spectant; nempe an Ecclesia, Altare, Abacus, Sedes Pontificalis, Canonicorum Magistratuumque sedilia sint decenter apparata ornataque; an cætera ad ipsius celebrationis actum necessaria, ut sacræ vestes, paramenta, et vasa, candelabra, cerei, funalia, aliaque utensilia, sint suo quæque loco præparata, et congrue disposita juxta normam et regulas quæ sequentibus capitulis tradentur : nec gravetur aliquando (cum viderit necessarium) etiam suis manibus adjuvare Ministros, cæterosque omnes quorum opera uti oportebit; præmoneat atque instruat quos opus fuerit, exhibitis etiam schedulis; si quid enim erroris accidat, aut incaute fiat, ipsi uni Cæremoniario imputari solet.

3. Alter vero junior, qui saltem in sacro Ordine sit constitutus, præcipuam curam geret circa personam Celebrantis, ac Ministrorum illius; cumque opus erit aliquos ducere aut reducere, faciat id modeste et discrete, submissa voce, ac solo nutu, si fieri possit, quæcumque agenda sint, demonstrans; non discurrat velociter, non caput volvat, aut manus jactet indecenter : caveat demum ne in suis actibus affectationis vitio notetur, sed quidquid aget cum gravitate et congruenti mora, ac cum decoro corporis gestu, ita peragere curabit, ut cæteris devotionem et reverentiam pariat, ipseque ab omnibus commendari mereatur; unus tamen alterius defectum, cum opus erit, modestia ac si-

lentio corrigere et supplere studeat; ambo simul conveniant, antequam in ipso rei gerendæ actu sint; prævideant quæ sint agenda, ac onera inter se partiantur, concordesque sint, ne reprehendi ab aliis jure possint, qui docere et instituere omnes debent. Satius enim est unum quam plures esse, nisi fuerint concordes.

4. Eorum habitus sit honestus et Clericalis, ipsaque vestis inferior, ubi commode fieri possit, coloris violacei, super quam, dum divina Officia celebrantur, Cottam mundam induent. Ad eorum quoque officium spectabit, præsertim ubi non adest particularis Magister Chori, curare ut intra Chorum nulla fiant colloquia, nec sint qui risu aliove incomposito seu minus modesto actu, rem divinam turbent; non qui cum cæterorum scandalo dormiant; litteras aut alias scripturas legant; sed nec libros aut ipsum Breviarium, aut Diurnum in manibus habeant, aut ex illis privatim Horas aut Orationes recitent, sed illas alta voce, una cum Choro dicant aut cantent, et ad id librum habere permittantur; ne quis gestum aliquem ab aliis differentem demonstret, ut cum alii stant, aliquis sedeat, vel genuflectat, vel e contra; sed detur opera ut omnes uniformi ritu attente, devote et reverenter divinis mysteriis atque officiis assistere, eaque toto cordis affectu admirari et contemplari videantur, ac silentium diligenter servetur.

5. Quæ omnia, ut sine contradictione quietius perficiantur, Episcopi cura erit omnes, tam Canonicos quam alios de Choro præmonere, ut ipsis Cæremoniariis, in his quæ ad cultum divinum spectant, sine contradictione obediant; nec tantum eorum verbis acquiescant, sed ut oculos in ipsos convertentes observent; et illico illius nutu, aut levi aliquo signo, vel intuitu; quid agendum sit significantibus, statim pareant.

6. Alia vero nonnulla, quæ ad ipsum Cæremoniarii officium spectant, velut thuribulum deferre ad Episcopum, et ad Altare ducere et reducere Diaconum et Subdiaconum,

aliosque omnes, tam majores quam minores ministros, quorum opera in re sacra aut alibi requiritur, inferius suis quæque locis in operis cursu exponentur. Si Ecclesia sit ampla, et numero Clericorum ac Beneficiatorum abundans, possent arbitrio Episcopi, aut juxta consuetudines Ecclesiarum, aliqui ex ejusdem Ecclesiæ gremio subministri adhiberi, qui in aliquibus casibus, tam in Choro quam extra, ipsos Cæremoniarios adjuvarent; velut indicendo silentium populo, atque occurrendo, quoad valerent, tumultui et scandalis quæ forte in ipsa Ecclesia oriri possent; atque etiam circumspiciendo per totam Ecclesiam, ne quid indecenter fiat; neque exstinguantur lampades et cerei; aut ne flamma ex cereis ultra modum profluat; vel quid indecorum super Altaribus aut aliis in locis eveniat.

7. Item viros a mulieribus, cum commode fieri potest, distinguendo et separando, ordinem sessionum inter laicos advertendo, eosque admonendo, quando surgere, sedere, vel genuflectere debeant, aliaque hujusmodi præveniendo et operando, prout opportunum erit : atque a dictis duobus Cæremoniariis, cum opus erit, admonebuntur; quibus præterea subditi et obedientes esse debeant, et ut ab omnibus cognoscantur, eorumque officium commodius ac majori cum auctoritate exercere et exsequi valeant, posset eis concedi usus aliquarum ferularum serico vel panno tectarum, cum aliquibus ornamentis, aut insignibus Sancti Patroni, vel Ecclesiæ, vel Episcopi, componendarum, quas semper manibus gestarent.

8. Ut autem ipsi Cæremoniarum Magistri necessariis rebus pro victu et vestitu juxta eorum statum non indigeant, animumque diversis curis et perturbationibus defatigare et distrahere non cogantur, sed a cunctis aliis negotiis remoti, omni studio, et diligentia, ac toto pectore in commissam ipsis curam, et munus suum facilius incumbere possint, providebit Episcopus ut ipsis constituatur ali-

quod certum et competens stipendium; et insuper, ut eis applicentur emolumenta aliqua extraordinaria; item aliquibus privilegiis et prærogativis decorentur, ut promptiori animo, suo muneri satisfaciant, ac libros necessarios sibi parare possint; videlicet, Pontificale, Cæremoniale Romanum, Cæremoniale Episcoporum, librum de mysteriis Missæ Innocentii Papæ III, Rationale divinorum Officiorum, Joannem, Stephanum Durantum de Ritibus Ecclesiasticis, diversosque alios auctores de Officiis divinis, tam antiquos quam recentiores, aliosque plures quos sibi opportunos judicabunt, ut non solum actione et opere sint parati, sed etiam, cum opus fuerit, de his, quæ fiunt, rationem reddere, quoad ejus fieri possit, valeant.

Caput VI. *De Sacrista.*

1. Officium Sacristæ in singulis Ecclesiis cathedralibus et Collegiatis pernecessarium est : idcirco in Sacristam eligendus est, qui ad hujusmodi officium fideliter et strenue exercendum idoneus et aptus merito censeri possit. Assumendus autem est de gremio ipsius Ecclesiæ, vel aliunde, prout magis expedire videbitur, qui in Sacerdotali ordine sit constitutus, et cui præsto esse debebunt alii Clerici coadjutores, plures vel pauciores, pro Ecclesiæ necessitate et facultatibus.

2. Ejus præcipua cura erit ut paramenta sacra, vasa, libri, cerei, ornamenta instrumentaque pro usu Ecclesiæ et Altarium, ac reliqua præterea supellex Ecclesiastica sana, integra et munda conserventur, eaque, cum attrita aut lacera erunt, renovari aptarique procuret. Sed in primis, ubi alias talis cura peculiariter non sit commissa alteri, diligentissime curabit ut ea, quæ ad Sacrosanctæ Eucharistiæ cultum et honorem spectant, nitide conserventur, locusque, seu Tabernaculum, ubi custoditur diligentissime et fidis clavibus obseretur; lampades circa il-

lam perpetuo ardeant : illaque saltem semel in hebdomada mutetur et renovetur; ad infirmos debita cum reverentia et honore deferatur. Pariter et circa Fontem Baptismalem et sacri Chrismatis, aliorumque sacrorum Oleorum conservationem, diligentissimam curam adhibebit, juxta præscriptam sibi ab Episcopo et aliis ad quos spectat normam. Et quod ad sacrum Oleum infirmorum attinet, procuret illud in vase ad aliis separato custodiri, illudque solum ab aliis sejunctum ab ungendos ægrotos deferri. Idem et de sacris Sanctorum Reliquiis dicitur, ut scilicet fideliter et honorifice asserventur. Aqua benedicta singulis saltem hebdomadis renovetur, ac denique, ut tota Ecclesia, et singula illius Sacella, et Altaria semper munda et nitida sint, nec per incuriam obsordescant.

3. Curabit etiam pro tempore, dierumque festorum qualitate, ut ea decenter ornentur, prout latius infra cap. XII hujus libri dicetur. Cum Missæ et cætera divina officia solemniter celebranda erunt, sive per Episcopum, sive per alios, ipse peculiarem curam geret ut Altare majus, credentia, tribuna, Chorus, et Secretarium, ubi Episcopus sacris vestibus paratur, necessariis rebus et ornamentis, quæ in eodem capitulo exprimuntur, instruantur opportune, ne eorum aliqua deesse contingat; in quibus perquirendis ex exspectandis, indecenter atque incommode tempus non teratur. Aderit apud Altare in cornu Epistolæ, cum Oblato erunt offeranda; et prægustabit de hostia, vino et aqua, porrigente Diacono. Ad eum etiam spectat ut per Campanarum sonum indicentur horæ Vesperarum, Matutinarum, et Missæ, ac reliquarum Horarum canonicarum; item cum in Missa majori elevatur Sanctissimum Sacramentum, vel quando illud ad infirmos deferendum est : et ut matutino, meridiano, ac vespertino tempore diebus singulis, salutationis Angelicæ signum detur. Demum, ut ab ipsa Sacristia laicorum nimia frequentia, in-

decentes sermones, jurgia, rixæ, actusque profani removeantur, diligentiam adhibeat; ut Sacerdotes Missas celebraturi opportuno tempore, et ordine exeant, pro populi personarumque concursu.

4. Ad ipsum spectabit eleemosynas, quæ pro Missis celebrandis dantur, custodire, et adnotare in libris Sacristiæ, et inter illos, ad quos spectat, distribuere. Habeatur tabella in qua descriptæ sint Missæ et Anniversaria, infra annum statutis diebus celebranda, ut omni exacta diligentia benefactorum intentioni satisfiat. Invigilet idem Sacrista ut mantilia, pro manibus Sacerdotum, qui celebraturi sunt, in promptu habeantur, eaque sint munda et nitida : omniaque alia providere studeat, quæ secundum Ecclesiæ ritum et consuetudinem providenda erunt. Ut vero magis accurate tam Sacrista quam ipsius adjutores munus suum adimpleant, optime factum erit, si unus, vel duo ex Canonicis eis præficiantur singulis annis, vel sæpius uti plus expedire videbitur, mutandi, ut sic per vices majorem de rebus Ecclesiæ suæ notitiam assequantur.

E CAPITE XI. *Ministri de Thuribulo, de Candelabris.*

7. QUINTUS minister Acolythus, thuribulum et naviculam incensi ministraturus, debet aliquanto cæteris robustior eligi, quo pondus illorum sustentare possit; eaque debet elevatis æqualiter manibus tenere, videlicet, thuribulum dextera, pollice in annulum majorem immisso, medio vero ejusdem manus digito minorem annulum catenulæ elevanti, coopertorium thuribuli appositum reget et sustinebit; sinistra manu pedem naviculæ cum incenso et cochleari caute gestabit, Cottam super brachia prius reflectens, ne forte contingat illam cum thuribulo aut navicula implicari, aut comburi. Quo autem loco et ordine incedere, stare, vel genuflectere cum aliis ministris, ad Evangelium euntibus et redeuntibus, debeat, et de aliis

quæ ad suum officium spectant, suo tempore a Cæremoniariis docendus erit.

8. Acolythi duo ceroferarii debent et ipsi robusti, et in statura, quantum fieri potest, æquales eligi, ut lumina æqualiter teneant et deferant; cumque sumpturi sunt candelabra, accipient quidem manu dextera, ita ut, qui a parte dextera incedit, ponat manum sinistram ad pedem candelabri, dexteram vero ad medium candelabri globum, et qui incedit a parte sinistra, ponat dexteram ad pedem, sinistram ad eumdem globum : cumque reverentias erunt facturi, illas æqualiter et eodem tempore faciant : ac denique eundo, stando ac redeundo, in omnibus actibus inter seipsos et cum aliis ministris se conforment, prout per Cæremoniarium admonebuntur. Quod si, dum cantatur Evangelium, genuflectendum sit, ac propterea omnes genuflectant, ipsi stabunt simul cum Subdiacono librum tenente, ac si immobiles essent.

Caput XII. *De Ornatu Ecclesiæ.*

1. Quia regulariter in Ecclesia solemnia sacra peraguntur, consentaneum est ut de hujus ornatu, ac de Officiis et Sacrificiis, quæ ibidem fiunt, sermo nunc habeatur. Igitur habenda est ratio, in iis ordinandis, temporis, et loci, ac personarum. Decet enim ut in diebus festis splendidior appareat quam in aliis non festivis, eoque magis quo ipsi dies festivi erunt solemniores. Sic major etiam cura adhibenda erit in ornatu Ecclesiæ Cathedralis aut Collegiatæ, quæ et numerosum Clerum habeat, et supellectilem amplam, quæve congruenter situata, et in suis partibus apte distincta, commodiorem ordinandi præbeat facultatem.

2. Personarum etiam, quæ ad Ecclesias in celebritatibus conveniunt, et divinis Officiis præsunt aut intersunt, dignitas, prout major vel minor erit, majorem minoremve apparatum exposcit.

3. Si igitur festivitas erit præcipua, et de solemnioribus illius Ecclesiæ, primum a parte exteriori ornandæ erunt valvæ ipsius floribus, ramis et frondibus virentibus, bracteolis, aut fasciis diversi coloris appensis, vel colligatis, quo splendidius pro locorum consuetudine ac temporum qualitate fieri poterit; supra vero portæ superliminare imago Sancti, vel Sanctorum quorum dies festus agitur, pariter ornata, et sub illis insignia Summi Pontificis, Legati, Cardinalium, aut Nuntii Apostolici, Episcopi, Reipublicæ, Principis aut Civitatis, pro libito ponentur, servando in eorum positione ordinem dignitatum : inferioris vero ordinis hominum, maxime laicorum, insignia non sunt apponenda.

4. Si Ecclesia habebit porticum, congruum erit etiam illam pannis aliis pulchris ex serico, sive ex corio, ex aliave honesta materia confectis seu elaboratis, prout haberi poterunt, exornari; in quibus tamen picturæ intextæ, seu pictæ non sint profanæ vel indecentes; quod est in aliis pannis, in apparatu interiori et exteriori Ecclesiæ observandum erit, et maxime ut non ponantur ibidem ullæ effigies, nisi Sanctorum vel Summorum Pontificum.

5. Intus quoque, si fieri poterit, parietes Ecclesiæ similiter aulæis, tribunæ vero aulosericis, aut nobilioribus cortinis coloris cæterorum paramentorum, pro festi qualitate contegantur.

6. In primis autem Sedes Episcopalis aliquanto etiam pulchrioribus sericis ornetur, ejusdem coloris festivitati congruentis. Similiter et Sedes Legati Apostolici, aut alterius Cardinalis, qui forte sacris Officiis interesse debeat, ornamentis condecentibus præparabitur.

7. Subsellia quoque pro Prælatis, Canonicis, Magistratibus, Magnatibus, nobilibusque laicis, pro Ecclesiarum, locorum consuetudine commoditateque ornari decet.

8. Cum Episcopus est venturus ad Ecclesiam, prius præparandum est faldistorium, seu genuflexorium accommo-

datum ad genuflectendum ante Altare Sanctissimi Sacramenti, et ante majus, panno viridi seu violaceo, pro qualitate temporum, coopertum; sed si Episcopus erit Cardinalis, serico, vel panno rubei vel violacei coloris, prout erunt vestes ipsius Cardinalis, pro temporum diversitate; appositis pulvinaribus superius et inferius, super quæ Episcopus genuflexus orabit. Aliud simile ante Altare, seu alium locum, ubi est Sanctissimum Sacramentum : quod diversum esse solet ab Altari majori, et ab eo in quo Episcopus, vel alius, est Missam solemnem celebraturus. Nam licet sacrosancto Domini nostri Jesu Christi Corpori, omnium Sacramentorum fonti, præcellentissimus ac nobilissimus omnium locus in Ecclesia conveniat, neque humanis viribus tantum illud venerari et colere unquam valeamus, quantum decet, tenemurque; tamen valde opportunum est ut illud non collocetur in majori vel in alio Altari, in quo Episcopus, vel alius, solemniter est Missam seu Vesperas celebraturus; sed in alio Sacello, vel loco ornatissimo, cum omni decentia et reverentia ponetur. Quod si in Altari majori vel alio, in quo celebrandum erit, collocatum reperiatur, ab eo Altari in aliud omnino transferendum est, ne propterea ritus et ordo Cæremoniarum, qui in hujusmodi Missis et Officiis servandus est, turbetur.

9. Quod si aliquando contingeret, coram Episcopo, vel per ipsum Episcopum celebrari, existente Sanctissimo Sacramento super Altari, quod feria quinta in Cœna Domini, et feria sexta in Parasceve, et in Missa quæ celebratur in festo Sanctissimi Corporis Christi, vel cum exponitur Oratio quadraginta horarum, ante processionem evenire solet; tunc omnes genuflexiones et reverentiæ ad unguem observari debent : et Episcopus nunquam sedere, sed stare sine Mitra, prout suis locis declaratur, et ideo non incongruum, sed maxime decens esset ut in Altari ubi Sanctissimum Sacramentum situm est, Missæ non cele-

brarentur, quod antiquitus observatum fuisse videmus : aut saltem Celebrans in eo, sive solemnes, sive planas Missas, reverentias et genuflexiones prædictas omnino observare debet. Ante Sanctissimam Eucharistiam Episcopus genuflectens, prius in plana terra, deinde super faldistorio vel genuflexorio ibidem præparato orabit, priusquam ad Altare majus se conferat; et surgens iterum genuflectet, ut prius. Ante Altare majus caput Cruci profunde inclinabit, postea genuflectet, et orabit; demum surgens, iterum caput, ut prius, inclinabit.

10. Faldistorium quoque, si eo utendum erit pro sessione Episcopi celebrantis, parum distans ab infimo gradu Altaris, a latere Epistolæ collocandum est, ita ut Episcopus celebrans, in eo sedens, habeat ad dexteram suam Altare, respiciens eamdem partem quam ipsa anterior facies Altaris respicit, sive illa versa sit ad tribunam, sive ad reliquum corpus Ecclesiæ et populum, secundum varios Altarium situs : quod quidem faldistorium coopertum sit undique ad terram serico ejusdem coloris, cujus erunt cætera paramenta, et sub dicto serico tegumento aptetur pulvinum. Regulariter autem faldistorium hujusmodi ponitur in plano, seu pavimento Presbyterii, quod totum usque ad infimum gradum Altaris convenienter deberet pannis viridibus contegi.

11. Sed si Altare haberet plures gradus, ita ut faldistorium in pavimento positum remaneret nimis depressum, posset ei supponi aliquod suggestum seu tabulatum æqualis altitudinis a terra cum infimo gradu Altaris, si super eo sessurus sit proprius Episcopus celebrans, qui tamen regulariter non in faldistorio, sed in propria Episcopali Sede stare, et sedere debet. Ipsum vero Altare majus in festivitatibus solemnioribus, aut Episcopo celebraturo, quo splendidius poterit, pro temporum tamen varietate et exigentia, ornabitur : quod si a pariete disjunctum et separatum sit, apponentur, tam a parte anteriori quam

posteriori illius, pallia aurea, vel argentea, aut serica, auro perpulchre contexta, coloris festivitati congruentis, eaque sectis quadratisque lignis munita, quæ telaria vocant, ne rugosa aut sinuosa, sed extensa et explicata decentius conspiciantur. Tum in superna linea mappæ mundæ tres saltem explicentur, quæ totam Altaris planitiem et latera contegant. Nullæ tamen coronides ligneæ circa Altaris angulos ducantur, sed eorum loco apponi poterunt fasciæ, ex auro vel serico elaboratæ ac variegatæ, quibus ipsa Altaris facies apte redimita, ornatiorque appareat. Supra vero in planitie Altaris adsint candelabra sex argentea, si haberi possunt: sin minus ex aurichalco, aut cupro aurato nobilius fabricata, et aliquanto altiora spectabilioraque his quæ cæteris diebus non festivis apponi solent, et super illis cerei albi, in quorum medio locabitur Crux ex eodem metallo, et opere præalta, ita ut pes Crucis æquet altitudinem vicinorum candelabrorum, et Crux ipsa tota candelabris superemineat cum imagine Sanctissimi Crucifixi, versa ad anteriorem Altaris faciem. Ipsa candelabra non sint omnino inter se æqualia, sed paulatim, quasi per gradus, ab utroque Altaris latere surgentia, ita ut ex eis altiora sint immediate hinc inde a lateribus Crucis posita.

12. Celebrante vero Episcopo, candelabra septem super Altari ponantur, quo casu Crux non in medio illorum, sed ante altius candelabrum in medio cereorum positum locabitur, a cujus lateribus, si haberentur aliquæ Reliquiæ, aut tabernacula cum Sanctorum Reliquiis, vel imagines argenteæ, seu ex alia materia, staturæ competentis, congrue exponi possent; quæ quidem sacræ Reliquiæ et imagines, cum sex tantum candelabra super Altari erunt, disponi poterunt alternatim inter ipsa candelabra; dummodo ipsa Altaris dispositio et longitudo id patiatur; sed et vascula cum flosculis, frondibusque odoriferis, seu serico contextis, studiose ornata adhiberi poterunt.

13. Quod si Altare parieti adhæreat, applicari poterit ipsi parieti supra Altare pannus aliquis cæteris nobilior et speciosior, ubi intextæ sint Domini nostri Jesu Christi, aut gloriosæ Virginis, vel Sanctorum imagines, nisi jam in ipso pariete essent depictæ et decenter ornatæ : desuper vero in alto appendatur umbraculum, quod baldachinum vocant, formæ quadratæ, cooperiens Altare et ipsius Altaris scabellum, coloris cæterorum paramentorum. Quod baldachinum etiam supra statuendum erit, si Altare sit a pariete sejunctum ; nec supra habeat aliquod ciborium ex lapide aut ex marmore confectum.

14. Si autem adsit tale ciborium, non est opus umbraculo, sed ipsum ciborium floribus frondibusque exornari poterit.

15. Cum Episcopus erit celebraturus Missam solemnem, ponentur omnia paramenta Pontificalia in medio Altaris ordine retrogrado, videlicet, annulus inclusus in aliqua capsula seorsum ab aliis, Planeta, Chirothecæ, Dalmatica, Tunicella, Stola, Crux pectoralis, Cingulum, Alba et Amictus; Manipulus vero in partem ibidem ponetur. Sed in Ecclesiis, ubi esset secretarium, sive locus ubi Episcopus paretur, paramenta prædicta possent ibi præparari, non autem super Altari, ut suo loco dicetur. Libri vero, Missalis, Evangeliorum, Epistolarum, tecti serico ejusdem coloris, quo cætera paramenta, cum pulvino ex eodem serico et colore, vel parvo legili argenteo, aut ligneo affabre tamen elaborato, ponuntur super credentia in cornu Epistolæ.

16. Gradus omnes Altaris inferiores cooperiantur aliquo amplo et pulchro tapete, ut, si fieri potest, sint magis conspicui et ornati quam reliqua pars presbyterii, quæ pannis viridibus contegitur. Si vero tale tapete amplum haberi non posset, saltem scabellum, seu suppedaneum, quod est proximum Altari, sit tapete aliquo coopertum; similiter et locus, qui in plerisque Ecclesiis sub Altari

majori esse solet, ubi sanctorum Martyrum corpora requiescunt, qui Martyrium seu Confessio appellatur, decet floribus, frondibusque, omnique ornamento decorari. Cætera Altaria per Ecclesiam pariter palliis concoloribus decentibusque ornentur absque coronida, et cum fascia, ut supra de majori dictum est; et habeant quælibet duo saltem candelabra cum cereis, et in medio Crucem cum imagine Crucifixi argenteam, vel ex aliquo metallo, aut cupro aurato : scabella eorum, si fieri possit, tapetibus, vel saltem pannis cooperiantur. Altare vero, vel locus ubi est repositum Sanctissimum Sacramentum, præ cæteris sumptuosius ac nitidius exornandum est.

17. Lampades quoque ardentes numero impari in Ecclesiis adsint, tum ad cultum et ornatum, tum ad mysticum sensum, ut et multa ex superius narratis pertinent. Hæ vero in primis adhibendæ sunt ante Altare, vel locum ubi asservatur Sanctissimum Sacramentum, et ante Altare majus, quibus in locis lampadarios pensiles esse decet, plures sustinentes lampades, ex quibus, qui ante Altare majus erit, tres ad minus; qui ante Sacramentum, saltem quinque lucernas habeat. Ante vero reliqua singula Altaria singulæ possunt lampades appendi; quæ quidem in præcipuis festis, saltem dum Vesperæ et Missa solemnis decantantur, continue ardeant. Ante Sanctissimum Sacramentum, si non omnes, ad minus tres accensæ tota die adsint; sed, et ante locum, et fenestellam Confessionis supradictæ, ubi consuetudo est lampadem ardere, servanda est. Possunt etiam in Altari majori, vel aliis, quæ habent ciboria, circumcirca lampades appendi.

18. Ambones, ubi Epistolæ et Evangelia decantari solent, si qui erunt, nec non et pulpitum, ubi sermo vel concio haberi solet, consentaneum est pannis sericis, ejusdem coloris cujus sunt cætera paramenta, exornari, ita tamen ut locus Evangelii pulchrius ornetur.

19. Restat ut de mensa, seu abaco, quam credentiam

vocant, pauca subjiciamus. Ea vero in Missis tantum solemnibus præparari solet a latere Epistolæ in plano Presbyterii, si loci dispositio patiatur, atque a pariete parumper disjuncta; ita ut inter illam et parietem stare possent familiares Episcopi, ad manuum lotionem destinati, nisi propter loci angustiam id fieri non possit, ut supra cap. XI, § 12; quo casu fiet prout melius poterit. Ejus mensura regulariter erit palmorum octo in longitudine, in latitudine quatuor vel circa, in altitudine quinque, vel modicum ultra; lineoque mantili mundo super strato, usque ad terram circumcirca pendenti, contegetur. Super ea ponentur duo candelabra cum cereis albis, altitudinis et formæ, prout duo minora ex his, quæ super Altari posita sunt, et in ipsius medio Calix cum Patena, palla, purificatorio, et bursa corporalia continens : libri item Missales et legile, atque ibi proxime capsula cum Hostiis, pelvicula cum ampullis vini et aquæ, eaque omnia cooperientur velo pulchriori, quo uti debebit Subdiaconus, cum Patenam tenebit. Super eadem mensa apponentur Mitra pretiosa ve auriphrygiata, et altera simplex cum Bireto parvo, quod Mitræ supponitur, nec non velum pro Capellano serviente de Mitra, pelvis pro abluendis manibus, et urceus argenteus cum aqua pro manuum lotione, quatuor mappulæ ad tergendas manus, thuribulum cum navicula, et in ea cochlear et thus, cum quo possint misceri aromata bene olentia, dum tamen thuris quantitas superet : Gremiale, Caligæ et Sandalia, liber pro Psalmis legendis, ac denique omnia quæ usui esse possunt Celebranti, præter paramenta Missalia, quæ super Altari vel in secretario ponuntur, ut supra dictum fuit, et Baculum Pastoralem, qui manu ministri, ad id constituti, sustinebitur.

20. Vasa quoque argentea ampla et magnifica, si haberentur, ad ornatum adhiberi possent, maxime celebrante aliquo S. R. E. Cardinali; sed neque Crux, neque Sanctorum imagines in ea ponendæ sunt. Prope ipsam mensam

in loco opportuno, et ab oculis populi, quantum fieri potest, remoto, vel in sacristia, erit vas cum carbonibus accensis, ac forcipibus pro usu thuribuli. Funalia pariter cerea pro elevatione Sanctissimi Sacramenti ad minus quatuor, ad summum octo, item alia sex, vel septem ad summum funalia apponi possent in alto loco, in frontispicio tribunæ; maxime si celebraret aliquis S. R. E. Cardinalis, et locus esset ad id aptus.

21. Hæc ut diximus, observanda erunt in solemnioribus Ecclesiæ festivitatibus, ac celebrante Episcopo; plus autem vel minus, pro Celebrantis qualitate et gradu. Non celebrante Episcopo, sed præsente, simpliciori ordinatu erit agendum.

22. In Ecclesiis Collegiatis, ubi Episcopus nec celebrans, nec præsens est, eadem circa ornatum Ecclesiæ et Altaris conveniunt, exceptis his quæ Episcoporum sunt propria. Paramenta vero in sacristia parari convenit. Mensa multo brevior et demissior erit adhibenda, cum pauca sint in ea reponenda, nempe pelvicula cum urceolis vini et aquæ, Calix cum bursa et corporalibus, et quandoque quædam alia pro celebrationis necessitate et usu; itemque satis erit scamnum oblongum, coopertum aliquo tapete aut panno, aptari a latere Epistolæ, in quo sedeat Sacerdos celebrans cum Diacono et Subdiacono.

23. In solemnitatibus majoribus, quæ ubique per annum occurrunt, videlicet in Nativitate Domini, Paschate et Pentecoste, etc., eadem erunt servanda, nisi quod valvæ, porticus et parietes Ecclesiæ non ornantur regulariter; sed, si in aliquibus Ecclesiis consuetudo esset tunc quoque ornandi, retinenda hæc erit, cum circa majorem ornatum semper sit laudabilis. Id tamen in hujusmodi festis non omittatur, ut saltem tribuna, Altare majus et alia minora, Sedes Episcopalis, abacus et ambones eadem forma ornentur.

24. Dominicis diebus, et aliis festis quibus populi ab

opere cessant, in ornatu Altarium, Sedis Episcopalis, sedium Canonicorum et aliorum, eadem, sed aliquanto partius, fieri debent, videlicet, ut paramenta non sint ita sumptuosa, coloris tamen tempori congruentis, et omnino pretiosiora illis quæ festis duplicibus minoribus, semiduplicibus et Octavis, feriis Quadragesimæ, Adventus, quatuor Temporum et Vigiliarum adhibentur : quibus quidem diebus sufficient in Altari quatuor candelæ in candelabris; sed in festis simplicibus et feriis per annum duæ. Eadem respective etiam in Collegiatis observantur.

25. Erit autem valde opportunum, ubi fieri possit, præsertim in Ecclesiis majoribus et opulentioribus, si constituatur minister aliquis, cui curæ sit ut Ecclesia continuo in omni ejus parte munda sit, et expolita tam in pavimento quam in parietibus, columnis, fornicibus et laquearibus, nec per eam discurrere permittat mendicos, canes, aut alia animalia divina Officia perturbantia. Quædam vero alia, quæ in quibusdam solemnitatibus aut Officiis specialibus requiruntur, suis locis dicentur.

E capite XV. *De campanis pulsandis et organis, Episcopo ad Ecclesiam accedente.*

4. Nisi celebretur pro Defunctis, vel in diebus ferialibus; nisi, etiam quoad dies feriales, alia sit consuetudo, Campanæ Ecclesiæ pulsabuntur, et in festis solemnibus etiam Organa.

E capite XVIII. *De Reverentiis e Clero faciendis.*

3. Regulariter quoties ipsi Canonici transeunt directe ante Altare vel ante Episcopum, caput et humeros profunde inclinant; Beneficiati autem et cæteri de Clero ge-

nuflectere debent, transeundo tam ante Altare quam ante Episcopum.

4. Si autem quispiam Canonicus superveniat, inchoato jam Officio, vel Missa, absque eo, ut aliquos salutet, vel ab aliis salutetur, statim genuflectit versus Altare, parumper orans; mox surgit, et facit reverentiam profundam Altari et Episcopo; deinde salutat Canonicos et alios de choro circumstantes, tunc, et non prius ei assurgentes et eum resalutantes, et vadit ad locum suum. Et, si forte tunc esset principium Horarum, et diceretur in choro *Deus, in adjutorium*, etc., vel *Gloria Patri*, etc., aut Hymnus, vel in Missa Oratio, aut Epistola, aut Evangelium, vel denique aliquid aliud fiat, ad quod Chorus, vel stat, vel est inclinatus, vel genuflectit per aliquam moram, exspectabit respective, stans vel inclinatus, vel genuflexus separatim in medio Chori, prout ipse Chorus, donec ea perficiantur; mox factis reverentiis et salutationibus, ut supra, ibit ad locum suum.

6. Mansionariis vero, seu Beneficiatis, et aliis de Clero supervenientibus, ut supra, facta oratione, et debita reverentia Altari, Episcopo et canonicis; nullus ex Canonicis aut ex Magistratu, vel Nobilibus supradictis assurgat, sed tantummodo alii Mansionarii, et Clerico eorum æquales vel inferiores. Et qui solent gestare Almutium, dum assurgunt, a scapulis ad brachia dimittant.

7. Illud quoque pro regula observandum erit, ut æqualiter omnes prædicti, qui de eodem corpore sunt, cum sedendum erit, sedeant; cum vero surgendum est, surgant. Sunt enim diversa corpora, seu Chori ministrantium, dum divina res solemniter celebratur; primus siquidem Chorus est assistentium et ministrantium Episcopo celebranti; alter canonicorum in suis subselliis residentium; alter Magistratuum vel Nobilium Laicorum; alter Beneficiatorum et reliquorum Clericorum.

8. Cum igitur aliquis ex assistentibus Episcopo surgit,

facturus aliquid ad officium suæ assistentiæ pertinens, pariter alii et coassistentes et ministri circumstantes surgere debent, non tamen Episcopus, et sic stare donec ille sedeat : nec ideo tunc reliqui Canonici in choro sedentes, nec alii de choro surgunt, tanquam diversi chori.

9. Similiter aliquo ex Canonicis in choro residentibus surgente, ut aliquid faciat ad publicum et commune chori officium spectans, puta cum intonatur Antiphona, seu aliquid simile, omnes alii Canonici, etiam Beneficiati, et Clerici ab utroque latere chori assurgunt, præter prædictos qui Episcopo assistunt.

12. Cum autem Episcopus surgit, singuli Chori, tam Canonicorum et Beneficiatorum, quam Laicorum, et Celebrantis consurgere debent.

13. Est et alia regula circa reverentias observanda; videlicet, cum aliquis ex Canonicis vel ministris transeundo ante Celebrantem, Altare et Episcopum, vel aliquem majorem, facturus erit plures reverentias, non inspicitur cui prius vel postea reverentia exhibeatur, sed tantum commoditas gradientis; puta, si ille discedit a Celebrante iturus ad Episcopum et transiturus ante Altare primo faciet reverentiam Celebranti, tum Altari, et ultimo loco Episcopo : et pari ratione, si discedit ab Episcopo, iturus ad Celebrantem, primo Episcopo, deinde Altari ante quod transit, ultimo Celebranti reverentiam faciet. Et breviter reverentia fieri debet semper primo ei a quo disceditur; at ultimo ei ad quem itur, nullo habito respectu quis eorum sit major.

16. Illud quoque sciendum est : quoties aliquid offertur Episcopo celebranti, aut Legato, qui rei divinæ intersint; ac etiam cum aliquid ab eis recipiatur, toties osculanda est res quæ offertur, ac deinde manus recipientis, et cum ab eisdem aliquid recipitur, primo manus, deinde res quæ recipitur : præterquam in Missis Defunctorum, in quibus talis deosculatio omittitur, ut suo loco dicitur. Idem ob-

servandum est erga alios Celebrantes, absente Episcopo.

E CAPITE XXII. *De Concione.*

2. SERMO vero regulariter infra Missam debet esse de Evangelio currenti. Quicumque sermonem habiturus, finito Evangelio, ducendus est per Cæremoniarium cum debitis reverentiis ad osculum manus Episcopi, quam, nisi fuerit Canonicus, genuflexus osculatur; Canonicus autem, stans profunde inclinatus, osculatur manum; deinde benedictionem petit, dicendo : *Jube, Domne, benedicere,* cui Episcopus respondet : *Dominus sit in corde tuo, et in labiis tuis, ut digne et fructuose annunties verba sancta sua. In nomine Patris* ✝, *et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.*

3. Accepta ab Episcopo benedictione, petit mox ab eodem Indulgentias, dicendo *Indulgentias, Pater Reverendissime,* cui Episcopus concedit Indulgentias consuetas; quibus habitis, cum debitis reverentiis recedit ac vadit ad ambonem, seu pulpitum, in quod cum conscendit, aliquantulum quiescit ac se componit, cooperiens caput, et statim capite detecto, signat se signo Crucis, et, genuflexus, recitat Salutationem Angelicam, non *Regina cœli,* etiam tempore Paschali, voce intelligibili, et devota; mox surgit, et capite cooperto incipit sermonem.

4. Inter concionem, cum convertit orationem ad Episcopum, aut Legatum ibi præsentem, caput profunde inclinat. Finito sermone, capite detecto genuflexus exspectat finem confessionis, quam facit Diaconus, et ea finita, surgit et stans in eodem pulpito, seu suggesto, publicat Indulgentias ab Episcopo concessas, et statim descendit, receditque in pace : advertat propterea, ut formam pronuntiandi Indulgentias memoriter teneat.

5. Si vero habendus sit sermo extraordinarius, velut ad publicandum aliquod Jubilæum, vel pro gratiarum actione ad Deum de aliquo felici nuntio aut publicatione fœderis, seu in Adventu alicujus maximi Principis, vel ex alia quacumque simili occasione, non debet infra Missam fieri, sed illa finita, nec tunc petitur benedictio.

6. Idem dicitur, si in Missa Defunctorum, vel in laudem alicujus magni viri defuncti habeatur; quo casu fit statim, finita Missa, antequam fiat absolutio, ut in cap. XI, lib. II, de Missa Defunctorum dicitur, et in habitu ordinario.

E capite XXIII. *De Thurificatione.*

1. Circa Thuris benedictionem hoc servandum est, ut cum Acolythus, sive Cæremoniarius affert Thuribulum cum prunis ardentibus, sinistra; naviculam autem cum Thure et cochleari, dextera, ad Episcopum, aut Celebrantem, illico adsit, vel primus Presbyter assistens, vel si Episcopus celebrans est apud Altare, Diaconus Evangelii, juxta regulas suis locis traditas, et accipit de manu prædicti Acolythi naviculam semiapertam, et cochlear in ea existens, cum osculo cochlearis, et manus Episcopalis offert eam Episcopo, dicens : *Benedicite, Pater Reverendissime.* Episcopus vero, accepto cochleari, sumit cum eo ter ex navicula Thus, illudque etiam ter in Thuribulum mittit, dicens interim : *Ab illo benedicaris, in cujus honorem cremaberis.*

2. Quo facto, ac reddito cochleari eidem ministro qui rursus manum et illud osculatur, ipse Episcopus format manu dextera signum Crucis super Thus in Thuribulo; ipse vero Acolythus Thuribulum deferens, illud portat, et, cum opus est, operculum per catenulam sursum trahit, juxta normam in capite XI hujus lib. I, § 7, positam.

3. Materies autem, quæ adhibetur, vel solum et purum

Thus esse debet suavis odoris; vel si aliqua addantur, advertatur ut quantitas Thuris longe superet.

4. Hujusmodi Thurificatio principaliter fit versus Altare, et Crucem, ac Reliquias, et imagines Sanctorum super eo positas, hoc ordine. Nam imposito et benedicto Thure, ut supra, Episcopus, vel Celebrans capit de manu Diaconi in Missa, vel de manu Presbyteris assistentis in Vesperis, Thuribulum, videlicet sinistra catenulas, quibus Thuribulum sustinetur in earum summitate, dextera vero easdem catenulas simul junctas, prope Thuribulum tenet, ac Thuribulum sustinet, ita ut illud commode ducere versus Crucem et imagines prædictas, et ad se retrahere possit; quod recte fit, si ipse Episcopus aut Celebrans, accepto Thuribulo, teneat dexteram, quo fieri potest, proximiorem ipsi Thuribulo, ita ut parvum catenularum spatium remaneat inter ipsius manum dexteram et Thuribulum, præsertim cum thurificantur Oblata; nam, si nimis Thuribulum pendeat, nec commode, nec secure, nec decore illam actionem expedire posset, et, facta Cruci profunda reverentia, thurificet illam triplici ductu.

8. Dum autem Episcopus, seu alius Celebrans prædictam Altaris thurificationem facit advertat ut se in ea graviter et decore gerat, non personam, aut caput, dum Thuribulum ducit, reducitque, movens; sinistram, quæ summitatem catenularum retinet, firmam stabilemque ante pectus tenebit; dexteram vero manum ac brachium commode ac tractim cum Thuribulo movebit; ita ut, cum Thuribulum ad se retrahit, illud sub brachio leviter et competenti mora reducat, et dum procedit thurificando Altare, eundo et redeundo, semper illum pedem prius moveat, qui proximior est Altari, totque omnino passus faciat, quot Thuribuli tractus, ut manus pedesque in motu decenter concordent.

18. Si Sanctissimum Sacramentum super Altari expositum sit, semper ab Episcopo, vel alio Celebrante genuflexo

thurificandum est triplici ductu, quod si ipsum solum Sacramentum thurificandum, ut in principio et fine Processionis feria quinta et sexta majoris Hebdomadæ, et in festo ejusdem Sanctissimi Corporis Christi, et cum ponitur Oratio Quadraginta horarum, nunquam debet ab Episcopo neque ab alio Thus benedici, sed simpliciter poni in Thuribulum, et porrigitur sine osculatione manus Episcopi : similiter, et quando per Cæremoniarium, vel Acolythum, aut Subdiaconum in elevatione thurificatur, quo casu ab eodem Acolytho, seu a quocumque alio Clerico ponitur in Thuribulum simpliciter absque benedictione.

19. Sed si thurificandum est Altare, super quo positum sit Sanctissimum Sacramentum apertum, ut in Vesperis festivitatis ejusdem Corporis Christi, tunc benedicitur Thus, sed thurificatio Sacramenti fit cum genuflexione; et quoties ante illud transit Celebrans, toties genuflectit. Cum in Missa, post thurificationem Oblatorum, Episcopi, et Canonicorum, seu Dignitatum ad ejus latus assistentium, fit generalis omnium thurificatio in Choro, omnes, præter Episcopum et dictos ejus assistentes, stant.

20. Ipsi autem, quibus Thus datur, observare solent, ut alter alterum immediate subsequentem capitis nutu modeste invitet ad thurificationem prius capiendam, sive Ecclesiastici, sive sæculares sint : et si is, qui thurificat, sit æqualis dignitatis cum eo qui thurificandus est, aut etiam majoris, invicem capite inclinato, sibi reverentias faciunt ante et post thurificationem : si vero qui thurificat minor est, ipse quidem versus majores caput profunde inclinat ante et post, illi autem parum, vel nihil versus thurificantem correspondent pro qualitate ipsius thurificantis, qui et ipse thurificando alios post Canonicos, parum, vel nihil versus eos caput inclinat, pro eorum qualitate.

21. Sed Episcopus, vel Legatus, cum thurificatur, nullatenus versus thurificantem caput, nec modicum quidem,

inclinet, sed manu dextera super eum signum Crucis faciat.

31. Demum advertere debet Thurificator, ut numerum thurificationum observet pro qualitate rerum et personarum quæ thurificantur.

32. Si vero adsit Dominus loci laicus, vel alius Princeps major, ter, ut Episcopus : Celebrans, Dignitates et Canonici, bis; cæteri, semel, ut supra, nisi rursus adessent Legatus, vel alii Cardinales, quo casu duplici ductu thurificantur, sicut Episcopus; dignitates vero et Canonici tunc unico tantum ductu thurificantur, ut proxime dictum est... Porro Nuntius Apostolicus cum feacultat Legati, Visitator Apostolicus Episcopus in loco eorum jurisdictionis triplici ductu incensantur; quemadmodum triplici ductu thurificantur Dominus loci laicus, et Princeps maximus, qui thurificari debent ab iis qui ex consuetudine hæc munia explere solent.

E capite XXIV. *De Osculo pacis.*

1. Pacis osculum alio modo, ac per diversos ministros præberi consuevit, cum scilicet Episcopus ipse celebrat solemniter Missam; aliter cum Missæ per alium Prælatum, vel non Prælatum cantatæ interest; aliter cum, ipso Episcopo absente, vel in Collegiatis Ecclesiis Missa solemnis celebratur; et demum aliter in Missa plana.

6. Regulare est ut Pax detur primo cujusque ordinis, videlicet, primo ex Canonicis Presbyteris, primo ex Canonicis Diaconis, et primo ex Canonicis Subdiaconis, ubi distinctæ sunt Præbendæ, vel, ubi Præbendæ non sunt distinctæ, primo ab utroque latere stanti, qui successive Pacem dat alteri subsequenti, et ille dat alteri : et si aderunt laici, ut Magistratus, et Barones, ac nobiles, detur illis Pax cum

instrumento, quod instrumentum osculetur prius Presbyter assistens.

8. Quando Episcopus ipse non celebrat, sed Missæ per alium celebratæ præsens fuerit, idem Presbyter assistens accipiet Pacem a Celebrante, acceptamque Episcopo deferet, qui eam duobus Diaconis assistentibus dat.


11. Absente Episcopo, ut in Ecclesiis Collegiatis, servabitur ordo, ut in Rubricis Missalis; videlicet, ut Subdiaconus, accepta Pace a Diacono, illam per Chorum distribuat; sed quicumque sit, qui Pacis osculum defert, sive Presbyter assistens, sive Capellanus, sive Subdiaconus, eadem observabit quæ de Presbytero assistente imprimis in cæremoniali dicta sunt, quoad reverentias et formam dandi osculum.

12. In Missis planis, quæ coram Episcopo dicuntur, adhiberi solet Instrumentum Pacis, ut in cap. XXX, lib. I, dicetur. Itaque ad ordinem distribuendæ Pacis ac ejus ministros quod attinet, servetur laudabilis locorum consuetudo.

Caput XXVII. *De Orationibus seu collectis.*

1. Sciendum est duos esse Orationum tonos, alterum solemnem, alterum simplicem, seu alterum festivum, alterum ferialem : et tono quidem solemni utimur in festis duplicibus et semiduplicibus, in Matutinis, Missis et Vesperis; altera simplici in ferialibus, et festis simplicibus, ac pro Defunctis, et in aliis quæ occurrunt extra Matutinum, Missas et Vesperas, etiamsi diebus solemnibus recitentur, ut in cæteris Horis Canonicis, in benedictionibus Candelarum, Palmarum, et similibus. Differentia autem inter solemnem et simplicem tonum est juxta antiquum ritum et observantiam Capellæ Papalis; quia solemnis duas tantum habet variationes, et regulariter prima variatio fit per duas notas descendendo, et


redeundo ad eumdem tonum, videlicet, ut hic demonstratur :




Et in prima clausula Orationis, quæ habet verbum, videlicet in fine dictæ clausulæ, quæ gemino puncto a sequenti clausula solet designari secundum rectam orthographiam : quemadmodum apparet ex propositæ Orationis modulatione :




Secunda variatio fit per unam notam descendendo, videlicet :




In fine secundæ clausulæ sequentis, quæ pariter, vel gemino puncto, vel puncto et virgula constat :




ac deinceps sequente clausula finali, uniformi tono sine declinatione vocis completur videlicet :



Conclusiones etiam earumdem Orationum in tono solemni diversimode variantur, prout ipsæ conclusiones diverso modo sunt conceptæ. Aut enim dicitur *Per Dominum nostrum*, etc., aut *Qui vivis et regnas*, etc. Primo casu fit variatio per unicam notam in fine primæ clausulæ sine verbo, videlicet :




In secunda vero clausula per duas notas, scilicet :



In tertia vero et ultima nulla fit variatio, prout de Oratione dictum est, nimirum :




Secundo casu, cum dicitur *Qui vivis et regnas*, etc., in qua sunt duæ tantum clausulæ, prima variatur per duas notas, videlicet :



Secunda et finalis non variatur.

Tonus vero simplex et ferialis nullam habet variationem, sed cum eo utimur, uniformi tono et voce proferimus Orationes a principio usque ad finem; et pari modo in earum conclusionibus, ut patet in sequenti modulationis exemplo :



Excipiuntur etiam ab hac regula Orationes et Versiculi, qui cantantur pro Defunctis extra Missas, ut in Vesperis et Matutinis, et aliis Officiis, in quibus in fine Orationum et Versiculorum deprimitur vox per tertiam, hoc est a *Fa* ad *Ré* in ultimis syllabis, ut pariter ex proximo alio exemplo constat :



Regulare autem est ut in utroque tono, voce gravi et competenti, interposita aliqua mora in fine cujuslibet clausulæ, et præsertim in clausula finali, cum decore et gravitate recitentur Orationes. De tonis vero Evangeliorum et Epistolarum, Capitulorum, Antiphonarum, et aliorum multorum quæ frequenter in Ecclesiis recitantur, nulla in hoc libro fit mentio, cum libri impressi reperiantur, qui de his abunde loquuntur, ut in Pontificali Romano, Sacerdotali Romano, Directorio chori, et similibus, ex quibus singuli instrui possunt. Nam hic ea tantum apposuimus quæ ad personam Celebrantis in proferendis Orationibus spectant, ob varium usum illas recitandi.

Caput XXVIII. *De Organo.*

1. In omnibus Dominicis et omnibus festis per annum occurrentibus, in quibus populi a servilibus operibus abstinere solent, decet in Ecclesia organum et musicorum cantus adhiberi.

2. Inter eas non connumerantur Dominicæ Adventus et Quadragesimæ, excepta Dominica tertia Adventus, quæ dicitur *Gaudete in Domino*, et quarta Quadragesimæ, quæ dicitur *Lætare, Jerusalem,* sed in Missa tantum; item exceptis festis et feriis infra Adventum aut Quadragesimam occurrentibus, quæ cum solemnitate ab Ecclesia celebrantur : ut die Sanctorum Matthiæ, Thomæ Aquinatis, Grego-

rii Magni, Josephi, Annuntiationis, et similibus infra Adventum et Quadragesimam occurrentibus. Item feria quinta in Cœna Domini ad Missam tantum, et Sabbato Sancto ad Missam et ad Vesperas; et quandocumque occurreret celebrare solemniter et cum lætitia pro aliqua re gravi.

3. Quotiescumque Episcopus solemniter celebraturus, aut Missæ solemni per alium celebrandæ in festis solemnioribus interfuturus, Ecclesiam ingreditur; aut, re divina paracta, discedit, convenit pulsari organum.

4. Idem fit in ingressu Legati Apostolici, Cardinalis, Archiepiscopi, aut alterius Episcopi, quem Episcopus Diœcesanus honorare voluerit, donec prædicti oraverint, et res divina sit inchoanda.

5. In Matutinis, quæ solemniter celebrantur in festis majoribus, possunt pulsari organa, prout et in Vesperis, a principio ipsorum.

6. Regulare est, sive in Vesperis, sive in Matutinis, sive in Missa, ut primus versus Canticorum et Hymnorum, et pariter versus Hymnorum, in quibus genuflectendum est, qualis est Versiculus *Te ergo quæsumus*, etc., et Versiculus *Tantum ergo Sacramentum*, etc., quando ipsum Sacramentum est super Altari, et similes, cantentur a Choro in tono intelligibili, non autem ab organo : sic etiam Versiculus *Gloria Patri*, etc., etiamsi Versiculus immediate præcedens fuerit a Choro pariter decantatus ; idem servatur in ultimis versibus Hymnorum.

7. In aliis autem Horis Canonicis, quæ in Choro recitantur, non est consuetum interponere organum. Sed si in aliquibus locis consuetum esset organa pulsari etiam inter Horas Canonicas, aut aliquas earum, ut est hora Tertia; præsertim quando cantatur, dum Episcopus, solemniter celebraturus, capit sacra paramenta, poterit aliis consuetudo servari : sed advertendum erit ut, quandocumque per organum figuratur aliquid cantari seu

responderi alternatim Versiculis Hymnorum aut Canticorum, ab aliquo de Choro intelligibili voce pronuntietur, id quod ab organo respondendum est. Et laudabile esset ut aliquis cantor conjunctim cum organo voce clara idem cantaret.

8. In Vesperis solemnibus organum pulsari solet in fine cujuslibet Psalmi; et alternatim in Versiculis Hymni, et Cantici *Magnificat*, etc., servatis tamen regulis supradictis.

9. In Missa solemni pulsatur alternatim, cum dicitur *Kyrie eleison* et *Gloria in excelsis*, etc., in principio Missæ; item finita Epistola; item ad Offertorium; item ad *Sanctus*, etc., alternatim; item dum elevatur Sanctissimum Sacramentum, graviori et dulciori sono; item ad *Agnus Dei*, etc., alternatim, et in Versiculo ante Orationem post Communionem, ac in fine Missæ.

10. Sed cum dicitur Symbolum in Missa, non est intermiscendum organum, sed illud per Chorum cantu intelligibili proferatur.

11. Cavendum autem est ne sonus organi sit lascivus aut impurus, et ne cum eo proferantur cantus qui ad Officium quod agitur non spectent, nedum profani, aut lubrici; nec alia instrumenta musicalia, præter ipsum organum, addantur.

12. Idem quoque cantores et musici observent, ne vocum harmonia, quæ ad pietatem augendam ordinata est, aliquid levitatis aut lasciviæ præ se ferat, ac potius audientium animos a rei divinæ contemplatione avocet; sed sit devota, distincta et intelligibilis.

13. In Missis et Officiis Defunctorum, nec organo, nec musica, quam figuratam vocant, utimur, sed cantu firmo; quem etiam tempore Adventus et Quadragesimæ in ferialibus diebus convenit adhiberi.

CAPUT XXIX. *De Episcopo Missam privatam celebrante.*

1. CUM Episcopus celebrabit Missam, convenit ut paramenta Missæ non de Sacristia, sed ex ipso Altari, in quo celebrabit, ordine disposita accipiat, postquam, aliquo ejus familiari ministrante, laverit manus.

2. Calix igitur, Missale, et alia necessaria prout in Rubricis Missalis Romani, et Canone Pontificali, prius per aliquem ejus Capellanum, partim super ipso Altari, partim super aliqua mensula præparabuntur. Ideo valde conveniens esset ut duos saltem Capellanos, Cottis mundis indutos, apud se ministrantes haberet qui ea omnia disponere sciant et possint.

3. Paramentis in Missa utetur coloris congruentis tempori et festis, illis tantum quæ in Rubricis Missalis pro Prælatis expressa sunt, et non aliis indumentis Pontificalibus, præter Crucem pectoralem et annulum.

4. Altare quoque, in quo celebraturus est, sit mundis tobaleis, et pallio condecenti ornatum, pro qualitate temporum et festorum. Nam in festis solemnibus decet in eo apponi quatuor candelabra cum candelis accensis, et in eorum medio erit Crux argentea, vel ex alia materia : in aliis festis non ita solemnioribus et feriis, sufficiunt duo candelabra.

5. Præfati duo Capellani servient ei in Missa, in respondendo, in transferendo librum ab uno latere Altaris ad aliud, cooperiendo et discooperiendo Calicem, cum opus fuerit, in porrigendo mantili, cum lavat manus, in ministrando ampullas, et in cæteris omnibus faciendis usque ad finem Missæ necessariis.

6. Si erunt tres Capellani, poterunt duo ex his, dum elevatur Sanctissimum Sacramentum, post Episcopum celebrantem, genuflexi a lateribus sustinere duos cereos majores accensos, tertius vero Episcopo assistere; et

cum opus erit, tintinnabulum tangere; videlicet, ter dum elevatur Hostia, et toties dum elevatur Sanguis, et non ultra.

7. Si vero non adsint tres Capellani, poterunt ad cereos supplere duo scutiferi, aut alii familiares, arbitrio Episcopi, decenter vestiti; sed, et si copia non esset eorum qui sustinerent dictos cereos, poterunt iidem positi super duobus candelabris magnis accendi, dum elevatur Corpus et Sanguis Domini, et post Communionem extingui.

8. Si forte intersit aliquis Prælatus, Cardinalis, aut Princeps hujusmodi Missæ, primus ex dictis Capellanis, postquam Episcopus celebrans dixerit *Agnus Dei*, etc., accepto instrumento Pacis argenteo, cum velo appenso, genuflexus a dextero latere Episcopo offeret osculandum, cui Episcopus dicit *Pax tecum*, et ille respondet *Et cum spiritu tuo;* deinde idem instrumentum cum Pace portat osculandum Prælato uni, vel pluribus, aut Principibus præsentibus, dicens unicuique *Pax tecum*, qui respondent *Et cum spiritu tuo*. Sed advertat ut nullatenus genuflectat, nec se inclinet, nec ullum reverentiæ signum faciat alicui ex dictis Prælatis, aut Principibus, antequam dictam imaginem eis porrexerit osculandam, sed tantum post illam osculatam, quia ante non habetur consideratio ipsius ministri deferentis, sed Pacis, quæ a Sacrificio Altaris ad illum defertur; post vero datam Pacem, convenit ministrum, pro qualitate Prælati, aut Principis, reverentiam facere genuflexum vel inclinatum.

9. Liber Evangelii, celebrante Episcopo, nulli, etiam magno Principi, aut Prælato, Missæ præsenti, datur osculandus post lectum Evangelium; sed si adesset aliquis maximus Princeps, vel S. R. E. Cardinalis, cui liber Evangelii osculandus, porrigendus esset, non utique liber Evangelii quo utitur Episcopus, sed alius liber consimilis illi porrigatur.

10. Episcopus manus bis lavat in hujusmodi Missa; vi-

delicet, post Offertorium et post Communionem; et semper in lotione, familiaris aliquis ministrat aquam et pelvim, Capellani vero mantile.

11. In fine Missæ Episcopus celebrans dabit benedictionem, more Episcopali dicens : *Sit nomen Domini benedictum*, etc., sed non utitur in ea baculo, nec Mitra, nec si sit Cruce, Archiepiscopus. Cætera omnia Episcopus celebrans servat, prout alii Sacerdotes observare consueverunt, nempe juxta Rubricas Missalis.

Caput XXX. *De Episcopo Missam audiente.*

1. Episcopus præsens Missæ per alium celebratæ, juxta ea quæ præscribuntur in Rubricis Missalis de Missa, quæ coram Episcopo celebratur, genuflectit super genuflexorio sibi parato ante medium Altaris, vel e regione in cornu Epistolæ, nisi aliud situs loci suadeat ; et sic genuflexus, audit totam Missam, nec surgit, nisi cum dicitur Evangelium, et defertur ei liber Evangeliorum deosculandus per Capellanum, Cotta indutum, qui Missæ assistit.

2. Et pariter post *Agnus Dei*, etc., ab eodem offertur ei Pacis Instrumentum, quod Episcopus osculatur : semper tamen Capellanus, sive Evangelium, sive Pacem deferens, observet ne ullam prius reverentiam faciat Episcopum versus, aut alios, quam librum aut Instrumentum Pacis osculandum præbuit.

3. Et si forte simul cum Episcopo adessent alii Prælati exteri, seu etiam ipso majores, ut Archiepiscopus, aut Cardinales, vel alii de quibus in cap. XXIII, § 28 et 29, dictum fuit, liber Evangelii dabitur osculandus semper majori seu digniori omnium; et, si essent plures æquales, nulli ipsorum; nec ipse Celebrans deosculatur. Pax vero primo digniori, deinde aliis, juxta ordinem et regulam in præcedenti cap. XXIV, lib. I, § 3, traditam. Ad Offertorium Episcopus non benedicet aquam,

nec in fine dabit benedictionem, sed Celebrans, qui antequam in fine Missæ benedicat, faciet Episcopo profundam reverentiam.

4. Et hæc intelligantur, existente Episcopo in sua Diœcesi, vel Archiepiscopo, aut Legato in sua Provincia, alias servabitur ordo Rubricarum Missalis.

E LIBRO II.

E CAPITE I. *De Vesperarum cantu.*

8. PSALMI decantari debent a Choro, et ab ipsismet Canonicis, et beneficiatis, aliisque de Capitulo in tono et cantu Gregoriano cum gravitate et decore; ita ut eorum verba ab omnibus intelligantur; sed Versiculus *Gloria Patri*, etc., poterit solemniori vocis modulatione recitari, ad quem Episcopus cum Mitra, et omnes alii, detectis capitibus, sedentes, vel, prout reperiuntur, se inclinant : et si placuerit, finito quolibet Psalmo, poterit Antiphona per organum repeti, dum tamen per aliquos mansionarios, aut alios, ad id deputatos, eadem Antiphona clara voce repetatur. Et si quis adesset, qui cum organo cantare vellet, nihil aliud cantet quam ipsam Antiphonam, ut latius in cap. XXVII, lib. I, § 7 et 8, de organo et organista, etc., explicatur.

10. Surgente autem Canonico, cui præintonatur Antiphona, Canonici, et omnes alii in Choro præsentes surgunt; sed quando præintonatur alicui ex assistentibus Episcopi, surgunt tantummodo alii coassistentes.

11. Responso per Cantores (*post capitulum*) *Deo gratias*, ducitur per Cæremoniarium aliquis Canonicus, seu alius, ad quem de Ecclesiæ consuetudine spectat, qui præintonat Episcopo, cum Mitra stanti, Hymnum; et Episcopus statim, deposita Mitra, præintonationem Hymni repetit, quem Chorus prosequitur in cantu plano, vel musicali,

prout magis placuerit; dummodo verba distincte intelligantur; cui etiam intermisceri organum poterit; dum tamen verba ipsa Hymni clara voce per aliquos, ad id deputatos, repetantur vel cum organo cantentur.

12. Si vero fuerint Hymni *Veni Creator Spiritus*, vel *Ave maris stella*, dum Episcopus intonat, omnes genuflectunt, et statim ipse quoque Episcopus ibi in suo genuflexorio ante Altare, si adest, genuflectit, sin minus in sua ipsa sede super aliquo pulvino, ad id parato, permanens in genuflexione usque ad finem primi versus; quo finito, surgit, surgentibus omnibus, et stat, quousque perficiatur Hymnus, cum Versiculo et Responsorio.

13. Dum cantatur per Chorum Antiphona ante *Magnificat*, duo Acolythi præcedunt ad Altare elevantes hinc inde anteriorem partem superioris tobaleæ, seu veli, super Altare positi, illamque conduplicant usque ad medium.

Caput III. *De Vesperis absente Episcopo.*

1. In Ecclesiis Cathedralibus, absente Episcopo, et in Collegiatis Canonicus hebdomadarius paratur in Sacristia Pluviali coloris tempori convenientis super Rocchetto, si eo utatur, aut super Cotta, et cum eo parantur quatuor, aut sex Presbyteri de gremio ipsius Ecclesiæ, non tamen Canonici; coadunatisque Canonicis et aliis de Clero, in Chorum, prædictus Canonicus celebrans procedet e Sacristia hoc ordine : præcedunt duo Acolythi deferentes candelabra cum candelis accensis, deinde Cæremoniarius, et aliqui ministri Cottis induti; mox Presbyteri, Pluvialibus parati, bini et bini; ultimo loco Canonicus celebrans, Pluviali indutus, medius inter duos ex dictis Presbyteris : qui fimbrias anteriores Pluvialis ipsius parumper elevant; parati vero procedunt manibus junctis, et cooperto capite.

2. Cum perveniunt ante Altare, stabunt autem recta linea; ceroferarii erunt omnium postremi hinc inde a late-

ribus : in eorum medio Presbyteri Pluvialibus parati, et inter ipsos medius Canonicus celebrans paratus, simulque omnes, detecto capite, genuflectent, genuflexique parumper orabunt, præter Acolythos ceroferarios, et ministros supradictos, Cottis indutos, qui statim discedunt ad latera Altaris, ibique Acolythi candelabra cum cereis extinctis super gradu, vel plano inferiori deponunt.

3. Presbyteri parati cum Canonico celebrante, postquam oraverint, surgunt, et profunde Altari caput humerosque inclinant. Si verò Sanctissimum Sacramentum in eo asservetur, denuo genuflectunt; deinde salutant ab utraque parte Chori Canonicos, capitis inclinatione.

4. Canonicus vero paratus celebrans, accedit ad scamnum, panno coopertum, in cornu Epistolæ præparatum, vel ad stallum, seu primam sedem Chori ab ea parte, quæ eidem illa hebdomada obtigerit, in qua sede ponetur pulvinum, et alterum cum tapete super alio scamno, seu genuflexorio, ante se posito, super quo etiam ponitur liber, serico coloris cæterorum paramentorum tectus; et ubi non adest tale scamnum, in aliquo legili, quod ponitur ante Celebrantem, et removetur prout opus est; quo casu tapete sternitur ante ipsum Celebrantem.

5. Sedet ibi paululum, Presbyteri vero parati stant ante eum in plano, et cum per Cæremoniarium fit signum inchoandi, ipse Canonicus celebrans surgit, surgentibus omnibus de Choro, qui secreto dicit *Pater noster*, etc., et *Ave Maria*, etc., integre; quibus dictis, elevatur ei pars dextera Pluvialis aliquantulum per Cæremoniarium vel per primum assistentem paratum, si sint in scamno; et ipse se signat signo Crucis a fronte ad pectus, dicens clara voce, et in cantu competenti *Deus, in adjutorium*, etc., prout supra, celebrante Episcopo, dictum est.

6. Tunc unus ex dictis Presbyteris paratis, facta Altari reverentia, ac ducente Cæremoniario, accedit ante ipsum Canonicum celebrantem, et illi se profunde inclinat, et ex-

pleto per Chorum Versiculo *Sicut erat*, etc., et *Alleluia* vel *Laus tibi*, *Domine*, etc., ipse stans, præintonat illi Antiphonam primi Psalmi, qua per Canonicum celebrantem repetita, ipse iterum facta reverentia ante illum et Altare, ut prius, recedit cum Cæremoniario ad sedilia in plano Chori disposita hinc inde contra Altare, et ornata panno viridi, aut tapetibus, ubi sedet cum aliis Presbyteris paratis.

7. Expleta per Chorum Antiphona, duo Cantores, Cottis induti, intonant Psalmos in medio Chori, et incepto primo versu Psalmi, omnes sedent; et sic remanent sedentes usque ad Capitulum, nisi quatenus pro intonatione Antiphonarum surgunt, ut mox dicetur.

8. Cum dicitur Versiculus *Gloria Patri*, etc., in fine cujuslibet Psalmi, omnes caput detegunt, illudque sedentes profunde inclinant, sic permanentes usque ad Versiculum *Sicut erat*, etc. Cantores duo prædicti, vel ultimus ex dictis Presbyteris, Pluvialibus paratis, si sint plures quam duo, præintonant cæteras Antiphonas Canonicis ab utraque parte Chori per ordinem, incipiendo a dignioribus; et cum aliquis ex Canonicis reassumpturus Antiphonam surgit, pariter omnes tam Canonici, quam alii de Clero surgunt, et illo sedente, sedent.

9. Finitis Psalmis, duo Acolythi simul deferentes candelabra cum candelis accensis, cum dictis Presbyteris paratis, accedunt ad Canonicum celebrantem, eique faciunt reverentiam, et hinc inde ad ejus latus assistunt in plano Chori: ipse vero Canonicus, finita Antiphona, seu sono organi, surgit, capite detecto; junctisque manibus, cantat Capitulum; et, eo finito, primus ex dictis Presbyteris paratis, accedens propius ante ejus faciem, intonat illi Hymnum; quo per eum repetito, prædicti Acolythi ac Presbyteri parati, facta Canonico reverentia, recedunt ad loca sua, ubi parati stant, manibus junctis, donec perficiatur Hymnus.

10. Quo expleto, duo ultimi ex eisdem paratis, acce-

dentes ad medium Chori ante Altare cum debita reverentia æqualiter ibi stantes, cantant simul versum voce altiori, quibus Chorus respondet : primus vero ex ipsis rediens ad Celebrantem, cum debita reverentia præintonat illi Antiphonam ad *Magnificat*, qua per Celebrantem repetita, ipse Celebrans, et alii omnes in Choro sedent : et cum inchoatur Canticum *Magnificat*, quod a duobus Cantoribus, Cottis paratis, intonatur, omnes surgunt, et ipse Celebrans, salutans hinc inde Canonicos capitis inclinatione, qui ei assurgere debent capitibus detectis, vadit ad Altare cum dictis Presbyteris paratis, ordine, quo venerant, et faciunt Altari profundam reverentiam : aut, si super eo sit Sanctissimum Sacramentum, genuflectunt ante infimum gradum : Celebrans cum duobus ex dictis paratis ascendit ad medium Altaris, quod osculatur, mox vertens se versus cornu Epistolæ Altaris, ubi thuriferarius ante eum stans inclinatus, offert illi Thuribulum apertum cum prunis ardentibus, ministrante ei Presbytero parato, a dextera illius assistente, Naviculam cum cochleari, imponit thus in Thuribulum, et benedicit more consueto; acceptoque Thuribulo de manu ejusdem Presbyteri parati, thurificat Altare debito ritu; mox Thuribulum reddit eidem Presbytero parato, a quo acceperat, et ille thuriferario : et facta Altari reverentia simul cum dictis Presbyteris paratis, ordine quo venerant, recedunt ad sua loca, salutatis iterum redeundo Canonicis, ab utraque parte Chori, ut prius.

11. Canonicus celebrans, stans in loco suo, in Choro, invitato prius ad honorem incensationis proximiore Canonico, caput inclinando, aut, si absit, Vicario Episcopi, vel alio digniori, qui immediate post eum debeat incensari, incensatur a primo ex dictis Presbyteris paratis triplici ductu Thuribuli, cum profunda capitis inclinatione ante et post incensationem.

12. Thuriferarius, vel ultimus ex assistentibus paratis, quatenus sint sex, vel quatuor, accepto de manu ejusdem

Presbyteri Thuribulo, thurificat omnes Canonicos ordine suo cum reverentiis ante et post, duplici ductu; deinde cæteros de Choro unico ductu, primo tantum in ordine, capite inclinato.

13. Advertant interim Cantores et Organista ut cantum et sonum invicem alternatim ita dimetiantur, ut ante repetitionem Antiphonæ incensatio sit expleta. Cum repetitur a Choro Antiphona, omnes sedent. Interim Acolythi duo cum Candelabris, ac cereis accensis, et Presbyteri parati accedunt ad Canonicum celebrantem, assistendo, ut supra, factis solitis reverentiis.

14. Expleta Antiphona, omnes surgunt; Canonicus vero celebrans, stans junctis manibus, cantat *Dominus vobiscum, Oremus*, et Orationem competentem cum sua conclusione, vel plures, pro qualitate temporum, secundum Regulas et Rubricas Breviarii.

15. Qua, seu quibus finitis, duo ex ultimis dictis Presbyteris paratis accedunt ad medium Chori, ad Altare versi, et ibi voce altiori cantant *Benedicamus Domino*, et redeunt ad Celebrantem, qui dicto *Fidelium animæ*, etc., si Completorium continuetur, salutatis Canonicis ab utraque parte Chori, discedit cum prædictis paratis, ordine quo venerat : si vero non sequatur Completorium, expletis a Celebrante Orationibus cum suis conclusionibus, ac eodem loci, dicto remissiori voce *Fidelium animæ*, etc., et secreto *Pater noster*, et in fine mediocri voce *Dominus det nobis suam pacem*, incipit Antiphonam B. Mariæ, stans ibidem, seu genuflectens, stantibus pariter, vel genuflectentibus omnibus, quando, juxta regulas Breviarii, standum vel genuflectendum est, pro ratione temporis, quam postea submissa voce prosequitur, et in fine dicit voce item submissa Versiculum, Orationem, et *Divinum auxilium*, etc., deinde discedit, ut supra.

16. Eodem modo et ordine semper, diebus Dominicis et festivis, quæ a populo observantur, a Canonico hebdoma-

dario, tam in Collegiatis quam in Cathedralibus Ecclesiis, absente Episcopo, Vesperarum Officia celebrantur; ea tamen moderatione adhibita, quod in festis solemnioribus, ut in Natali Domini nostri Jesu Christi, Epiphania, Paschale Resurrectionis, Ascensione, Pentecoste, in Festo Corporis Christi, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, et omnium Sanctorum, Sancti Titularis Ecclesiæ, et Patroni Civitatis, vel Ecclesiæ Dedicationis, sex Pluvialia a Presbyteris, seu Clericis totidem, hebdomadario assistentibus sumantur.

17. In aliis festis immediate subsequentibus diem Nativitatis Domini, Paschæ et Pentecostes, item in festis Circumcisionis Domini, Purificationis, Annuntiationis et Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, Sanctissimæ Trinitatis, et Sancti Joannis Baptistæ, quatuor tantum Pluvialia sumantur; in Dominicis vero et aliis festis, duo. In duplicibus autem minoribus, semiduplicibus, simplicibus et feriis, non oportet Celebrantem, seu hebdomadarium, esse paratum, nec fieri thurificationes.

Caput IV. *De Completorio.*

1. Si Episcopus Completorio interesse et Officium facere voluerit, assistet cum sua Cappa in Choro in suo loco, seu stallo, panno aliquo vel tapete cum pulvinaribus ornato.

2. Officium vero ipsius erit circa hæc; videlicet, ut dicente Cantore *Jube, Domne, benedicere*, ipse stans, respondeat *Noctem quietam*, etc., et post lectionem brevem *Adjutorium nostrum*, etc., deinde *Pater noster*, etc., tum Confessionem et absolutionem, et alia usque ad *Deus, in adjutorium*, etc., inclusive, et incepto Psalmo sedebit.

3. Cætera omnia dicentur per Chorum et hebdomadarium usque ad Orationem, quam ipse Episcopus cantabit,

et demum benedictionem dabit, dicens : *Benedicat et custodiat nos omnipotens et misericors Dominus*, etc. Nulla autem fiet Altaris thurificatio ad Canticum *Nunc dimittis*, etc., nec organum pulsabitur, nisi forte in aliquibus Ecclesiis hujusmodi hora solemnius celebrari aliquando consueverit, quo casu organum adhiberi poterit, juxta normam superius traditam.

4. Cum vero Episcopus præsens erit, et Officium non faciet, omnia prædicta per hebdomadarium in suo habitu canonicali fient, observatis tamen debitis reverentiis versus Episcopum; nam ipse hebdomadarius ad Versiculum *Indulgentiam et absolutionem*, etc., in principio et ad Versiculum *Benedicat et custodiat nos omnipotens et misericors Dominus*, etc., in fine, inclinabit se profunde versus Episcopum.

5. In Collegiatis Ecclesiis, vel absente Episcopo, eadem observantur per hebdomadarium.

Caput IX. *De Missa solemni quæ coram Episcopo assistente celebretur.*

1. Quemadmodum superius de Vesperis solemnibus coram Episcopo celebrandis diximus, Episcopum, Pluviali ac aliis paramentis ibidem expressis, indutum, convenienter interesse, et Officium facere; sic etiam, cum ipsemet non erit celebraturus, sed Missæ per alium celebrandæ intererit, iisdem sacris indumentis vestitus esse poterit, eodemque modo, ordine et loco, ea sumere, prout ibidem demonstratum fuit.

2. Quo casu debent assistere duo antiquiores Diaconi, sive ex Dignitatibus, sive, his deficientibus, ex Canonicis, et his deficientibus, juniores Presbyteri in eorum habitu Canonicali, sed sine sacris paramentis.

3. Ordo autem, quoad accessum in Ecclesiam, dedu-

ctionem et obviationem Canonicorum, ac reditum in fine, idem erit, prout supra in cap. XV, § 1 et XI, lib., I, declaratur.

4. In solemnioribus festivitatibus Episcopus erit semper cum Pluviali, ut supra dictum est. Poterit tamen si magis placuerit, hujusmodi Missæ in festis minus solemnibus cum sua Cappa Pontificali interesse, et tùnc etiam debent ei assistere præfati duo Diaconi et Presbyter assistens.

5. Quæ autem ab Episcopo agenda, exercendave erunt in hujusmodi Missa, diverso modo statuuntur. Nam, aut Missa celebratur per aliquem alium Episcopum, seu Suffraganeum, et tunc Episcopus proprius interesse debet cum Cappa, et omnia deferre Episcopo celebranti, præter absolutionem, et benedictionem post sermonem, ac Indulgentiarum concessionem, quæ omnino ab ipso proprio Episcopo peragenda sunt.

6. Cætera in Missa occurrentia, ut benedictionem incensi et aquæ, benedictionem Diaconi ante Evangelium, deosculationem manus, quæ fit ab eodem Diacono et Subdiacono, benedictionem in fine Missæ et similia, relinquit Episcopo celebranti, qui in benedictione solemni in fine Missæ vertens se versus Episcopum quasi veniam petet, et ipse nutu annuet. Circuli tamen Canonicorum fient ante ipsum Episcopum proprium, quamvis Cappa indutum.

7. Sed si Episcopus proprius forte vellet esse paratus in hujusmodi Missa ab alio Episcopo celebrata, quod non convenit, nisi Celebrans sit Suffraganeus, vel alias subditus Episcopo, deberet omnia prædicta ipse facere.

8. Si vero Episcopus intererit Missæ celebratæ per aliquem inferiorem Episcopo, sive cum Pluviali et Mitra, sive cum Cappa, omnes præeminentiæ, honores et actus præfati conveniunt ipsi soli Episcopo, excepto quoad thurificationem, quia quando non est paratus, ut supra,

non debet thurificari, nisi post thurificationem Oblatorum tantum.

9. An autem, quomodo, et a quibus Episcopo non celebranti fiat assistentia, tam Presbyteralis quam Diaconalis, suis locis explicatum fuit.

E CAPITE XI. *De Missa pro Defunctis.*

1. SI velit Episcopus celebrare die anniversaria omnium Defunctorum, vel alias quandocumque pro Defunctis, hæc præparentur, et fiant; videlicet Altare nullo ornatu festivo, sed simpliciter, et nullis imaginibus, sed sola Cruce et sex candelabris paretur; et duo super credentia cum candelis ex cera communi; super ea nulla ornamenta ponantur, sed tantum quæ sunt necessaria, videlicet bacile et buccale simplex, Missale, vas aquæ benedictæ cum aspersorio, thuribulum cum navicella, item pannus niger, extendendus pro absolutione facienda, finita Missa, nisi adesset lectus, seu lectica mortuorum, aut castrum doloris; gradus Altaris et totum Presbyterium sit nudum, excepto quod unum tapete sub faldistorio, et aliud super primo gradu suppedaneo apud Altare ponetur; omnia paramenta, tam Altaris quam Celebrantis et ministrorum, librorum et faldistorii sint nigra, et in his nullæ imagines mortuorum, vel Cruces albæ ponantur. Canonici parentur paramentis sacris, prout in aliis Missis, celebrante Episcopo.

5. Ministri aliquid dantes, vel ministrantes Episcopo in tota Missa, nunquam ejus manum aut rem osculentur. Quando dicuntur Orationes, tam ante Epistolam quam post Communionem, omnes genuflectunt, præter Celebrantem et ministros; videlicet, Diaconum et Subdiaconum, ac assistentes. Epistola et Evangelium non legantur in ambone, sed in Presbyterio in loco convenienti.

Subdiaconus, cantata Epistola, non osculetur manum Episcopi.

6. Si distribuendæ sunt candelæ, tunc post Epistolam, dum cantatur Prosa, id est, Sequentia, distribuantur, quæ accendantur ad Evangelium, ad Elevationem Sanctissimi Sacramenti, ac finita Missa, dum fit Absolutio. Lecta Epistola, cum cantatur ultimus versus Sequentiæ, Diaconus affert librum ad Altare, in cujus medio illum collocat statim, sine osculo manus Episcopi, in supremo gradu genuflexus, dicit *Munda cor meum*, etc., non petat benedictionem pro Evangelio, nec deferantur luminaria, nec incensum, sed accepto ab Altari libro, procedet ad cantandum Evangelium cum ministris, ordine infrascripto; videlicet, primo Cæremoniarius, tum ipse Diaconus, quem sequitur Subdiaconus, ultimo loco duo Capellani. Finito Evangelio, Episcopus non osculabitur librum, sed statim dicet *Dominus vobiscum* et *Oremus* pro Offertorio : deinde lavabit manus more solito, et ad Altare accedet : non benedicet aquam ponendam in Calicem pro oblatione ; nec Subdiaconus sustinebit Patenam : imponit tamen post Offertorium Episcopus thus in thuribulum more solito, cum benedictione *Per intercessionem*, etc., et thurificabit Oblata et Altare, et demum ipse solus, accepta Mitra, thurificabitur a Diacono.

7. Dum dicitur *Sanctus*, *Sanctus*, etc., quatuor Capellani, cum quatuor funalibus ex eadem cera communi accensis, pro Elevatione Sanctissimi Sacramenti accedunt, et genuflectunt, more solito, similiter omnes genuflectunt, sic permanentes usque ad *Per omnia sæcula*, etc., ante *Pax Domini*, etc.; Capellani vero cum funalibus usque post Communionem.

8. Subdiaconus ad Elevationem, imposito per aliquem Acolythum thure in thuribulum, thurificabit Sanctissimum Sacramentum, genuflexus in cornu Epistolæ. Non datur Pax, nec percutitur pectus ad *Agnus Dei*.

9. In fine Missæ non datur per Celebrantem benedictio, nec publicantur Indulgentiæ, sed Diaconus dicat *Requiescant in pace* versus Altare; et Episcopus, dicto in Altari *Placeat tibi, sancta Trinitas*, etc., incipiet more solito Evangelium S. Joannis, quod prosequitur mitratus, redeundo ad sedem suam; et ibidem deposita Planeta, ac etiam, cum Manipulo, Dalmatica et Tunicella, capiet Pluviale nigrum, Diacono et Subdiacono paratis remanentibus, depositis tamen Manipulis, et Episcopum ad exuendam Planetam et induendum Pluviale adjuvantibus.

10. Si sermo habendus erit in laudem Defuncti, pro quo Missa celebrata erit, tunc ea finita, ante absolutionem accedet sermocinaturus, vestibus nigris indutus, sine Cotta, et facta oratione ante medium Altaris, nulla petita benedictione ab Episcopo, sed facta ei profunda reverentia, vel genuflexione pro qualitate personæ, ascendet pulpitum, panno nigro coopertum, ubi facta iterum Episcopo reverentia, signans se signo Crucis, faciet sermonem. Quo finito, vel si sermo non sit habendus, statim finita Missa, accepto Pluviali per Episcopum, ut supra, ante infimum gradum solii extendetur pannus niger; vel portabitur lectica mortuorum pro absolutione facienda ante infimum gradum Presbyterii, nisi alias lectus mortuorum, vel castrum doloris adsit in medio Ecclesiæ; quo casu Episcopus Pluviali paratus, ibidem, vel solus, vel cum aliis quatuor absolventibus, ut infra dicetur, illuc præcedentibus Canonicis, qui ibidem in suis scamnis consistent, accedere deberet.

11. Si vero Episcopus erit in faldistorio tunc pannus niger ante infimum gradum Altaris extendetur, vel ibidem portabitur lectica mortuorum, pro Absolutione facienda.

12. Interim dum extenditur pannus, vel portatur lectica, Episcopus sedet, et Cantores incipiunt Responsorium *Libera me, Domine*, etc., et dum repetitur dictum Responsorium, accedunt ad Episcopum duo Acolythi, unus cum

thuribulo et navicula, alius cum aspersorio et vase aquæ benedictæ. Tunc Episcopus, ministrante naviculam Presbytero assistente a dexteris sine osculis, imponet thus in thuribulum cum benedictione, et statim, si est in faldistorio, accedit ad Altare, ubi, antequam a Choro dicatur *Kyrie, eleison*, deponet Mitram, et stans versus Altare, dicit intelligibili voce *Pater noster*. Si vero erit in sua sede, surget, et deposita Mitra, dicto ultimo *Kyrie, eleison*, versus Altare dicet similiter *Pater noster*, quod secrete complendo, ministrante eodem Presbytero assistente aspersorium, et elevantibus hinc inde assistentibus oras Pluvialis, Episcopus stans aspergit ter super pannum nigrum, vel lecticam mortuorum : et reddito aspersorio Presbytero, et ab eodem accepto thuribulo, thurificabit eo modo, ter thuribulum ducens super pannum, vel lecticam, ministris oras Pluvialis similiter elevantibus. Tunc accedent duo Acolythi cum duobus candelabris et candelis accensis, et sistent ante pedes Episcopi, qui ex libro sibi per ministrum solitum in capite posito, leget Versiculum *Et ne nos*, etc.. et alios Versiculos, et Orationem Missæ, pro qua nullus tunc genuflectet, et in finem repetet Versiculum *Requiem æternam*, etc., et Cantores dicent *Requiescant in pace*, et Episcopus tunc producet signum Crucis versus pannum : inde, depositis paramentis ubi fuerunt accepta, factaque oratione, discedit.

E capite XIII. *De Adventu*.

2. Quia primum Ecclesia, Altare et chorus simpliciori apparatu ornatur : item, celebrante Episcopo Missam solemnem, non erit opus paramenta sacra pro Missa sumere in sacello, seu Secretario supra memorato, sed apud sedem suam, ubi Cappa indutus, incipit Tertiam; et incepto primo Psalmo, sedet, accipit Sandalia, legit Psalmos et Versiculos ac Orationes consuetas, et in fine

cantat Orationem pro Tertia, Canonico Presbytero assistente, librum supra caput tenente in suo habitu Canonicali.

3. Subdiaconus cantaturus Epistolam, paulo antequam Episcopus in chorum veniat, capiet omnia paramenta sibi convenientia, præter Manipulum et Planetam ante plicatam, quæ capiet postea.

10. Si vero Episcopus non celebret, sed intersit Missæ solemni, eadem observantur quæ in cap. IX, hujus lib. II, de Missa solemni quæ coram Episcopo celebratur, dicta sunt.

11. In tertia Dominica eadem observantur, nisi quod paramenta Altaris et Celebrantis adhiberi solent aliquanto sumptuosiora, sed coloris violacei, in defectu rosacei: et ministri, videlicet Diaconus et Subdiaconus utuntur Dalmatica et Tunicella; et idem in quarta Dominica, quando in ea inciderit Vigilia Nativitatis Domini; sed paramenta sint coloris absolute violacei. In Collegiatis pariter idem observatur.

Caput XVII. *De Festo Purificationis B. M. Virginis.*

1. Absente Episcopo, etiam in Collegiatis paretur Altare, ut in præcedenti capite dictum est : candelæ vero benedicendæ collocentur in cornu Epistolæ super aliqua parva mensa : ibidem ponatur vas cum aqua benedicta et aspersorio, ac thuribulum cum navicula, et incenso; et hora competenti, id est, dicta Tertia, Canonicus hebdomadarius, sive Dignitas, vel alius, ad quem de consuetudine Ecclesiæ celebrare spectat, paretur in Sacristia Amictu, Alba, Cingulo, Stola et Pluviali violaceo, una cum duobus aliis Canonicis habitu Diaconali et Subdiaconali ejusdem coloris indutis, excepto Manipulo, videlicet cum Planetis plicatis ante pectus; et considentibus omnibus aliis Canonicis habitu Canonicali indutis, hinc inde

in locis suis, una cum Beneficiatis seu Mansionariis, et Clericis, accedet dictus Canonicus celebraturus cum Ministris, et transeundo salutat hinc inde Chorum, ac inde, facta reverentia Altari cum genuflexione, si ibi aderit Sanctissimum Sacramentum, sin minus cum profunda capitis inclinatione ascendet ad Altare, et ibidem in cornu Epistolæ stans, assistentibus Diacono et Subdiacono, benedicet candelas, prout in Missali, et finita ultima Oratione, Celebrans, ministrante Diacono, imponet thus in thuribulum; quo imposito, accipiet de manu ejusdem Diaconi aspersorium cum aqua benedicta, et candelas asperget; et mox accepto thuribulo, triplici ductu illas thurificabit. Quo facto, retrahat se ante medium Altaris, renes eidem vertens, et stabit medius inter Diaconum et Subdiaconum.

2. Tunc primus Sacerdos de Choro, sive Vicarius, sive Dignitas, vel Canonicus, accepta una ex candelis benedictis, illam cum debita reverentia deosculatam dabit in manu Celebrantis, qui illam tradet alicui Capellano tenendam; et statim ministrante Diacono, ipse Celebrans stans incipiet distribuere candelas, primo eidem digniori, deinde Diacono et Subdiacono paratis, si sint Canonici; mox aliis omnibus Canonicis per ordinem, habitu Canonicali indutis, qui bini accedant ad Celebrantem, et inclinati ab eo candelas accipient, quas acceptas deosculabuntur.

3. Beneficiati vero seu Mansionarii, et Clerici, et cæteri omnes similiter bini accedent, et genuflexi candelas accipient, illas ac etiam manus Celebrantis deosculantes.

4. Cum inchoatur distributio candelarum, Cantores incipient Antiphonam *Lumen ad revelationem gentium*, etc.

5. Circa finem distributionis Magister Cæremoniarum curet ut accendantur candelæ pro Processione, quæ fiat per Ecclesiam, ut in præcedenti capite dictum fuit; et interim, dum fit Processio, removeatur paramentum violaceum ab

Altari, et remaneat album, nisi hujusmodi festum venerit in Dominica Septuagesimæ; quo casu fiat, ut dictum est in capite præcedenti.

6. Finita Processione, Canonici Chorum ingressi extinguent candelas; et Celebrans, qui stat medius inter Diaconum et Subdiaconum, ante infimum gradum Altaris, facta debita reverentia Altari et Choro, retrahit se ad cornu Epistolæ, ubi deposito Pluviali capiet Planetam albam, seu violaceam, juxta regulam superius traditam, similiter et ministri Dalmaticam et Tunicellam ejusmodi coloris, et inchoabitur Missa, quæ juxta solitum perficietur, in qua hoc solum erit speciale, quod Canonici et cæteri de Choro, dum cantatur Evangelium, accendunt candelas, et illas accensas tenent usque ad finem Evangelii, et iterum ad Elevationem usque post Communionem.

Caput XX. *De Dominicis Quadragesimæ.*

1. In Dominicis Quadragesimæ eadem omnia serventur, tam circa ornatum Ecclesiæ et paramenta Altaris ac ministrorum, quam circa cæremonias in Missa, quæ superius expressa fuerunt in cap. XIII hujus lib. II, de Vesperis et Missis in Dominicis Adventus, sive ab Episcopo, sive ab alio, præsente Episcopo, celebrandis.

2. Quæ autem ibidem dicta sunt, de Dominica tertia Adventus, circa paramenta Altaris et ministrorum, observantur eodem modo in quarta Dominica Quadragesimæ.

3. Ad primas autem Vesperas Dominicæ, quæ de Passione dicitur, cooperiantur, antequam Officium inchoetur, omnes Cruces et imagines Salvatoris nostri Jesu Christi per Ecclesiam; et super Altare nullæ ponantur imagines Sanctorum.

4. Cantores vero ab hac Dominica quinta Quadrage-

simæ usque ad Pascha, excepta Feria quinta in Cœna Domini, non utantur cantu figurato, sed Gregoriano.

Caput XXXI. *De Missa in Dominicis per annum.*

1. In Dominicis per annum, si Episcopus voluerit celebrare, aut Missæ solemni per alium celebratæ interesse, servantur omnia circa cæremonias, quæ superius expressa fuerunt in hoc eodem libro, cap. VIII et IX.

2. Paramenta tamen Altaris, Celebrantis et ministrorum sint coloris viridis, exceptis Dominicis Adventus, et a Septuagesima usque ad Pascha exclusive, quia tunc violacea; et tempore Paschali, quia tunc alba : ac infra octavas Festorum solemnium, quia tunc vel alba, vel rubra, prout solemnitates ipsæ requirunt, adhibentur.

3. Quia tamen in omnibus Dominicis per annum solet fieri aspersio aquæ benedictæ per Sacerdotem celebrantem, antequam Missa inchoetur, Canonicus, vel alius celebraturus in Dominicis prædictis, paratus Amictu, Alba, Cingulo, Stola et Pluviali, medius inter Diaconum et Subdiaconum paratos, accedet ad Altare, ante quod in infimo ejus gradu genuflexus, medius inter prædictos duos ministros, accipiet ex manibus Diaconi aspersorium cum aqua benedicta, et intonando Antiphonam *Asperges me*, seu Antiphonam *Vidi aquam*, juxta temporum diversitatem, prout in Missali, ter Altare asperget, et statim surgens, dum Cantores prosequuntur Antiphonam cum suis Responsoriis, comitatus a Cæremoniario, et Acolytho cum vase aqua benedicta pleno, accedit ad Episcopum, cui aspersorium, osculatum cum debita reverentia et osculo manus, porrigit; ipse vero Episcopus primo seipsum, deinde Sacerdotem celebrantem, postea assistentes et solii ministros asperget, et statim eidem redit aspersorium, qui primo manum, deinde illud osculatur, et rediens ad Altare, Diaconum et Subdiaconum paratos, deinde Canonicos, Beneficiatos, et Clericos ex

utraque parte chori, omnesque alios in choro permanentes, et populum asperget; et reversus ante infimum gradum Altaris ubi eum Diaconus et Subdiaconus expectabunt, medius inter eos cantabit Versiculos et Orationem, prout in Missali, ex libro quem sustinebunt, dicti ministri, vel super legili; qua finita, statim amovetur legile et liber; et Celebrans in solito scamno, posito in cornu Epistolæ, deposito Pluviali, capit Manipulum et Planetam, et cum Episcopo, qui a sede descendit ante Altare, facit Confessionem, et omnia fiunt et servantur, ut in supradicto cap. IX hujus lib. II.

4. Si Episcopus celebrare voluerit solemniter, non esset facienda hujusmodi aquæ benedictæ aspersio; absente vero Episcopo, et in Collegiatis, semper Dominicis diebus fit, ut supra dictum est : quo casu Celebrans statim atque Altare asperserit, seipsum primo, deinde ministros paratos, mox, iisdem ministris comitantibus et elevantibus fimbrias anteriores Pluvialis, Canonicos et alios de Choro, ut supra, asperget, qui omnes, aspersione hujusmodi durante, a principio usque ad finem stare debent, detecto, capite, et dum ante ipsos Celebrans cum aspersorio accedit, debent illi caput inclinare, et aspersionem aquæ benedictæ reverenter recipere.

5. Memores etiam sint Diaconus et Subdiaconus, qui Altari ministrant, Dominicis diebus, valde decere, si etiam ipsi, postquam Celebrans communicaverit, Communionem ex ejus manibus sumpserint, prout cavetur in Concilio Tridentino cap. XIII, sess. XXIII.

Caput XXXII. *De Litaniæ et Processionibus majoribus et minoribus.*

1. In die Sancti Marci fiunt Litaniæ, quas majores vocamus. Dicta igitur die congregatur de mandato Episcopi totus Clerus sæcularis et regularis, ac etiam, ubi consuetum

est, Confraternitates laicorum, cum eorum insignibus ante fores Ecclesiæ, unde Processio discedere debet, seu etiam intra Ecclesiam, si sit capax; ibique expectant, donec erit tempus : tunc incipiet a deputatis dirigi Processio, ordine solito, in qua prius procedent Confraternitates laicorum, deinde Religiosi, postmodum Clerus, et Ecclesiæ Collegiatæ, et ultimo Clerus Ecclesiæ Cathedralis, cujus Canonici omnes, si commode fieri poterit, erunt parati paramentis sibi competentibus, quemadmodum solent, Episcopo celebrante, vel saltem sex, vel octo eorum erunt cum Pluvialibus; paramenta tamen erunt coloris violacei; et ultimo loco procedet Episcopus paratus Pluviali similiter violaceo, et Mitra simplici, medius inter duos Canonicos Diaconos assistentes, paratos Dalmaticis, et manu sinistra Baculum pastoralem gestabit, dextera vero populo benedicet.

2. Si erit Archiepiscopus, præibit Crux Archepiscopalis ante Canonicos Ecclesiæ Cathedralis, ut in capitibus superioribus dictum fuit : et si consuetum sit in hujusmodi Processione portari aliquas Sanctorum Reliquias et sacras Imagines, servabitur consuetudo ; removendi tamen erunt a Processionibus ludicri et indecori actus.

3. Hoc ordine ibit Processio usque ad Ecclesiam, ad quam juxta consuetudinem civitatis dirigitur, cujus Ecclesiæ Clerus, ubi ita consuetum est, procedet obviam, usque extra portam Ecclesiæ, Processioni, ibique stans, eam recipiet.

4. Per viam Processionis cantentur Litaniæ, et alia quæ in libro Ritualis Romani continentur, et nihil ultra; ipsa via prius, de mandato Episcopi, ab omnibus in ea habitantibus mundetur.

5. Prælati, si qui aderunt, de gremio Ecclesiæ, ibunt immediate ante Episcopum; alii vero Prælati, Magistratus, et alii nobiles laici post Episcopum.

6. Cum autem Episcopus et Processio pervenerit ad di-

ctam Ecclesiam, celebretur ibi Missa solemnis Rogationum, et non Sancti Marci, nisi fuerit titulus Ecclesiæ, vel ab Episcopo, vel ab aliquo Canonico coram eo cum solitis cæremoniis, ut supra suis locis dictum fuit : et in fine Episcopus dabit benedictionem solemnem, et faciet publicari Indulgentiam. Si autem hæc Missa opportunius in regressu processionis in Cathedrali celebrari judicabitur, tunc in Ecclesia, ad quam Processio pervenerit, per Episcopum, vel per Celebrantem, cantata per Cantores Antiphona de Beata Virgine et de Sancto titulari, subjungentur propriæ Orationes.

7. In Processionibus vero, et Litaniis minoribus quæ Rogationes vocantur, et fiunt tribus diebus ante Ascensionem Domini, eadem servantur, sed aliquanto remissius : convenit tamen in his Episcopum paratum cum ministris intervenire, vel saltem cum Cappa.

8. Ad similitudinem harum Processionum regulari poterunt et aliæ Processiones extraordinariæ, quæ fieri quandoque contingit ad placandam iram Dei.

9. Si vero celebrandæ erunt Processiones ex causa lætitiæ, et pro gratiarum actione, aut etiam pro translatione aliquarum insignium Reliquiarum Sanctorum, ordinari poterunt ad exemplum Processionis Sanctissimi Sacramenti, de qua in sequenti capite dicetur : lumina tamen, seu funalia accensa deferri magis convenit, cum Sanctissimum Sacramentum, vel saltem reliquiæ in Processionibus deducuntur.

E capite XXXIII. *De Festo Corporis Christi et Processione.*

1. Ut Processio, quæ hac die erit facienda, rite, et recte, ac secundum debitas cæremonias in honorem tanti Sacramenti fiat, et ad removendas omnes contentiones et lites, quæ fosritan causa præcedentiæ oriri possent, et in pso actu maxima cum indecentia et scandalo Processionem

ipsam turbare, cura erit Episcopi pridie hujus diei, etiam per aliquos dies ante, demandare Magistris Cæremoniarum, vel alteri, ad quem forsitan secundum loci consuetudinem hujusmodi cura spectabit, ut omnia decenter et diligenter et præparentur et prævideantur.

2. Nempe, ut viæ, per quas Processio transire debebit, mundentur, et ornentur aulæis, pannis, picturis, floribus, frondibusque virentibus secundum posse et qualitatem loci. Et ipsa Ecclesia similiter perpulchre ornata, prout legitur in cap. XII, lib. I, de ornatu Ecclesiæ.

3. Item, ut fiat rotulus, in quo describantur per ordinem omnes, tam laicorum Confraternitates, Religiosi et Clerus, quam etiam alii quicumque qui huic Processioni interesse consueverunt vel debent : ut secundum debitum ordinem et absque alia contentione procedatur : apposita etiam aliqua pœna pecuniaria, vel etiam, si Episcopo videbitur, pœna excommunicationis contra inobedientes, et procedere recusantes secundum ordinem præscriptum in dicto rotulo.

12. Cavendum etiam erit ne in hac Processione actus scenici, vel ludicri et indecori intermisceantur, prout in capite præcedenti dictum fuit; sed omnia cum gravitate et devotione fiant et procedant.

14 Ipsa die summo mane, præparetur per Sacristam vel alios ministros baldachinum album perpulchrum, super Sanctissimum Sacramentum deferendum ; item super credentia, ultra candelabra et alia ordinaria pro Missa, tabernaculum pulchrum ex auro, vel argento, sive ostensorium, in quo Sanctissimum Sacramentum ponendum portandumque erit ; item duo thuribula cum naviculis et thure; item velum sericum album, amplum, auratum, seu perpulchre ornatum, ponendum super humeros Episcopi, dum Sacramentum portabit. Præparentur etiam funalia, et candelæ ex cera alba in numero sufficienti pro Canonicis et aliis, deferenda in Processione. Quæ omnia per Cæremo-

niarium prævideantur, an sint opportune et ad usum necessarium præparata.

22. Per viam Processionis semper Episcopus aliquos Psalmos vel Hymnos submissa voce recitabit, respondentibus Diaconis assistentibus : et ordine superius descripto, procedent per totam viam Processionis quæ, si longior fuerit, poterit Episcopus in aliqua Ecclesia, et super illius Altare deponere Sanctissimum Sacramentum, et aliquantulum quiescere; et ibidem, antequam discedat, thurificare Sanctissimum Sacramentum, et Orationem de Sacramento cantare; quod tamen non passim in singulis Ecclesiis, vel ad singula Altaria, quæ forsitan per viam constructa et ornata reperiuntur, faciendum est, sed semel tantum, vel iterum, arbitrio Episcopi.


33. Et quia solitum est per totam hanc Octavam ponere super Altare tabernaculum cum Sanctissimo Sacramento discooperto, dum Vesperæ et Officia divina recitantur, ad quæ magna populi frequentia solet accedere, conveniens esset ut ob reverentiam tanti Sacramenti, tam Episcopus quam Canonici, et omnes præsentes, et in choro assistentes, durante Officio, starent semper, capite detecto, et nunquam sederent. Quod si ob longitudinem Officii præstare non poterunt, non omittant saltem in signum reverentiæ, detecto capite, existente Sanctissimo Sacramento super Altari, divinis Officiis assistere.

35. Absente Episcopo, et in collegiatis, Celebrans, finita Missa, et depositis Planeta et Manipulo, capiet Pluviale, et Sanctissimum Sacramentum thurificabit, illudque, sub baldachino portabit, et omnia ut supra fient, exceptis iis quæ ad Episcopum proprie pertinent.

Caput XXXIX. *De Confessione post concionem facienda et forma indulgentiæ.*


1. Statim finito sermone, Diaconus, qui cantavit Evangelium, stans ante infimum gradum solii, conversus ad

Episcopum stantem cum Mitra, capite inclinato, cantabit Confessionem in tono, prout habetur in Rituali Romano; et dum dicet *Tibi*, *Pater* et *Te*, *Pater*, si fuerit Canonicus, profunde se inclinabit; si non fuerit Canonicus, genuflectet.




Quod dum dicit genuflectit, vel se inclinat, coram Pontifice, ut supra : tum surgit, et continuat.





Aposto-los Petrum et Pau-lum, omnes Sanctos,



et te, Pa-ter, ora-re pro me ad Dominum



De-um no-strum.

2. Finita confessione per Diaconum, Episcopus sedet, et sermocinator, qui in pulpito, dum cantatur Confessio, genuflectet, surgens publicabit Indulgentiam in forma sequenti, videlicet:

Reverendissimus in Christo Pater, et Dominus N. Dei et Apostolicæ Sedis gratia, hujus Sanctæ Ecclesiæ Episcopus dat et concedit omnibus hic præsentibus quadraginta dies de vera Indulgentia in forma Ecclesiæ consueta. Rogate Deum pro felici statu Sanctissimi Domini Nostri N. divina providentia Papæ N., Dominationis suæ Reverendissimæ, et Sanctæ Matris Ecclesiæ.

3. Publicata Indulgentia, Episcopus, deposita Mitra, surget, et leget ex libro, per ministrum de eo servientem, supra caput sustentato, in tono Orationis versus ad populum, ut infra, videlicet:

Precibus et meritis beatæ Mariæ semper Virginis, beati Michaelis Archangeli, beati Joannis Baptistæ, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et omnium Sanctorum, misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam æternam. ℟. *Amen.*

Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum vestrorum, tribuat vobis omnipotens et misericors Dominus. ℟. *Amen.*

Deinde, reassumpta Mitra, benedicens populo, more consueto, dicet:

Et benedicto Dei omnipotentis Pa ✝ tris, et Fi ✝ lii, et

Spiritus ✝ Sancti descendat super vos et maneat semper. ℟. *Amen.*

4. Si autem erit Archiepiscopus, statim, publicata Indulgentia, Capellanus portabit ante illum Crucem, quam genuflexus tenebit, et Archiepiscopus surgens, deposita Mitra, prius Cruci caput profunde inclinabit, et deinde adhuc stans, prosequetur *Precibus*, etc., et sic, detecto capite, solemniter benedicet.

PARS SEPTIMA.

EX PONTIFICALI ROMANO EXTRACTA.

E PARTE SECUNDA.

Caput I. *De Confirmandis.*

Pontifex infantes, pueros, vel alios sacri baptismatis unda perfusos, confirmare volens, paratus supra rochettum, vel, si sit Regularis, supra superpelliceum, amictu, stola, pluviali albi coloris, et mitra, accedit ad faldistorium ante medium altaris, aut in alio convenienti loco sibi paratum; et in eo sedens, renibus altari, et facie populo versis, baculum Pastoralem in sinistra tenens; populum coram se stantem admonet, quod nullus alius, nisi solus Episcopus, Confirmationis ordinarius minister est.

Nullus confirmatus debet reconfirmari.

Nullus, qui non sit confirmatus, potest esse in confirmatione patrinus, nec pater, aut mater, maritus, aut uxor.

Nullus excommunicatus, interdictus, vel gravioribus facinoribus alligatus, aut christianæ fidei rudimentis non edoctus, ingerat se ad percipiendum hoc Sacramentum, vel ad tenendum confirmandum.

Adulti deberent prius peccata confiteri, et postea confirmari, vel saltem de mortalibus, si in ea inciderint, conterantur.

Hoc Sacramento contrahitur spiritualis cognatio, impediens matrimonium contrahendum, et dirimens jam contractum; quæ cognatio confirmantem, et confirmatum. illiusque patrem, et matrem, ac tenentem non egreditur.

Nullus præsentet nisi unum, aut duos, non plures, nisi aliter necessitas suadeat, arbitrio Episcopi.

Confirmandi deberent esse jejuni.

Confirmato debet ligari frons, et sic manere quousque Chrisma desiccetur, vel extergatur.

Proinde, unusquisque confirmandus portet lineam vittam mundam, cum qua ligetur caput.

Nullus confirmatus discedat, nisi benedictione accepta, quam Pontifex post omnium confirmationem dabit.

Infantes per patrinos ante Pontificem confirmare volentem teneantur in brachiis dextris. Adulti vero, seu alii majores ponant pedem suum super pedem dextrum patrini sui. Et ideo, neque masculi feminis patrini, neque feminæ masculis matrinæ esse deberent.

Quibus per ordinem ante Pontificem dispositis, Pontifex sedens lavat manus, deinde deposita mitra surgit, et stans versa facie ad confirmandos, junctis ante pectus manibus, confirmandis genua flectentibus, et manus ante pectus junctas tenentibus dicit : *Spiritus, ut in Pontificali.*

Pontifex sedens super faldistorium prædictum, vel etiam, si multitudo confirmandorum id exegerit, dispositis illis per ordinem super gradus presbyterii, vel alibi, Pontifex stans cum mitra, illos confirmat per ordinem genuflexos, et uno ordine confirmato, illi surgunt, et alii genuflectunt, et confirmantur, et sic usque in finem. Et Pontifex inquirit sigillatim de nomine cujuslibet confirmandi, sibi per patrinum, vel matrinam flexis genibus præsentati, et summitate pollicis dextræ manus Chrismate intincta, dicit : N. *Signo, ut in Pontificali.*

Omnibus confirmatis, Pontifex tergit cum mica panis, et lavat pollicem, et manus super pelvim.

Deinde aqua lotionis cum pane fundatur in piscinam sacrarii. Interim dum lavat manus, cantatur sequens Antiphona, vel legitur a ministris, quod etiam in similibus servari debet. *Confirma, ut in Pontificali.*

Expedita itaque Confirmatione, Pontifex sedens, accepta mitra, patrinis et matrinis annuntiat, quod instruant filios suos bonis moribus, quod fugiant mala, et faciant bona, et doceant eos *Credo in Deum*, et *Pater Noster*, et *Ave Maria*, quoniam ad hoc sunt obligati.

Hoc Sacramentum potest conferri minus solemniter quocumque die, hora et loco, ex causa ad arbitrium Episcopi.

Caput II. *De Ordinibus conferendis.*

Quando Episcopus ordinationem facere disposuerit, omnes, qui ad sacrum ministerium accedere voluerint, feria quarta ante ipsam ordinationem, vel quando Episcopo videbitur, ad civitatem evocentur. Episcopus autem Sacerdotibus, et aliis prudentibus viris, peritis divinæ legis, ac in ecclesiasticis functionibus exercitatis, sibi adscitis, ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam et fidem diligenter investiget et examinet.

Nullus ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoveatur. Sciant tamen Episcopi non singulos, in ea ætate constitutos, debere ad hos Ordines assumi, sed dignos dumtaxat et quorum probata vita senectus sit. Regulares quoque, nec in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur.

Prima Tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint, et fidei rudimenta edocti non fuerint; quique legere et scribere nesciant, et de quibus probabilis conjectura non sit, eos non sæcularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.

Ad minores Ordines promovendi bonum a Parocho, et a magistro scholæ, in qua educantur, testimonium habeant. Hi vero, qui ad singulos majores erunt assumendi,

per mensem ante ordinationem Episcopum adeant, qui Parocho, aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus ac desiderio eorum, qui volent promoveri, publice in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus et vita a fide dignis diligenter inquirat, et litteras testimoniales, ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum Episcopum quamprimum transmittat.

Minores Ordines iis, qui saltem Latinam linguam intelligant, per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo magis expedire videretur, conferantur; ut eo accuratius, quantum sit hujus disciplinæ pondus, possint edoceri, ac in unoquoque munere, juxta præscriptum Episcopi, se exerceant, idque in ea, cui adscripti erunt, Ecclesia (nisi forte ex causa studiorum absint); atque ita de gradu in gradum ascendant; ut in eis cum ætate vitæ meritum, et doctrina major accrescat. Quod et bonorum morum exemplum, et assiduum in Ecclesia ministerium, atque major erga Presbyteros et superiores Ordines reverentia, et crebrior, quam antea, Corporis Christi Communio maxime comprobabunt. Cumque hinc ad altiores gradus et sacratissima mysteria sit ingressus, nemo iis initietur, quem non scientiæ spes majoribus Ordinibus dignum ostendat. Hi vero non nisi post annum a susceptione postremi gradus minorum Ordinum, ad sacros Ordines promoveantur, nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas, judicio Episcopi, aliud exposcat.

Subdiaconi et Diaconi ordinentur, habentes bonum testimonium, et in minoribus Ordinibus jam probati, ac litteris, et iis, quæ ad Ordinem exercendum pertinent, instructi. Qui sperent, Deo auctore, se continere posse, Ecclesiis, quibus adscribentur, inserviant; sciantque maxime decere, si saltem diebus Dominicis, et solemnibus, cum altari ministraverint, sacram Communionem perceperint. Promoti ad sacrum Subdiaconatus Ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum (nisi aliud Epi-

scopo videatur) ascendere non permittantur. Duo sacri Ordines non eodem die, etiam Regularibus, conferantur.

Qui pie et fideliter in ministeriis anteactis se gesserint, et ad Presbyteratus Ordinem assumuntur, bonum habeant testimonium; et hi sint, qui non modo in Diaconatu, ad minus annum integrum, nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem, aliud Episcopo videretur, ministraverint; sed etiam ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac administranda Sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur, atque ita pietate et castis moribus conspicui, ut præclarum bonorum operum exemplum et vitæ monita ab eis possint expectari.

Illegitimi sine dispensatione Apostolica, ad sacros Ordines promoveri non possunt, ad minores tamen possunt ex dispensatione sui Episcopi ordinari : neque etiam furiosi, amentes, servi, homicidæ, irregulares, insigni corporis vitio deformes, aut manci ordinari possunt.

Examinentur de Ordine, in quo sunt constituti, et quando, et a quo illum receperunt.

Clericus sæcularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia et ætate, ad sacros Ordines non promoveatur, nisi prius legitime constet eum, beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere. Id vero beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus, neque ea resignatio admittatur, nisi constito quod aliunde vivere commode possit, et aliter facta resignatio nulla sit. Patrimonium vero, vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum, eo quoque prius perspecto, patrimonium illud, vel pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint : atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus pos-

sint, donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint.

Advertat diligenter Pontifex, cum Ordines confert, ne in expressione formarum, vel collatione instrumentorum ipsorum Ordinum deficiat; frequenter Pontificale respiciat, et mature procedat. Moneat ordinandos, quod instrumenta, quibus character imprimitur, tangant. Secretas morose dicat, ut ordinati ad Sacerdotium possint illas cum eo dicere, debent enim ex consuetudine concelebrare, et etiam verba consecrationis proferre.

Tempora ordinationum sunt: Sabbata in omnibus quatuor temporibus, Sabbatum ante Dominicam de Passione, et Sabbatum sanctum.

Clericatus, seu prima Tonsura, quocumque die, hora, et loco conferri potest.

Minores vero Ordines possunt dari singulis Dominicis, et festivis diebus duplicibus, ubicumque, in mane tamen.

Ordinandi omnes debent in Ecclesia se præsentare, cum tonsura, habitu et paramentis Ordini suo convenientibus, et candelis in manu accensis. Et cum a notario Episcopi nominati fuerint, respondeant, *Adsum*, et accedant ad locum ordinationis, secundum ordinem descriptionis.

Advertat quoque Pontifex, quod si unus tantum sit, per eum ad quemcumque Ordinem promovendus, illum admoneat, et alloquatur, non in plurali, ut textus dicit, sed in singulari.

In Sabbatis quatuor temporum, in quibus fiunt ordinationes generales, Tonsuræ fieri debent post *Kyrie eleison*. Deinde, dicta prima Lectione, ordinantur Ostiarii. Post secundam Lectionem, Lectores. Post tertiam, Exorcistæ. Post quartam, Acolythi. Post quintam, Subdiaconi. Finita Epistola, Diaconi. Et demum ante ultimum versum Tractus, vel infra Octavam Pentecostes, ante ultimum versum Sequentiæ, ordinantur Presbyteri.

Si ordinationes fiant in Sabbato ante Dominicam de

Passione, quia unica tantum dicitur Lectio, Tonsuræ debent fieri immediate post Introitum. Omnes minores Ordines post *Kyrie eleison*. Subdiaconi immediate post Collectam. Diaconi post Epistolam. Presbyteri ante ultimum versum Tractus.

Idem servari potest, quandocumque dantur Ordines sacri extra tempora, ex dispensatione Apostolica. Quod si fiat inter Pascha et Pentecosten, Presbyteri ordinantur ante ultimum ℣. Si inter Pentecosten et Septuagesimam, ordinantur ante ℣. *Alleluia*. Et antequam ad collationem Ordinum procedatur, legitur mandatum Apostolicum, sive supplicatio ; cujus vigore Pontifici facultas conceditur ordinandi; quibus lectis, dicit Pontifex, *Deo gratias*, et ad ordinationem procedit.

Si vero Sabbato sancto ordinationes fiant, Officium incipitur a prima prophetia, et continuatur, prout in ordinario, usque ad Litanias inclusive, in quibus dicto : *Ut omnibus fidelibus*, etc., surgit ab accubitu Pontifex, et conversus ad ordinandos, eos benedicit, prout post Litanias infra ponitur. Deinde perficiuntur Litaniæ, et Pontifex facit Confessionem, et dicto *Kyrie eleison*, pro Missa, ordinat ad primam Tonsuram. Tum dicit, *Gloria in excelsis Deo*, etc.; quo dicto, ordinat ad quatuor minores Ordines. Deinde dicit Orationem ordinariam, cum alia pro ordinandis, quibus dictis, ordinat ad Subdiaconatum. Tum dicitur Epistola, et ea dicta, ordinat Diaconos. Dicitur deinde *Alleluia*, cum suo Versu, et prima pars Tractus, quibus dictis, ordinat Presbyteros, post quorum ordinationem dicitur Versus, Tractus, Evangelium, et alia, prout in ordinario.

Quando autem Pontifex extra Missarum solemnia est promoturus aliquos ad primam Tonsuram, vel ad quatuor minores Ordines, sufficit quod habeat stolam supra rochettum, vel supra superpelliceum (si sit Regularis) et mitram simplicem. Cum autem est celebraturus pro sacris Ordi-

nibus conferendis, habere debet sandalia, et omnia paramenta Pontificalia, et dicere Psalmum, *Quam dilecta*, etc.

Ordinationes sacrorum Ordinum, statutis a jure temporibus, ac in Cathedrali Ecclesia vocatis, præsentibusque ad id Ecclesiæ Canonicis, publice celebrentur : si autem in alio diœcesis loco, præsente Clero loci, dignior, quantum fieri poterit, Ecclesia semper adeatur.

Cum igitur ordinationes faciendæ sunt, per Sacristam, seu alium, ad quem spectat, præparantur omnia, quæ necessaria sunt pro Missa Pontificali. Et demum, cum tempus ordinationis instat, hora competenti, Pontifex cappa magna indutus, Capellano illam post eum deferente, venit ad Ecclesiam, ubi ordinationes fieri debent, et accedens ante altare, genuflexus ibidem aliquandiu orat. Deinde vadit ad sedem, ubi paramenta capere consuevit, vel, si non sit in Ecclesia sua, ad faldistorium, ad cornu Epistolæ sibi paratum, ubi sedens accipit omnia paramenta Pontificalia coloris tempori convenientis, et mitram simplicem, dicens Psalmum, *Quam dilecta*, etc.

Pontifex sic paratus, baculum Pastoralem in sinistra tenens, accedit ad gradus altaris, ubi depositis baculo et mitra, facta altari reverentia cum profunda capitis inclinatione, facit cum ministris Confessionem. Interim cantatur a choro Introitus, et *Kyrie eleison*. Finita Confessione, Pontifex ascendit ad altare, illud in medio osculatur, et textum Evangelii ad sinistram; incensat altare, more solito, resumit mitram, et revertitur ad sedem, seu ad faldistorium, ad cornu Epistolæ, ubi, deposita mitra, et versa facie ad altare, oblato sibi per ministrum libro, ex eo legit Introitum et *Kyrie eleison;* quibus dictis, sedet cum mitra, donec perficiatur a choro ultimum *Kyrie eleison*. Quo finito, surgit Pontifex, et cum mitra ad faldistorium, ante medium altaris sibi præparatum, accedit, et in illo sedet, renibus altari versis. Tum Archidiaconus vocat omnes ordinandos, dicens : *Accedant omnes, qui*

ordinandi sunt. Quibus ante altare coram Pontifice genuflexis, et in modum coronæ dispositis, Archidiaconus publice interrogat omnes, si sint aliqui, qui forte non sint confirmati; quia non debent ad ordinationem accedere, nisi prius confirmentur. Et, si aliqui confirmandi erunt, tunc depositis Pontifex annulis, et chirothecis, lavat manus, reassumit annulos, et confirmat, prout habetur supra folio primo; vel si non erunt aliqui confirmandi, palam interdicit per unum ex suis, sub his verbis :

Reverendissimus in Christo pater, et dominus, dominus, N. Dei, et Apostolicæ sedis gratia, Episcopus N. sub excommunicationis pœna præcipit, et mandat omnibus, et singulis, pro suscipiendis Ordinibus hic præsentibus, ne quis forsan eorum irregularis, aut alias a jure, vel ab homine excommunicatus, interdictus, suspensus, spurius, infamis, aut alias a jure prohibitus, sive ex aliena diœcesi oriundus, sine licentia sui Episcopi, aut non descriptus, examinatus, approbatus, et nominatus, ullo pacto audeat ad suscipiendos Ordines accedere. Et quod nullus ex ordinatis discedat, nisi Missa finita, et benedictione Pontificis accepta.

Demum ad ordinationem procedat.

I. DE CLERICO FACIENDO.

Clericus fieri potest etiam extra Missarum solemnia quocumque die, hora, et loco.

Pro Clericis ordinandis, parentur forfices pro incidendis capillis, et bacile pro illis imponendis. Et quilibet ordinandorum habere debet suum superpelliceum super brachium sinistrum, et candelam in manu dextra. Et vocantur omnes tonsurandi nominatim, et sigillatim per notarium, et quilibet respondet, *Adsum*.

Quibus ante altare coram Pontifice in faldistorio cum

mitra sedente genuflexis, Pontifex surgit cum mitra, et dicit : *Ut in Pontificali.*

Incepto Psalmo, Pontifex cum forficibus incidit unicuique extremitates capillorum in quatuor locis, videlicet, in fronte, in occipito, et ad utramque aurem, deinde in medio capitis aliquot crines capillorum et in bacile deponit, et quilibet, cum tondetur, dicit : *Dominus, ut in Pontif.*

Omnibus tonsis, mitra deposita, surgit Pontifex, et stans versus ad illos, dicit : *Oremus.* Finita Oratione schola inchoat, et prosequitur Antiphonam *Hi accipient, et Ps.* 23 *Domini est terra,* cum repetitione Antiphonæ, qua finita dicit : *Adesto, ut in Pontificali.*

Tum Pontifex sedet cum mitra, et accipiens in manum superpelliceum, dicit singulis : *Induat te, ut in Pontificali.*

Et mox imponit illud cuilibet, repetendo, *Induat te,* etc., immittens usque ad scapulas, et immediate trahens, si unum tantum sit superpelliceum; sicque facit usque ad ultimum, qui eo totaliter induitur; si vero quisque suum superpelliceum habeat, singuli totaliter induuntur. Quo expedito, sine mitra surgit Pontifex, et versus ad illos dicit : *Oremus Omnipotens, ut in Pontificali.*

Deinde sedet cum mitra Pontifex, et alloquitur eos sub his verbis : *Filii charissimi, ut in Pontificali.*

Qua allocutione finita, suggerente Archidiacono, ordinati redeunt ad loca sua.

II. DE MINORIBUS ORDINIBUS.

Quatuor minores Ordines dari possunt extra Missarum solemnia, diebus Dominicis, et Festivis duplicibus; sed in mane tantum.

Ordinandi omnes ad quatuor minores Ordines esse debent superpelliceis induti, cum candela in manu dextera.

I. DE ORDINATIONE OSTIARIORUM.

Pro Ostiariis ordinandis parentur claves Ecclesiæ. Pontifex, Clericis ordinatis, surgit et cum mitra ad sedem,

seu ad faldistorium, ad cornu Epistolæ, revertitur; ubi, deposita mitra, et ad altare conversus, oblato sibi libro, cantat primam Collectam, deinde sedet, reassumit mitram, et cantatur prima Lectio. Interim accedunt duo Capellani cum libro et candela ante Pontificem, qui sedens cum mitra, ex eo legit Lectionem ipsam. Quibus finitis, surgit Pontifex, et cum mitra ad faldistorium ante medium altaris sibi præparatum proficiscitur, et in illo sedet renibus altari versis. Archidiaconus vocat ordinandos dicens : *Accedant qui ordinandi sunt ad officium Ostiariorum.*

Et mox notarius singulos nominatim vocat, et quilibet respondet : *Adsum.*

Omnibus in superpelliceis cum candelis in manibus coram Pontifice genuflexis, Pontifex admonet illos dicens : *Suscepturi, ut in Pontificali.*

Hæ admonitiones non fiunt Cardinalibus neque electis Episcopis.

Deinde Pontifex accipit, et tradit omnibus claves Ecclesiæ, quas successive manu dextera singuli tangant, Pontifice dicente : *Sic agite, ut in Pontificali.*

Post hæc Archidiaconus, sive alius Archidiaconi vice fungens, ducit eos ad ostium Ecclesiæ, et facit illos claudere, et aperire; tradit etiam eis funem campanarum, faciens eos campanas pulsare; deinde illos reducit ad Pontificem; quibus coram Pontifice genua flectentibus, stans cum mitra Pontifex versus ad ipsos ordinatos, dicit : *Deum Patrem*, etc. et alia, *ut in Pontificali.*

II. DE ORDINATIONE LECTORUM.

Pro Lectoribus ordinandis paretur liber Lectionum.

OSTIARIIS ordinatis, Pontifex reassumpta mitra, accedit ad sedem suam, vel ad faldistorium a parte Epistolæ. Interim cantatur primum Graduale, vel primum *Alleluia,* si sit infra Octavam Pentecostes; et Pontifex sedens cum mitra, oblato sibi libro, et candela, legit dictum Graduale,

vel *Alleluia*. Quibus dictis, surgit, deposita mitra, et versus ad altare cantat secundam Collectam. Tum sedet, reassumpta mitra, et cantatur secunda Lectio. Interim accedunt duo Capellani cum libro, et candela ante Pontificem, qui sedens cum mitra, ex eo legit Lectionem ipsam. Quibus dictis, Pontifex revertitur ad faldistorium ante medium altaris positum, ubi sedet cum mitra, et Lectores vocantur per Archidiaconum, hoc modo : *Accedant qui ordinandi sunt ad officium Lectorum*.

Et mox nominantur per notarium, ut supra dictum est. Quibus coram Pontifice cum candelis in manibus genuflexis, Pontifex admonet eos, dicens : *Electi, ut in Pontificali*.

Deinde Pontifex accipit, et tradit omnibus codicem, de quo lecturi sunt, quem manu dextera tangunt, dicens : *Accipite*, etc. et alia, *ut in Pontificali*.

III. DE ORDINATIONE EXORCISTARUM

Pro Exorcistis ordinandis paretur liber exorcismorum, cujus loco dari potest Pontificale, vel Missale.

LECTORIBUS ordinatis, Pontifex reassumpta mitra, accedit ad sedem suam, vel ad faldistorium, ad cornu Epistolæ, ubi sedens cum mitra, oblato sibi libro, et candela, legit secundum Graduale, vel secundum *Alleluia*, si sit infra Octavam Pentecostes. Interim cantatur a choro ipsum Graduale, vel *Alleluia*. Quo finito, surgit Pontifex, deposita mitra, et versus ad altare cantat tertiam Collectam. Tum sedet, reassumpta mitra, et cantatur tertia Lectio. Interim accedunt duo Capellani cum libro, et candela ante Pontificem, qui ex eo legit Lectionem ipsam. Quibus dictis revertitur ad faldistorium ante altare, et sedet cum mitra. Exorcistæ vero vocantur per Archidiaconum modo consueto, dicendo : *Accedant qui ordinandi sunt ad officium Exorcistarum*.

Et ipsi singulatim nominantur per notarium, ut prius

dictum est. Quibus coram Pontifice cum candelis in manibus genuflexis, Pontifex admonet eos, dicens : *Ordinandi*, *ut in Pontificali*.

Post hæc Pontifex accipit, et tradit omnibus librum, in quo scripti sunt exorcismi, cujus loco tradi potest Pontificale, vel Missale, quem manu dextera tangunt, Pontifice dicente : *Accipite*, etc. et alia, *prout in Pontificali*.

IV. DE ORDINATIONE ACOLYTHORUM.

Pro Acolythis ordinandis parentur candelabrum cum cereo extincto, et urceolus vacuus pro vino, pro Sacramento.

Exorcistis ordinatis, Pontifex, reassumpta mitra, accedit ad sedem suam, vel ad faldistorium, ad cornu Epistolæ, ubi sedens cum mitra, oblato sibi libro, et candela, legit tertium Graduale, vel tertium *Alleluia*, si sit infra Octavam Pentecostes. Interim a choro cantatur ipsum Graduale, vel *Alleluia*. Quo finito, surgit Pontifex, deposita mitra, et versus ad altare cantat quartam Collectam. Tum sedet, reassumpta mitra, et cantatur quarta Lectio. Interim accedunt duo Capellani cum libro, et candela ante Pontificem, qui ex eo legit Lectionem ipsam. Quibus dictis, Pontifex revertitur ad faldistorium, ante altare, ubi sedet cum mitra. Acolythi vero vocantur per Archidiaconum. *Accedant qui ordinandi sunt ad officium Acolythorum*.

Et mox nominantur per notarium, ut supra. Quibus coram Pontifice cum candelis in manibus genuflexis, Pontifex admonet eos, dicens : *Suscepturi, ut in Pontificali*.

Post hæc Pontifex accipit, et tradit omnibus candelabrum cum candela extincta, quod successive manu dextera singuli tangant, Pontifice dicente : *Accipite ceroferarium*, etc., *ut in Pontificali*.

Tunc accipit, et tradit eis urceolum vacuum, quem similiter tangere debent, dicens communiter omnibus : *Accipite urceolum*, etc., *ut in Pontificali*.

Postea, eis genuflexis permanentibus, Pontifex stans cum mitra versus ad eos, dicit : *Deum Patrem*, etc. et alia, *ut in Pontificali*.

III. DE SACRIS ORDINIBUS IN GENERE.

SACRI, et majores Ordines sunt, Subdiaconatus, Diaconatus, et Presbyteratus, ad quos ordinati omnes debent communicare; ideo parentur pro eorum numero hostiæ parvæ consecrandæ.

I. DE ORDINATIONE SUBDIACONI.

Pro ordinatione Subdiaconorum parentur Calix vacuus, cum Patena superposita, Urceoli cum manutergio, et liber Epistolarum.

ACOLYTHIS ordinatis, Pontifex, reassumpta mitra, accedit ad sedem suam, vel ad faldistorium ad cornu Epistolæ, ubi sedens cum mitra, oblato sibi libro, et candela, legit quartum Graduale, vel quartum *Alleluia*, si sit infra Octavam Pentecostes; interim a choro cantatur ipsum Graduale, vel *Alleluia*. Quo finito, surgit Pontifex, deposita mitra, et versus ad altare cantat quintam Collectam.

Tum sedet, reassumpta mitra, et cantatur quinta Lectio. Interim accedunt duo Capellani cum libro, et candela ante Pontificem, qui ex eo legit Lectionem ipsam. Quibus dictis, Pontifex revertitur ad sedem suam, ante medium altaris; et Archidiaconus versus ad ordinandos, dicit : *Accedant qui ordinandi sunt Subdiaconi*.

Et notarius unumquemque illorum vocat, dicens :

N. ad titulum Ecclesiæ N.

N. ad titulum patrimonii sui.

Frater N. professus ordinis N. ad titulum paupertatis.

Et sic de aliis; et quilibet vocatus dicit : *Adsum*, et accedit versus Episcopum.

Debet autem quilibet ordinandorum in Subdiaconum indutus esse amictu, non tamen super caput, alba, et cin-

gulo, habere manipulum in manu sinistra, tunicellam super brachio sinistro, et candelam in manu dextera.

Omnibus autem in Subdiaconos ordinandis competenti spatio coram Pontifice stantibus, Pontifex cum mitra sedens admonet eos (nisi omnes sint religiosi, quia tunc ista admonitio omittitur), dicens : *Filii dilectissimi*, etc.

Illis tunc accedentibus, et coram Pontifice genuflexis, Archidiaconus vocat cæteros ordinandos, dicens : *Accedant qui ordinandi sunt Diaconi, et Presbyteri.*

Quibus accedentibus, archidiaconus ordinat eos, videlicet, Diaconandos paratos amictu, alba, cingulo et manipulo, stolam in manu sinistra, dalmaticam super brachium sinistrum, et candelam in manu dextera tenentes, contra cornu Epistolæ altaris, faciebus altari versis; et Presbyterandos paratos amictu, alba, cingulo, manipulo, stola in modum Diaconi, planetam super brachium sinistrum, mappulam albam manu sinistra, et candelam dextera tenentes contra faciem Pontificis, ac medium altaris, faciebus similiter altari versis. Quibus sic ordinatis, Pontifex mitram in capite tenens procumbit super faldistorium, in superiori gradu, sive plano altaris paratum, et omnes ordinandi in locis super tapetia prosternunt se, ministri vero, et alii adstantes genuflectunt; et schola inchoat Litanias, choro respondente; vel si officium fiat sine cantu, Pontifex dicit, ministris, et Capellanis respondentibus : *Kyrie, eleison*, etc.

Postquam autem dictum fuerit in Litaniis :

Ut omnibus fidelibus defunctis, etc.

℟. *Te rogamus, audi nos.*

surgit Pontifex cum mitra ab accubitu, et se ad ordinandos vertens, et baculum Pastoralem in sinistra manu tenens, ordinandis prostratis manentibus, dicit :

Ut hos electos bene ✠ dicere digneris.

℟. *Te rogamus, audi nos.*

Secundo dicit :

Ut hos electos bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris.

℟. *Te rogamus, audi nos.*

Tertio dicit :

Ut hos electos bene ✠ dicere, sancti ✠ ficare, et conse ✠ crare digneris.

℟. *Te rogamus, audi nos.*

Tum iterum super faldistorium procumbit, schola perficiente Litanias, *Ut nos exaudire digneris*, usque ad finem. Quibus finitis, Pontifex surgens cum mitra sedet super faldistorium ante medium altaris, et Archidiaconus dicit alta voce :

Recedant in partem, qui ordinandi sunt Diaconi et Presbyteri.

Quibus ad aliquem locum idoneum, unde Pontificem celebrantem videre possint, transeuntibus, ad ordinationem Subdiaconorum proceditur. Illis itaque coram Pontifice, per ordinem, in modum coronæ, genuflexis, Pontifex admonet eos dicens : *Adepturi*, etc.

Finita admonitione Pontifex accipit, et tradit omnibus Calicem vacuum, cum Patena vacua superposita, quem successive manu dextera singuli tangunt, Pontifice dicente : *Videte*, etc.

Et Archidiaconus accipit, et trahit eis urceolos cum vino et aqua, ac bacilè cum manutergio, quæ omnia similiter tangere debent.

Postea surgit Pontifex, et versus ad populum stans cum mitra, dicit : *Oremus*, etc.

Tum Pontifex sedens, accepta mitra, amictum qui in collo ordinandorum jacet, imponit super caput singulis, dicens : *Accipe amictum*, et tum immittit manipulum in sinistrum brachium cuilibet, dicens : *Accipe manipulum*,

et post hæc induit quemlibet tunica, et si tantum unica sit, immittit illam cuilibet solum usque ad scapulas, ac retrahens, postremum totaliter induit, dicens cuilibet : *Tunica*, et postea accipit, et tradit omnibus librum Epistolarum, manu dextera ipsum simul tangentibus, dicens : *Accipite*, etc.

Omnibus expeditis, suggerente Archidiacono, ordinati redeunt ad loca sua ; unus tamen de noviter ordinatis, tunica indutus dicet Epistolam suo tempore.

II. DE ORDINATIONE DIACONI.

Subdiaconis ordinatis, Pontifex, reassumpta mitra, accedit ad sedem suam, vel ad faldistorium, ad cornu Epistolæ, ubi sedens cum mitra, oblato sibi libro et candela, legit Hymnum *Benedictus es*, vel *Alleluia*, cum Versu *Benedictus es*, si sit infra Octavam Pentecostes. Interim cantatur a choro dictus Hymnus, vel *Alleluia*, cum suo Versu ut supra. Quo finito, surgit Pontifex deposita mitra, et versus ad altare, dicit in competenti tono *Gloria in excelsis Deo*, si sit infra Octavam Pentecostes, quod dum a choro perficitur, sedet cum mitra. Quo finito, deposita mitra, surgit, et versus ad Populum, dicit : *Pax vobis*, vel *Dominus vobiscum*, si *Gloria in excelsis* non sit dicendum, et conversus ad altare cantat orationem Missæ diei, cum oratione pro ordinatis, et ordinandis, sub uno *Per Dominum nostrum*, videlicet : *Oratio Exaudi*, etc.

Qua finita oratione, sedet Pontifex, reassumpta mitra, et oblato sibi libro et candela, legit Epistolam. Interim per unum ex Subdiaconis noviter ordinatis cantatur Epistola. Qua finita surgit Pontifex, et accedit ad faldistorium ante altare cum mitra, et ibi sedet. Promovendi vero ad Ordinem Diaconatus per Archidiaconum vocantur dicendo : *Accedant, qui ordinandi sunt ad Diaconatum*.

Et mox singulatim nominantur per notarium, nulla

tamen facta mentione de titulo. Eis igitur amictu, alba, cingulo, et manipulo paratis, ac stolam in sinistra manu, et candelam in dextera, ac dalmaticam super brachium sinistrum tenentibus, et in modum coronæ coram Pontifice genuflexis, Archidiaconus offerens illos Pontifici, dicit: *Reverendissime pater*, etc.

Pontifex interrogat, dicens :

Scis illos dignos esse?

Respondet archidiaconus :

Quantum humana fragilitas nosse sinit, et scio et testificor ipsos dignos esse ad hujus onus officii.

Et Pontifex dicit : *Deo gratias.*

Et ad eorum ordinationem procedit. In primis Pontifex cum mitra sedens, clero et populo annuntiat, dicens : *Auxiliante.* Et facta aliquali mora, Pontifex convertens sermonem suum ad ordinandos, admonet eos, dicens : *Provehendi,* etc.

Deinde, si non sint ordinati Subdiaconi, ordinandi omnes prosternunt se, ubi genuflectebant, et Pontifice ante faldistorium suum genuflectente, dicuntur Litaniæ, et ordinandi per Pontificem benedicuntur, prout supra in ordinatione Subdiaconi dictum est. Post hæc ordinandis ab accubitu surgentibus, genuflexis tamen manentibus, Pontifex sedens in faldistorio cum mitra, intelligibili voce alloquitur clerum et populum, dicens : *Commune votum*, etc.

Deinde surgens cum mitra Pontifex, stans versus ad ordinandos dicit, alta voce legendo : *Oremus*, etc.

Deinde, deposita mitra, extensis manibus ante pectus, dicit : *Per omnia*, etc.

Hic solus Pontifex manum dexteram extendens, ponit super caput cuilibet ordinando; et nullus alius, quia non ad Sacerdotium, sed ad ministerium consecrantur, dicens singulis : *Accipe Spiritum*, etc.

Postea prosequitur in primo tono, extensam tenens manum dexteram, usque in finem Præfationis, *Emitte*, etc.

In fine præfationis quod sequitur *potiora mereantur* dicit Pontifex submissa voce legendo, ita tamen quod a circumstantibus possit audiri : *Per eumdem.*

Post hæc Pontifex sedens cum mitra cuilibet ordinando ante se genuflexo, stolam quam singuli in manu habent, imponit successive super humerum sinistrum, dicens singulis : *Accipe stolam*, etc., faciens super quemlibet eorum signum crucis, et ministri reflectent capita stolæ, et alligent sub brachio dextro.

Post hæc Pontifex accipiens dalmaticam, induit ea quemlibet successive, usque ad humeros, et sic fit usque ad ultimum, quem ea totaliter induit; et hoc, si una tantum sit dalmatica. Si vero quilibet suam habet, tunc singulos sua totaliter induit, dicens cuilibet : *Induat te*, etc.

Postremo Pontifex accipit, et tradit omnibus librum Evangeliorum, quem manu dextera tangunt, dicens : *Accipe potestatem*, etc., et postea *duplicem oratione.*

Deinde, cum tempus fuerit, aliquis de noviter ordinatis dalmatica indutus, Evangelium dicet : Ordinati autem statim, suggerente Archidiacono, redeunt ad loca sua.

III. DE ORDINATIONE PRESBYTERI

Pro Ordinatione Presbyterorum parentur oleum catechumenorum ; Calix cum vino, et aqua ; Patena, et Hostia desuper posita ; medulla panis, et bacile cum buccali pro manibus abluendis, quas singuli ad suas mappulas extergunt.

Diaconis ordinatis, Pontifex ad sedendum in sede sua, vel in faldistorio in plano juxta cornu Epistolæ accedit, et cantatur Tractus, usque ad ultimum Versum exclusive vel, si sit infra Octavam Pentecostes, Tractus, et Sequentia usque ad ultimum Versum exclusive. Interim accedunt duo Capellani cum libro, et candela ante Pontificem, qui ex eo legit ipsum Tractum, et Sequentiam, usque ad ultimum Versum exclusive. Deinde Pontifex cum mitra revertitur ante altare, ubi sedet super faldistorium.

Tunc Archidiaconus vocat ordinandos voce intelligibili dicens : *Accedant qui ordinandi sunt ad ordinem Presbyteratus.*

Et mox nominatim leguntur per notarium, prout supra dictum est, nulla tamen de titulo facta mentione. Tunc *illi* more Diaconorum parati, amictu, alba, cingulo, stola, et manipulo, tenentes planetas super brachium sinistrum complicatas, et in manu dextera candelas, ac mappulas albas pro ligandis et lavandis manibus, ad Pontificem accedunt, et coram eo in modum coronæ se disponunt. Tunc Archidiaconus præsentat ordinandos Pontifici, dicens : *Reverendissime*, etc.

Et Pontifex interrogat, dicens :

Scis illos esse dignos?

Respondet Archidiaconus : *Quantum*, etc.

Pontifex dicit : *Deo gratias.*

Et annuntiat clero, et populo, dicens : *Quoniam*, etc.

Postea Pontifex, facta aliqua mora, convertens sermonem suum ad ordinandos admonet eos, dicens : *Consecrandi*, etc.

Si non sint factæ ordinationes Subdiaconorum, vel Diaconorum, dicuntur Litaniæ, ut supra in ordinatione Subdiaconorum dictum est.

Post hæc surgunt omnes, et ordinandis coram Pontifice binis, et binis successive genuflectentibus, Pontifex stans ante faldistorium suum cum mitra, et nulla oratione, nulloque cantu præmissis, imponit simul utramque manum super caput cujuslibet ordinandi successive, nihil dicens. Idemque faciunt post eum omnes Sacerdotes, qui adsunt, quorum tres, aut plures, planetis vel saltem cum stolis parati, si commode fieri potest, esse deberent. Quo facto, tam Pontifex, quam Sacerdotes, tenent manus dexteras extensas super illos. Et Pontifex stans cum mitra, dicit : *Oremus*, Orationem et præfationem.

Qua finita, Pontifex sedet, accepta mitra, et reflectit ora-

rium, sive stolam ab humero sinistro cujuslibet, capiens partem, quæ retro pendet, et imponens super dexterum humerum, aptat eam ante pectus, in modum crucis, singulis dicens : *Accipe jugum*, etc.

Postea imponit cuilibet successive casulam usque ad scapulas, quam quilibet teneat super humeros complicatam, a parte anteriori deorsum dependentem, singulis dicens : *Accipe vestem*, etc.

Surgit Pontifex sine mitra, et omnibus genua flectentibus, dicit : *Deus sanctificationum*, etc.

Finita oratione Pontifex sine mitra ante altare conversus, flexis genibus incipit alta voce, schola prosequente Hymnum : *Veni*, *creator Spiritus.*

Finito primo versu surgit Pontifex, et facit ut in fine Hymni habetur, interim schola prosequitur Hymnum; qui, si propter ordinandorum multitudinem necesse fuerit, repetatur, omisso primo Versu.

Dicto primo Versu, surgit Pontifex, et sedet in faldistorio cum mitra, et depositis chirothecis, et annulo Pontificali reassumpto, ponitur ei gremiale, sive mappula super gremium, et singuli ordinandi successive coram eo genua flectunt; et Pontifex cum oleo catechumenorum inungit unicuique ambas manus simul junctas, in modum crucis, producendo cum pollice suo dextero in dictum oleum intincto duas lineas, videlicet, a pollice dexteræ manus usque ad indicem sinistræ, et a pollice sinistræ usque ad indicem dexteræ, ungendo mox totaliter palmas, dicens, dum quemlibet inungit : *Consecrare*, etc.

Pontifex producit manu dextera signum crucis super manus illius quem ordinat, et prosequitur : *Ut quæcumque*, etc. Et quilibet ordinandus respondet, *Amen*.

Tum Pontifex claudit, seu jungit manus cuilibet successive, quas sic consecratas aliquis ministrorum Pontificis albo panniculo lineo simul, videlicet, dexteram super sinistram alligat; et mox unusquisque ad ordinem suum

redit; et sic clausas, et alligatas manus tenet. Omnium manibus unctis, et consecratis, Pontifex pollicem mica panis tergit; tum tradit cuilibet successive Calicem cum vino, et aqua et Patenam superpositam cum Hostia, et ipsi illam accipiunt inter indices et medios digitos, et cuppam Calicis et Patenam simul tangunt, Pontifice singulis dicente : *Accipe*, etc.

His peractis, Pontifex lavat manus cum medulla panis, et aqua lotionis hujusmodi projicitur in sacrarium; deinde cum mitra revertitur ad sedem suam, vel ad faldistorium in cornu Epistolæ, in plano sibi paratum, ubi sedet cum mitra. Et chorus cantat ultimum Versum Tractus, vel Sequentiæ, sive *Alleluia*. Interim accedunt duo Capellani ante Pontificem cum libro et candela, qui ex eo legit dictum ultimum Versum Tractus, vel Sequentiæ, sive *Alleluia*, legit etiam secrete *Munda cor meum*, atque Evangelium.

Interea unus ex Diaconis noviter ordinatis accedit ad altare cum textu Evangelii ante pectus, et dicit : *Munda cor meum*, etc., et cantat Evangelium. Interim parantur per ministros Hostiæ super altare, pro numero ordinatorum in ordinibus sacris, qui omnes communicare debent, et proceditur in Missa ordine solito. Interea dum Offertorium cantatur, vel etiam prius, ordinati Sacerdotes poterunt lavare manus suas cum medulla panis, et aqua bene mundare, atque extergere mappulis illis, quibus ligatæ erant, et aqua ablutionis hujusmodi projiciatur in sacrarium.

Pontifex vero, Offertorio lecto, accepta mitra, vadit ad faldistorium ante medium altaris, et ibi sedens accipit Offertorium ab omnibus ordinatis, qui omnes accedunt bini et bini ad Pontificem, coram quo genuflexi offerunt illi singulas candelas accensas, et osculantur ejus manum; primo Presbyteri, tum Diaconi successive, et alii suo ordine.

Accepto singulorum Offertorio, Pontifex lavat manus, et surgit sine mitra, ac tōllitur faldistorium, et prosequitur Missam.

Presbyteri vero ordinati, post Pontificem, vel hinc et inde, ubi magis commodum erit, in terra genuflexi habeant libros coram se, dicentes :

Suscipe, sancte Pater, etc., et omnia alia de Missa, prout dicit Pontifex : qui tamen bene advertat, quod Secretas morose dicat, et aliquantulum alte, ita ut ordinati Sacerdotes possint secum omnia dicere, et præsertim verba consecrationis, quæ dici debent eodem momento per ordinatos, quo dicuntur per Pontificem.

Secreta pro ordinatis, quæ dicitur cum Secreta Missæ diei sub uno *Per Dominum*, etc. : *Tuis*, *quæsumus*, etc.

Cum Pontifex dixerit orationem, *Domine Jesu Christe, qui*, etc., osculatur altare, et dat primo ex singulis ordinatis cujuslibet ordinis sacri ad eum successive accedenti, et altare prius ad dexteram Pontificis deosculanti, pacem, dicens : *Pax tecum.* Cui illi respondet : *Et cum spiritu tuo.*

Et quilibet illorum dat sequenti sui Ordinis secum ordinato, et ille alteri, et sic usque ad ultimum continuatur. Si autem ordinatorum parvus sit numerus, Pontifex poterit dare pacem singulis.

Postquam vero Pontifex se communicaverit, et totum Sanguinem sumpserit, priusquam digitos abluat, accedunt ante altare Presbyteri, deinde Diaconi, tandem Subdiaconi : quibus ordinate dispositis, et genuflexis, Pontifex facta reverentia Sacramento, et aliquantulum versus cornu Evangelii se retrahens, ad eos se convertit, et singuli ex Diaconis et Subdiaconis, tantum dicunt submissa voce : *Confiteor*, etc.

Et si Officium fiat in cantu, unus de noviter ordinatis illud cantat.

Et Pontifex stans capite detecto, versus ad eos dicit in-

telligibili voce, nisi Officium fiat in cantu : *Misereatur*, etc., et *Indulgentiam*.

Et manu dextra signum crucis super eos communiter producit. Presbyteri ante communionem non dicunt Confessionem, nec datur eis absolutio, quia concelebrant Pontifici, propterea si non sunt alii ordinati, Confessio, et Absolutio prædictæ omittuntur.

Tum accedunt ordinati ad supremum gradum altaris, bini et bini. Pontifex vero ponit plures Hostias consecratas super Patenam, quam ori cujuslibet communicandi supponit, et singulos communicat, cuilibet dicens : *Corpus*, etc.

Unus ministrorum Pontificis stat juxta cornu Epistolæ altaris Calicem habens, non illum cum quo Pontifex celebravit, sed alium cum vino, et mappulam mundam in manibus, ad quem singuli communicati accedunt, et se purificant, os extergunt, et ad partem se locant.

Omnibus communicatis, Pontifex extergit Patenam super Calicem suum, super eum digitos abluit, sumit ablutionem, accipit mitram, et lavat manus.

Pontifex, lotis manibus, mitra deposita stans in cornu Epistolæ altaris, versus ad illud inchoat in cantu, schola prosequente, Responsorium *Jam non dicam*, quod a Septuagesima usque ad Pascha, dicitur sine *Alleluia*.

Incepto Responsorio, Pontifex, accepta mitra, vertit se ad Presbyteros ordinatos, qui ante altare coram ipso stantes profitentur fidem, quam prædicaturi sunt, dicentes : *Credo in Deum*, etc.

Quo finito, Pontifex cum mitra sedens super faldistorium, ante medium altaris, imponit ambas manus super capita singulorum coram eo genuflectentium, dicens cuilibet : *Accipe Spiritum*, etc.

Deinde explicans casulam, quam unusquisque habet super humeros complicatam, induit illa quemlibet, singulis dicens :

Stola innocentiæ induat te Dominus.

Et mox unusquisque iterum ad Pontificem accedit; et genuflexus ponit manus suas junctas inter manus Pontificis dicentis cuilibet, si suus est Ordinarius :

Promittis mihi et Successoribus meis reverentiam, et obedientiam?

Et ille respondet : *Promitto.*

Si vero Pontifex non est suus Ordinarius, cum manus eorum inter suas tenet, ut præfertur, dicit singulis Presbyteris sæcularibus :

Promittis Pontifici Ordinario tuo, etc.

Singulis vero Regularibus :

Promittis Prælato Ordinario, etc.

Promittis Pontifici (vel *Prælato*) *Ordinario tuo pro tempore existenti reverentiam, et obedientiam?*

Et ille respondet : *Promitto.*

Tunc Pontifex tenens manus illius inter suas, osculatur unumquemque, dicens :

Pax Domini sit semper tecum.

Et ille respondet : *Amen.*

His expletis, et eis ad ordinem suum reversis, Pontifex sedens cum mitra, et baculo, admonet eos, dicens : *Quia res*, etc.

Pontifex surgit cum mitra, et baculo, et Presbyteris coram eo adhuc genuflexis benedicit, dicens voce competenti : *Benedictio*, etc.

Post hæc Pontifex, deposita mitra, et amoto faldistorio, convertitur ad altare, prosequitur Missam, et cantatur Communio; et dicitur Postcom. *Quos tuis* pro ordinatis sub uno *Per Dominum*, cum Postcommunione Missæ diei.

Deinde dicitur, *Benedicamus Domino*, vel, *Ite Missa est*, prout tempus requirit, et per Pontificem, *Placeat tibi sancta*, etc.

Quo dicto Pontifex, accepta mitra, et baculo Pastorali,

dat benedictionem solitam dicens : *Sit nomen Domini benedictum*, etc.

Tum sedet, et alloquitur ordinatos sub his verbis : *Filii dilectissimi*, etc.

Quod illi devote suscipiunt, et respondent se facturos.

Tum Pontifex convertit se ad altare, et dicit submissa voce : *Dominus vobiscum.*

Initium sancti Evangelii secundum Joannem. In principio, etc.

Signat altare, et se ; et revertitur ad sedem, vel ad faldistorium, ubi exuitur sacris vestibus. Ordinati etiam ad Presbyteratum dicunt idem Evangelium, et in loco convenienti sacras vestes deponunt, et cum eis alii ordinati.

Caput III. *De Consecratione Electi in Episcopum.*

Nemo consecrari debet, nisi prius constet Consecratori de commissione consecrandi, sive per litteras Apostolicas, si sit extra curiam, sive per commissionem vivæ vocis oraculo, a Summo Pontifice Consecratori factam, si Consecrator ipse sit Cardinalis.

Statuta die consecrationis, quæ debet esse Dominica, vel Natalitium Apostolorum, vel etiam festiva, si Summus Pontifex hoc specialiter indulserit : et tam Consecrator, quam Electus conveniens est, ut præcedenti die jejunent.

Consecratio, si extra curiam Romanam fiat, in Ecclesia, ad quam promoti fuerint, aut in provincia, si commode fieri poterit, celebretur.

In Ecclesia, ubi fiet consecratio, ornantur duæ capellæ, major pro Consecrante, et minor pro Electo. Et in majori quidem, super altari parato, ut est moris, erit crux in medio, et ad minus quatuor candelabra. In terra ad gradus altaris erunt tapetia strata, super quibus procumbit Electus, sed Consecrator, et alii genuflectent.

Paratur etiam in loco propinquo, et congruo credentia

pro Consecratore, super quam erit mappa munda, duo candelabra; vasa ad abluendum manus, cum suis mantilibus; vas cum aqua benedicta, et aspersorio; thuribulum cum navicella, cochleari, et incenso, si Officium fit in cantu, alias non : ampullæ cum vino, et aqua pro sacrificio; Calix, hostiaria cum hostiis; medulla panis pro abstergendis manibus; sanctum Chrisma.

Item paramenta omnia Pontificalia, coloris tempori et officio Missæ convenientis, videlicet, sandalia, amictus, alba, cingulum, crux pectoralis, stola, tunicella, dalmatica, chirotecæ, planeta, mitra auriphrigiata, annulus Pontificalis, baculus Pastoralis, manipulus, et gremiale.

Item paratur faldistorium ornatum pro Consecratore; et tres sedes pro Electo, et duobus Episcopis assistentibus; Missale, et Pontificale. Consecrator habeat tres Capellanos ad minus, cum superpelliceis, et duos scutiferos ad credentiam.

In capella vero minore pro Electo, quæ a majore debet esse distincta, paratur altare cum cruce, et duobus candelabris, et super illud Missale, et Pontificale; ac paramenta omnia Pontificalia albi coloris, ut supra pro Consecratore numerata sunt; et ultra illa, pluviale album, et prope altare credentia minor cum mappa munda, et vasis ad abluendum manus, et medulla panis ad extergendum manus et caput.

Ponuntur etiam octo mappulæ ex duabus cannis panni linei subtilis, per medium scissis in longitudinem, quarum duæ sint longitudinis sex palmorum quælibet, aliæ vero sex æqualis sint quantitatis. Et candelæ saltem octo unius libræ quælibet, quarum quatuor super altare Consecrantis, duæ super ejus credentiam, et duæ super altare Electi ponuntur.

Annulus cum gemma benedicendus, et Electo tradendus, pecten eburneus. Et pro Offertorio intortitia duo, quatuor librarum quodlibet, duo panes magni, et duo

barilia vini; panes et barilia ornentur, duo, videlicet, videantur argentea, et duo aurea, hinc et inde insignia Consecratoris et Electi habentia, cum capello, vel cruce, vel mitra, pro cujusque gradu et dignitate.

Adsint duo ad minus Episcopi assistentes, qui induuntur rochetto, et si sint Regulares, superpelliceo, amictu, stola, pluviali (quæ cum reliquis paramentis sint coloris tempori et officio Missæ congruentis), et mitra simplici alba, et quisque habeat suum Pontificale.

Hora igitur competenti Consecrator, Electus, assistentes Episcopi, et alii, qui consecrationi interesse debent, ad Ecclesiam conveniunt, et Consecrator, facta oratione ante altare, ascendit ad sedem, si sit in Ecclesia sua, vel accedit ad faldistorium in capella sua, juxta cornu Epistolæ præparatum, et ibi de more paratur. Electus vero cum assistentibus Episcopis vadit ad capellam suam, et ibi capit paramenta opportuna, videlicet, si Missa cantatur, amictum, albam, cingulum, stolam in modum Sacerdotis, et pluviale. Si vero Officium legitur, poterit, antequam dicta paramenta accipiat, capere sandalia, et legere Psalm. *Quam dilecta*, etc. Assistentes etiam Episcopi interim sua paramenta prædicta capiunt. Omnibus itaque paratis, Consecrator accedit ante altare, et ibi in medio sedet super faldistorium, vertens renes altari. Electus vero cum suo bireto ducitur sic paratus, medius inter assistentes sibi Episcopos paratos, et mitratos; et, cum ante Consecratorem pervenerit, nudato capite, illud profunde inclinando, ei reverentiam facit, assistentes vero Episcopi eidem cum mitra caput aliquantulum inclinant.

Tum sedent in sedibus suis, ante Consecratorem, hoc modo. Electus contra faciem Consecratoris, ita ut inter eos sit competens distantia. Antiquior Episcopus assistens ad dexteram Electi, junior ad sinistram; ita tamen, quod ipsi Assistentes ad alterutrum facies vertant. Cum sic locati fuerint, et aliquantulum quieverint, surgunt, Electus

sine bireto, et assistentes Episcopi sine mitris, et senior Assistentium versus ad Consecratorem, dicit : *Reverendissime*, etc.

Tum notarius Consecratoris accipiens mandatum de manu Episcopi Assistentis, legit à principio ad finem. Interim sedent omnes, tectis capitibus. Mandato per notarium perlecto, Consecrator dicit : *Deo gratias.*

Vel, si Consecratio fit vigore litterarum Apostolicarum, per quas etiam juramenti per Electum præstandi receptio Consecratori committitur, litteris ipsis lectis, antequam Consecrator aliud dicat : Electus de sede sua veniens coram Consecratore genuflectit ; et legit juramentum de verbo ad verbum, juxta tenorem commissionis prædictæ præstandum, in hunc modum, videlicet : *Ego*, etc.

Consecrator in gremio suo librum Evangeliorum ambabus manibus apertum tenens, inferiore parte libri Electo versa, ab eo præstationem hujusmodi juramenti recipit. Electo adhuc coram eo genuflexo dicente :

Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.

Et ipsum textum Evangeliorum ambabus manibus tangente, tum, non prius, dicit Consecrator : *Deo gratias.*

Ad hoc tempus singulorum trienniorum tenentur omnes Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, atque Episcopi Itali, videlicet, vel ex Italicis insulis, unde in Italiam commodius trajici potest ; veluti Siculi, Sardi, Corsi, et alii adjacentium provinciarum Italiæ, atque etiam Dalmatiæ et Græcarum, quæ e regione ipsius Italiæ, et Siciliæ oris sunt.

Ad tempus singulorum quadrienniorum, Germani, Galli, Hispani, Belgæ, Bohemi, Hungari, Poloni, Angli, Scoti, Iberni, et ceteri omnes, qui in Europa sunt citra mare Germanicum et Balticum, atque omnium Insularum maris Mediterranei.

Ad tempus singulorum quinquenniorum, qui intra Europæ fines sunt his provinciis remotiores, atque etiam

Africani littoribus nostris adversi, atque insularum maris Oceani, Septentrionalis et Occidentalis Europæ, atque Africæ, citra continentem novi orbis, tam qui nunc sunt, quam qui ad catholicam fidem per misericordiam Dei aliquando redierint.

Ad tempus singulorum decenniorum Asiatici, et qui extra Asiam, et in aliis novis terris Orientalibus, Meridionalibus, Occidentalibus, et Septentrionalibus, tam in Insulis, quam in Continentibus, et denique in quibuslibet mundi partibus existentes.

Deinde Electo, et Assistentibus in locis suis (ut dictum est) sedentibus, Consecrator intelligibili voce legit sequentem examinationem, quæ legi debet semper, sicut jacet, in singulari, etiam si plures simul examinentur. Assistentes vero Episcopi submissa voce dicunt, quæcumque dixerit Consecrator, et omnes debent tunc mitras tenere, et sedere.

Tum Electus aliquantulum assurgens, detecto capite respondet : *Ita ex toto corde volo*, etc.

Et hoc servabit ad omnes alias responsiones sequentes. Et si plures Electi fuerint, successive quisque sic respondet.

Expleto itaque examine, præfati assistentes Episcopi ducunt Electum ad Consecratorem, coram quo genuflexus, ejus manum reverenter osculatur. Tunc Consecrator, deposita mitra, cum ministris ad altare conversus, facit, solito more, Confessionem, Electo a sinistris ejus manente, et omnes Episcopi ante sedes suas stantes faciunt similiter Confessionem cum Capellanis suis. Facta itaque Confessione, Consecrator ascendit ad altare et osculatur illud, et Evangelium in Missa dicendum; et incensat altare, more solito. Deinde vadit ad sedem suam, vel faldistorium, et procedit in Missa usque ad *Alleluia*, sive ultimum Versum Tractus, vel Sequentiæ exclusive.

Si vero Missa legitur, osculato altari, et Evangelio, omissa incensatione, omnia prædicta legit in altari, et illis

dictis, sive Missa legatur, sive cantetur, redit cum mitra ad sedendum in faldistorio, quod ante medium altaris sibi reponitur.

Episcopi vero assistentes ducunt Electum ad capellam suam, et ibi deposito pluviali, Acolythi induunt illum sandalia, ipso Psalmos et Orationes consuetas legente, si prius illa non accepit. Tum accipit crucem pectoralem, et stola ei aptatur, ut ab humeris dependeat. Deinde tunicella, dalmatica, casula et manipulo induitur; quibus indutus accedit ad suum altare, ubi stans in medio medius inter Episcopos assistentes, detecto capite legit totum Officium Missæ, usque ad *Alleluia*, sive ultimum Versum Tractus, vel Sequentiæ exclusive; nec vertit se ad populum cum dicit, *Dominus vobiscum*, ut in aliis Missis fieri solet.

Propter Ordinationes Æpiscoporum nunquam mutatur Officium diei; dicitur tamen post Collectam diei pro Officio Consecrationis, Cellecta pro Electo, sub uno *Per Dominum nostrum*, etc. *Oratio*, *Adesto*, etc.

Finito Graduali, si *Alleluia* dicitur, alioquin dicto Tractu vel Sequentia, usque ad ultimum Versum exclusive, Consecrator accedit ad faldistorium ante medium altaris, et ibi sedet cum mitra; assistentes vero Episcopi iterum ducunt Electum ad Consecratorem, cui Electus, deposito bireto, caput profunde inclinans humilem reverentiam facit; Assistentes vero cum mitris se aliquantulum inclinantes, etiam Consecratorem venerantur Tum sedent omnes, ut prius; et Consecrator sedens cum mitra, versus ad illum, dicit : *Episcopum*, etc., *et reliqua*, *ut in Pontificali*.

Caput IV. *De Benedictione et Consecratione Virginum.*

Benedictio, et consecratio Virginum fieri debet in Epiphania Domini, vel in Albis Paschalibus, aut in Natali-

tiis Apostolorum, seu in Dominicis diebus. Die vero præcedenti, hora vespertina, vel etiam mane, antequam Pontifex ad Missam se paret, in loco convenienti, præsentantur ei Virgines benedicendæ; qui de earum ætate, et proposito singulariter singulas, videlicet, an annum vige simum quintum compleverint, si voluntatem et propositum servandæ virginitatis habeant, diligenter inquirit; et insuper seorsum cum qualibet de vita, et conscientia, et carnis integritate. Quo facto, super altari in cornu Epistolæ locantur pro Virginibus benedicendis vestes, vela, annuli, et torques, sive coronæ, tempore suo Virginibus tradenda. Deputantur paranymphæ matronæ seniores, et propinquæ earum quæ Virgines associant, et præcedunt, collocant, ac deducunt ad Pontificem, et reducunt. Ordinatur etiam in Ecclesia papilio, aut alius locus conveniens paratur, in quo Virgines ipsæ conveniunt, et suo tempore se vestiunt benedictis vestibus. Post hæc, hora congrua, Pontifex paratus omnibus Pontificalibus paramentis, procedit more consueto ad Missam, et in ea usque ad *Alleluia*, sive ultimum Versum Tractus, vel Sequentiæ exclusive.

Missa dicitur de die, cum Collecta pro Virginibus, sub uno *Per Dominum*. Oratio *Da quæsumus*, etc.

Dicto Graduali, Tractu, vel Sequentia, usque ad ultimum Versum exclusive, Pontifex sedet cum mitra super faldistorium, ante Medium altaris præparatum. Virgines vero in vestibus, quibus in monasterio usæ sunt, sine velis, sine mantellis, et sine cucullis e monasterio egressæ, associatæ singulæ a duabus matronis senioribus, et propinquis, ac velis ante faciem demissis, Ecclesiam ingrediuntur ; et Archipresbyter superpelliceo et pluviali indutus cantat competenti voce, hanc Antiphonam : 4 *Toni*, *Prudentes virgines*, etc.

Virgines vero audientes vocem Archipresbyteri, et accendentes cereos suos, progrediuntur binæ, et binæ. Archipresbyter vero præcedens statuit eas extra chorum, ut

facies ad altare majus vertant, et Pontificem coram altari sedentem possint videre, et ipse eas. Tunc idem Archipresbyter in parte Virginum stans, dicit competenti voce, in tono lectionis, ad Pontificem, Virginibus genuflectentibus : *Reverendissime*, etc., *et reliqua*, *ut in Pontificali*.

E PARTE SECUNDA.

Caput I. *De Benedictione et impositione primarii lapidis pro Ecclesia ædificanda.*

Nemo Ecclesiam ædificet, priusquam Pontificis judicio locus et atrium designentur, et quid ad luminaria, quid ad rectoris, ministrorumque stipendia sufficiat, quidque ad Ecclesiæ dotem pertineat, definiatur; et, per eum, vel ejus auctoritate, per Sacerdotem crux in loco figatur, et lapis primarius in fundamento ponatur. Pridie igitur lignea crux in loco, ubi debet esse altare, figatur. Sequenti vero die, lapis in Ecclesiæ fundatione ponendus, qui debet esse quadratus et angularis, benedici debet hoc modo. Pontifex paratus supra rochettum, vel, si sit religiosus, supra superpelliceum, amictu, alba, cingulo, stola, pluviali albi coloris, et mitra simplici, et baculum Pastoralem in sinistra tenens, stans, cum mitra, in loco ubi Ecclesia est fundanda, benedicit sal et aquam, dicens :

℣. *Adjutorium*, etc., *reliqua*, *ut in Pontificali*.

Hoc facto, accepta mitra, Pontifex, si placet, sedens ibidem in faldistorio, exhortatur populum, ad contribuendum pro structura Ecclesiæ novæ, et aliis opportunis. Deinde dat benedictionem solemnem dicens :

Sit nomen Domini benedictum, etc.

Et in fine concedit indulgentias. His expletis, si velit, parat se ad celebrandum Missam, in dicto loco, de Sancto in cujus nomine Ecclesia fundatur.

Caput II. *De Ecclesiæ dedicatione seu consecratione.*

Ecclesiarum consecratio quamvis omni die de jure fieri possit, decentius tamen in Dominicis diebus, vel Sanctorum solemnitatibus fit.

Quando autem Ecclesia fuerit dedicanda, debet Archidiaconus prænuntiare clero, et populo, quibus est Ecclesia consecranda, ut priusquam consecretur, jejunent. Nam Pontifex consecrans, et qui petunt sibi Ecclesiam consecrari, præcedenti die jejunare debent. Sane sero ante diem dedicationis, Pontifex parat Reliquias in altari consecrando includendas, ponens eas in decenti et mundo vasculo; cum tribus granis thuris, ponit etiam in eo chartulam de pergameno, scriptam sub hac forma:

M. DCCC. etc..... *die* N. *mensis* N. *Ego* N. *Episcopus* N. *consecravi Ecclesiam, et altare hoc, in honorem sancti* N. *et Reliquias sanctorum Martyrum* N. *et* N. *in eo inclusi, et singulis Christi fidelibus, hodie unum annum, et in die anniversario consecrationis hujusmodi ipsam visitantibus quadraginta dies de vera indulgentia, in forma Ecclesiæ consueta concessi.*

Sigillans ipsum vasculum diligenter, et illud in honesto et mundo loco, vel sub tentorio ante fores Ecclesiæ consecrandæ parato ponens, et super ornatum feretrum decenter collocans, cum duobus candelabris, et luminaribus ardentibus.

Celebrandæque sunt vigiliæ ante Reliquias ipsas, et canendi Nocturni, et matutinæ Laudes, in honorem Sanctorum, quorum Reliquiæ sunt recondendæ, imagines vero, cruces et alia ipsa nocte remaneant in Ecclesia consecranda.

Parantur etiam in Ecclesia, quæ ad dedicationem ipsius Ecclesiæ et altaris sunt necessaria, videlicet sanctum

Chrisma in vasculo, et ampulla ; Oleum sanctum Catechumenorum, etiam in vasculo, et ampulla ; duæ libræ thuris, cujus medietas sit in granis ; thuribulum cum navicula, et cochleari ; vas cum prunis ardentibus ; vas cum cineribus, pro quantitate Ecclesiæ ; vas cum sale ; vas vini ; aspersorium factum de herba hyssopi ; mantilia ex tela grossa, ad extergendum mensam altaris, quoties expedierit ; coopertura linea cerata, ad mensuram altaris, pro quolibet altari consecrando ; quinque cruces parvæ etiam pro quolibet altari consecrando, factæ de candelis ceræ subtilibus ; aliquæ spatulæ lineæ parvæ, ad abradendum de altari combustiones candelarum, et thuris ; vas in quo ipsæ rasuræ deponantur ; calx, arena, sive tegula trita ad faciendum cæmentum, pro liniendo sepulchro Reliquiarum, et junctura mensæ altaris cum stipite, cæmentarius, qui hoc agat ; duo intortitia accensa, quæ semper præcedant Pontificem, quocumque ierit ; vasa cum aqua, ad abluendas manus Pontificis ; et medulla panis, ac mantilia, pro extergendis manibus ; duæ libræ bombycis, pro extergendis crucibus unctis, quæ fiunt in parietibus Ecclesiæ, et in stipite altaris ; duo vasa cum aqua benedicenda, unum extra Ecclesiam, et aliud intus in presbyterio ; tobalæ novæ mundæ, et vasa, atque ornamenta ad cultum Dei, et Ecclesiæ, et altaris, postquam consecrata fuerint, pertinentia, benedicenda. Item, depingantur in parietibus Ecclesiæ intrinsecus per circuitum duodecim cruces, circa decem palmos super terram, videlicet tres pro quolibet, ex quatuor parietibus. Et ad caput cujuslibet crucis figatur unus clavus, cui affigatur una candela unius unciæ. Scala, super quam ascendens Pontifex possit attingere ipsas duodecim cruces ; fontes Ecclesiæ, in quibus conservatur aqua benedicta, vacui sint, et bene mundi. Et provideatur, quod Ecclesia possit exterius libere circumiri.

Pontifex mane in suo habitu quotidiano venit ad Ecclesiam ; ordinat in Ecclesia consecranda, quæ ordinanda

sunt; et ejus jussu accenduntur præmissæ duodecim candelæ; et faldistorium ornatum ponitur supra tapete in medio Ecclesiæ; et mox Pontifex exit Ecclesiam, cunctis inde exire jussis, uno tantum Diacono amictu, alba, cingulo, et stola albi coloris parato intus remanente; et Ecclesiæ fores clauduntur.

Tunc Pontifex cum clero, et populo accedit ad locum, ubi pridie Reliquiæ positæ fuerunt, et ibi incipit, et dicit voce submissa cum clericis septem Psalmos cum Antiphona: *Ne reminiscaris, Domine*, etc., sine Litaniis, ut in fine hujus partis secundæ, induens interim amictum, albam, cingulum, stolam, et pluviale albi coloris, accipiens mitram simplicem in capite, et baculum Pastoralem in manu sinistra. Alter quoque Diaconus paratus similiter amictu, alba, cingulo, et stola albi coloris; Subdiaconus etiam amictum, albam, et cingulum indutus; Acolythi, et alii ministri superpelliceis parati adsint. Septem Psalmis expletis, redit Pontifex cum ministris ante fores Ecclesiæ consecrandæ, et parato ibi alio super tapete faldistorio, Pontifex deposito baculo Pastorali et stans sine mitra inchoat, et schola prosequitur, Antiphonam:

Adesto, etc., et omnia ut in Pontificali.

BENEDICTIO

Tobalearum, Vasorum, et Ornamentorum Ecclesiæ, et Altaris consecratorum.

Omnia ut in Pontificali et dicto in fine: ℣. *Benedicamus Domino*, ℟. *Deo gratias*, Pontifex accedit ad sacristiam, sive sacrarium, ubi deposito pluviali, si celebrare voluerit, quod conveniens est, accipit sandalia, dicens Psalmum *Quam dilecta*, cum aliis; deinde, lotis manibus, accipit omnia paramenta Pontificalia albi coloris. Interim ornatur Ecclesia, et luminaria super altari, et credentia, atque alibi, ubi placuerit, accenduntur. Tunc exit Pontifex Missam ce-

lebraturus, Si vero fatigatus nimis celebrare noluerit, facit Missam solemniter per aliquem Sacerdotem celebrari.

Missa dicitur prout in Missali, in ipsa die Dedicationis Ecclesiæ.

In fine Pontifex dat benedictionem solemnem, dicens: *Sit nomen Domini benedictum*, etc.

Et Indulgentias supra declaratas. Quibus publicatis, revertitur ad sacristiam, ubi depositis sacris vestibus, vadit in pace.

Deinde cineres per Ecclesiam aspersi, in quibus litteræ Græcæ et Latinæ scriptæ sunt, per ministros Ecclesiæ tolluntur, et Ecclesia totaliter mundatur.

Caput III. *De Altaris consecratione, quæ fit sine Ecclesiæ dedicatione.*

Altaris consecratio, quamvis omni die de jure fieri possit, decentius tamen in Dominicis diebus, vel Sanctorum solemnitatibus fit. Sane sero ante diem consecrationis, Pontifex parat Reliquias in altari consecrando includendas, ponens eas in decenti et mundo vasculo, cum tribus granis thuris; ponit etiam in eo chartulam de pergameno, scriptam sub hac forma. *M. DCCC*..... etc., *die* N. *mensis* N. *Ego* N. *Episcopus* N. *consecravi altare hoc, in honorem sancti* N. *et Reliquias sanctorum Martyrum* N. *et* N. *in eo inclusi, et singulis Christi fidelibus, hodie unum annum, et in die anniversario consecrationis hujusmodi ipsam visitantibus quadraginta dies de vera indulgentia, in forma Ecclesiæ consueta concessi.*

Sigillans ipsum vasculum diligenter, et in honesto et mundo loco ponens, cum duobus candelabris, et luminaribus ardentibus, Celebrandæque sunt Vigiliæ ante Reliquias ipsas, et canendi Nocturni, et matutinæ Laudes, in honorem Sanctorum, quorum Reliquiæ sunt recondendæ.

Parantur etiam in Ecclesia, quæ ad altaris consecratio-

nem sunt necessaria, videlicet sanctum Chrisma in vasculo, et ampulla; oleum sanctum Catechumenorum, etiam in vasculo, et ampulla; una libra thuris, cujus medietas sit in granis; thuribulum cum navicula, et cochleari; vas cum prunis ardentibus, vas aqua plenum, quod in presbyterio ponitur; vas cum cineribus; vas cum sale; vas vini; aspersorium factum de herba hyssopi; mantilia ex tela grossa, ad extergendum mensam altaris consecrandi, quoties expedierit; coopertura linea cerata ad mensuram ipsius altaris consecrandi: quinque cruces parvæ factæ de candelis ceræ subtilibus; aliquæ spatulæ ligneæ parvæ, ad abradendum de altari combustiones candelarum et thuris, vas, in quo ipsæ rasuræ deponantur; calx, arena, sive tegula trita ad faciendum cæmentum, pro liniendo sepulchro Reliquiarum, et junctura mensæ altaris cum stipite; cæmentarius, qui hoc agat; duo intortitia accensa, quæ semper præcedant Pontificem, quocumque ierit; vas cum aqua, ad abluendas manus Pontificis; et medulla panis, ac mantilia, pro extergendis manibus; bombyx pro extergenda cruce, quæ fit in stipite altaris; tobaleæ novæ mundæ; et vasa, atque ornamenta ad cultum Dei, et altaris, postquam consecratum fuerit, pertinentia benedicenda.

Pontifex mane in suo habitu quotidiano venit ad Ecclesiam, et sedens in sede ad dexteram, vel in faldistorio ad sinistram altaris consecrandi, incipit et dicit voce submissa cum clericis septem Psalmos cum Antiphona : *Ne reminiscaris*, etc., ut in fine hujus secundæ partis, sine Litaniis. Induens interim amictum, albam, cingulum, stolam, et pluviale albi coloris, accipiens mitram simplicem in capite, et baculum Pastoralem in manu sinistra. Sicque paratus, septem Psalmis expletis, Pontifex cum ministris accedit coram altari consecrando; ubi deposito baculo Pastorali, et stans sine mitra inchoat, et schola prosequitur, Antiphonam *Adesto;* quæ una cum omnibus aliis Antiphonis et Responsoriis in hujusmodi consecratione cantandis ha-

betur sub notis, supra in Consecratione altaris, quæ fit in Ecclesiæ Dedicatione, ubi est recurrendum, si officium consecrationis hujusmodi fit in cantu.

Dicto : ℣. *Benedicamus Domino*,

℟. *Deo gratias*, Pontifex accedit ad sacristiam, sive sacrarium, ubi deposito pluviali, parat se ad celebrandum Missam, si voluerit, vel facit per aliquem Sacerdotem in dicto altari consecrato solemniter celebrari. Missa dicitur ut in Missali, in ipsa die Dedicationis Altaris.

Finita Missa, Pontifex dat benedictionem solemnem et indulgentias; exuit se sacris vestibus, et vadit in pace.

Caput IV. *De Altaris portatilis consecratione.*

Altaris portatilis consecratio potest fieri quocumque die, et loco, jejuno tamen stomacho.

Parantur in loco ubi consecratio hujusmodi fieri debet, in primis aliquæ Reliquiæ cum tribus granis incensi in altari recludendæ; sanctum Chrisma in vasculo, et ampulla; Oleum sanctum Catechumenorum etiam in vasculo, et ampulla; media libra thuris, cujus medietas sit in granis; thuribulum cum navicula, et cochleari; vas cum prunis ardentibus; vas aquæ mundæ; vas cum cineribus; vas cum sale; vas vini; aspersorium factum de herba hyssopi; mantilia ex tela grossa ad extergendum altare consecrandum, quoties expedierit; quinque cruces parvæ factæ de candelis ceræ subtilibus; aliquæ spatulæ ligneæ parvæ, ad abradendum de altari combustiones candelarum et thuris; vas, in quo ipsæ rasuræ deponantur; duo candelabra cum duobus cereis continuo ardentibus prope Reliquias; vas cum aqua ad abluendas manus Pontificis, et medulla panis, ac mantilia pro extergendis manibus.

Pontifex igitur, paratus amictu, alba, cingulo, stola, pluviali albi coloris, et mitra simplici, si consecrationem

hujusmodi publice facere velit, vel si in camera sua, aut alio loco secrete, stolam habeat supra rochettum, vel supra superpelliceum, si sit regularis, ab humeris dependentem, et mitram simplicem, stans ante tabulam ipsam, sive altare consecrandum positum super aliquam mensam, vel altare, mitram in capite tenens absolute dicit :

Deum omnipotentem, et reliqua omnia ut in Pontificali.

Postremo extergitur tabula per ministros cum panno lineo. Tum Pontifex parat se ad celebrandum si voluerit, vel facit per aliquem Sacerdotem super dictam tabulam consecratam Missam celebrari.

Missa dicitur ut in Missali, in ipsa die Dedicationis altaris.

CAPUT V. *De Cœmeterii benedictione.*

DIE præcedenti ponuntur in cœmeterio benedicendo quinque ligneæ cruces, videlicet una altior in medio, et quatuor aliæ, quælibet ad staturam hominis, quarum una in extremitate cœmeterii ante crucem mediam, alia in alia extremitate cœmeterii retro crucem mediam, tertia in tertia extremitate a dextris, et quarta in quarta extremitate cœmeterii a sinistris crucis mediæ ; et ante quamlibet ex dictis quinque crucibus ponitur seu figitur in terram aliquod lignum in ejus summitate aptum ad affigendum illi tres candelas, trium unciarum quamlibet, vel circa ; scalâ super quam ascendens Pontifex possit attingere summitates ipsarum crucium ; vas magnum aqua plenum benedicenda ; et vas cum sale.

Mane vero Pontifex in sacristia paratus amictu, alba, cingulo, stola, pluviali albi coloris, mitra simplici, et baculo Pastorali, accedit cum ministris ad cœmeterium benedicendum, ubi faldistorium ante crucem in medio positam sibi paratur, super quo residens facit populo brevem sermonem de sanctitate et libertate cœmeterii.

Quo facto affiguntur, et accenduntur quindecim candelæ, tres ante quamlibet crucem super ligna, ut supra ordinata, quibus ardentibus, Pontifex ante mediam crucem et candelas stans, deposita mitra, dicit :

Omnipotens, etc., *et reliqua ut in Pontificali.*

His peractis, Pontifex solemniter benedicit populo, dicens :

Sit nomen Domini benedictum, etc.

Deinde intrat Ecclesiam, et si velit, parat se ad Missam : si vero celebrare noluerit, facit per aliquem Sacerdotem solemniter celebrari.

Missa dicitur de die, et cum Oratione diei, dicitur sub uno *Per Dominum nostrum*, orationes *quæ in Pontificali reperiuntur.*

Caput VI. *De Ecclesiæ et Cœmeterii reconciliatione.*

Ecclesiæ et cœmeterii reconciliatio omni die fieri potest. In primis in mane diei qua reconciliatio fieri debet, paratur faldistorium super tapete in medio cœmeterii, et altare Ecclesiæ omnino nudatur. Parantur etiam duo vasa cum aqua, unum in cœmeterio, et aliud in Ecclesia in Presbyterio, et ibidem unum vas vini ; vas cum sale ; vas cum cineribus ; et aspersorium de herba hyssopi factum. Providetur etiam quod Ecclesia possit libere circuiri. Si vero Ecclesia tantum sit reconcilianda, paratur faldistorium super tapetem ante portam principalem Ecclesiæ, et ibidem vas cum aqua, et aspersorium de herba hyssopi factum, ac alia in Ecclesia, quæ supra sunt ordinata.

Quibus omnibus sic paratis, Pontifex in sacristia, vel alio condecenti loco ornatus amictu, alba, singulo, stola, pluviali albo, mitra simplici, et baculo Pastorali, procedit ad cœmeterium, si est reconciliandum, alias ante portam principalem Ecclesiæ; ubi stans juxta faldistorium sibi paratum, benedicit aquam ibidem in vase positam simpliciter

cum sale, prout habetur supra, in Pontificali, in benedictione et impositione primarii lapidis pro Ecclesia ædificanda. Aqua igitur benedicta, Pontifex sine mitra inchoat, schola prosequente, Antiphonam : *Asperges*, etc., *ut in Pontificali*.

CAPUT VII. *De Reconciliatione Cœmeterii sine Ecclesiæ reconciliatione.*

QUANDO cœmeterium benedictum violatum seu pollutum, separatum est ab Ecclesia, et propterea ipsa non habetur pro violata vel polluta, reconciliatio cœmeterii fieri poterit quocumque die, hoc ordine.

In mane diei, qua reconciliatio fieri debebit, parantur in medio cœmeterii faldistorium pro Pontifice, et vas aquæ mundæ benedicendæ, et vas salis; deinde hora convenienti Pontifex indutus in sacristia, aut alio convenienti loco, amictu, alba, cingulo, stola, pluviali albi coloris, et mitra simplici, baculum Pastoralem in manu tenens, accedit ad medium cœmeterii, ubi supra faldistorium ornatum procumbit; et cantores ibidem incipiunt, et prosequuntur Litanias, ut in fine hujus secundæ partis, in quibus cum dictum fuerit :

Ut omnibus fidelibus, etc.

℟. *Te rogamus, audi nos.*

Pontifex surgit cum mitra, et baculum Pastoralem in manu sinistra tenens producit signum crucis super cœmeterium, dicens :

Ut hoc cœmeterium reconci ✝ liare digneris. ℟ *Te rogamus, audi nos.*

Secundo dicit :

Ut hoc cœmeterium recon ✝ ciliare, et sancti ✝ ficare digneris. ℟. *Te rogamus, audi nos.*

Tertio dicit :

Ut hoc cœmeterium recon ✝ ciliare, sancti ✝ ficare, et conse ✝ crare digneris. ℟. *Te rogamus, audi nos.*

Quibus dictis, Pontifex iterum super faldistorium procumbit, cantoribus Litanias perficientibus. Quibus finitis, surgit Pontifex ab accubitu, et benedicit ibi sal et aquam simpliciter, prout habetur supra in benedictione et impositione primarii lapidis pro Ecclesia ædificanda. Quo facto, Pontifex in eodem loco stans sine mitra inchoat, schola prosequente, Antiphonam: *Asperges*, etc., *reliqua prout in Pontificali.*

CAPUT VIII. *De Benedictione Signi seu Campanæ.*

SIGNUM vel Campana debet benedici, antequam ponatur in campanili, hoc ordine. In primis debet Campana ipsa ita suspendi, et situari, ut commode possit intus et extra tangi, tractari, et circuiri; deinde prope ipsam Campanam benedicendam paratur Pontifici faldistorium; vas aquæ benedicendæ; aspersorium; vas cum sale; lintea munda ad extergendum Campanam, quando opus erit; vas Olei sancti infirmorum; sanctum Chrisma; thymiama; thus; myrrha, et thuribulum cum igne. Diaconus etiam accipit amictum, albam, cingulum, manipulum, stolam, et dalmaticam albi coloris. Quibus ordinatis, Pontifex in sacristia, aut alio convenienti loco paratus amictu, alba, cingulo, stola, pluviali albi coloris, et mitra simplici, baculum Pastoralem manu gestans, venit prope Campanam, ubi sedens super faldistorium ibidem sibi paratum, dicit cum ministris Psalmos sequentes, videlicet:

Miserere, et reliqua, *ut in Pontificali.*

E PARTE TERTIA.

CAPUT I. *De publicatione Festorum mobilium in Epiphania Domini.*

IN Epiphania Domini, cantato Evangelio, Archidiaconus sive aliquis Canonicus, vel Beneficiatus, aut alius juxta

consuetudinem loci, pluviali paratus ascendet ambonem, vel pulpitum, et ibidem, vel in alio loco ubi cantari solet Evangelium, e vetusto Ecclesiæ sanctæ instituto publicabit Festa mobilia anni currentis juxta infrascriptam formulam, et diem Synodi diœcesanæ suo loco promulgabit, licet in formula infrascripta, Dominica secunda post Pascha notata sit. *Noveritis*, etc., *ut in Pontificali.*

Caput II. *De expulsione publice Pœnitentium ab Ecclesia, in Feria quarta Cinerum.*

In capite Quadragesimæ solemniter pœnitentes de Ecclesia ejiciuntur, hoc modo.

Pœnitentes, quibus secundum jus vel consuetudinem, pro gravioribus criminibus solemnis pœnitentia est imponenda, hac die hora quasi tertia conveniunt ad Ecclesiam Cathedralem, in vilibus vestimentis, nudis pedibus, et vultibus ad terram demissis, quorum nomina scribi debent; accipientes pœnitentiam juxta modum culpæ ab Episcopi Pœnitentiario, vel ab aliis, quibus hoc officium commissum est; et postea omnes emittuntur, et manent ante fores Ecclesiæ. Pontifex interim, dicta Sexta, si non sit celebraturus, paratur supra rochettum (vel si sit religiosus, supra superpelliceum) amictu, alba, cingulo, stola, pluviali, violaceis, mitra simplici, et baculo Pastorali. Si autem Pontifex est celebraturus, dum dicitur Nona, more solito accipit sandalia, et cætera paramenta Pontificalia, usque ad dalmaticam inclusive, et desuper pluviale coloris violacei, et mitram simplicem; et benedicit cineres, atque imponit. Quibus peractis, Pontifex cum ministris, schola, et toto Clero, cruce, aqua benedicta, et duobus cereis præcedentibus, egreditur chorum circa medium Ecclesiæ, ubi parata sit sedes. Tunc Clerus dividitur per duos choros, hinc, inde, versus valvas Ecclesiæ. Pœnitentes vero omnes ingressi prosternunt se cum lacrymis in Ecclesiæ pavimento

coram Pontifice inter utrumque chorum. Tunc Pontifex sedens cum mitra, vel Archipresbyter stans imponit cineres super capita singulorum dicens : *Memento*, etc.

Et unus ex Canonicis aspergit eos aqua benedicta. Postea Pontifex stans, deposita mitra, benedicit cilicia, in hunc modum. ℣. *Adjutorium nostrum*, etc., *et reliqua*, *vide Pontificale*.

Et sic eis extra ejectis, et ante valvas Ecclesiæ, genibus flexis gemendo manentibus, Pontifex in limine ostii stans moneat eos, quod de Domini misericordia non desperent, sed jejuniis, orationibus, peregrinationibus, eleemosynis, et aliis bonis operibus invigilent ut Dominus ad dignum fructum veræ pœnitentiæ eos perducat; quodque feria quinta in Cœna Domini redeant, quoniam tunc in sanctam Ecclesiam reducentur, quam usque tunc ingredi non præsumant. Et mox Pontifice cum processione ad chorum redeunte, valvæ Ecclesiæ ante oculos eorum clauduntur, et incipitur Missa, et proceditur ordine suo.

Caput III. *De reconciliatione Pœnitentium, quæ fit in Feria quinta Cœnæ Domini.*

Feria quinta Cœnæ Domini reconciliantur pœnitentes, quibus ab Ecclesia solemnem agere pœnitentiam injunctum est, qui in capite Quadragesimæ de ipsa ejecti fuerunt.

Pontifex paratus amictu, alba, stola, pluviali coloris violacei, mitra simplici, et baculo Pastorali, ministris etiam paratis, et insuper quatuor Subdiaconis paratis, et uno Diacono de antiquioribus induto solemniter, atque Archidiacono cum amictu, alba, et stola sine dalmatica, prosternit se super faldistorium coram altari dicens cum præfatis ministris, et Clero septem Psalmos pœnitentiales, et Litanias. Pœnitentes vero tunc ante fores Ecclesiæ nudis pedibus ad terram prostrati manent, tenentes

in manibus cereos extinctos. Cumque in Litaniis dictum fuerit

Omnes sancti Patriarchæ, et Prophetæ;

℟. *Orate pro nobis;*

Et idem a Choro fuerit responsum, paulisper subsistitur; et tunc Pontifex mittit ad pœnitentes duos Subdiaconos candelas accensas in manibus ferentes. Qui cum ad portam pervenerint, stantes in limine ostii, elevatis manibus, ostendunt illis candelas accensas, dicentes Antiphonam : *Vivo et reliquis ut in Pontificali.*

Caput IV. *De Officio in Feria quinta Cœnæ Domini.*

Hac die singulis annis benedicitur Oleum Catechumenorum, et Infirmorum, et conficitur Chrisma.

Mane itaque Sacrista, vel ille ad quem spectat, omnia quæ ad Oleorum benedictionem, et Chrismatis confectionem necessaria sunt, parat, videlicet : Tres ampullas oleo mundissimo plenas, quas in sacrario ponit, et diligenter custodit; unam ad Oleum Infirmorum, aliam ad Oleum Catechumenorum, tertiam quæ major sit, ad Chrisma : Et hæc tertia cooperiri debet, de panno sericeo albo; prima autem et secunda, de sericeo panno alterius coloris sint coopertæ : Duas mappulas mundas, sive vela, pro Diaconis, qui ampullas oleorum pro Chrismate, et oleo Catechumenorum de sacristia ad Chorum portare debent; et ultra hæc sedem, seu faldistorium, et credentiam consuetam. Paratur etiam alia sedes in presbyterio ab opposito altaris, juxta gradus circa finem presbyterii; et ante ipsam sedem versus altare paratur mensa mappis ornata, quæ sit juxta sedem, inter ipsam, et altare. Juxta dictam sedem hinc, et inde, magis tamen ad finem presbyterii, posita sint scamna pro duodecim Sacerdotibus, ita ut ibidem sedentes facies vertant ad altare.

Deinde hora competenti, Pontifex venit ad Ecclesiam,

ubi parat se ad Missam omnibus Pontificalibus ornamentis pretiosis albi coloris. Parant se etiam ministri Pontificis, et ultra illos duodecim Presbyteri, septem Diaconi, septem Subdiaconi, Acolythi, et alii necessarii, omnes vestibus albi coloris Ordini suo congruentibus. Quibus omnibus paratis, procedunt ad altare processionaliter, hoc modo.

In primis procedit thuriferarius, quem sequuntur duo ceroferarii, post hos septem Subdiaconi bini et bini, et in tertio loco, tres simul vadunt; tum septem Diaconi, etiam bini et bini, et in tertio loco tres; post hos duodecim Presbyteri bini et bini, quos sequitur Subdiaconus librum Evangeliorum portans ante pectus, cum manipulo in eo reposito; deinde Diaconus, et a dextris ejus Cappellanus Assistens, quos demum Pontifex sequitur incedens medius inter duos digniores Canonicos Ecclesiæ, aut in dignitate constitutos, si Pontifex sit in Ecclesia sua, alioquin ibit medius inter Diaconum et Assistentem. Et si Pontifex sit Archiepiscopus, vel Patriarcha, et in Ecclesia sua, portatur etiam in hujusmodi processione crux per unum ex ministris, ad hoc ordinatum, qui medius inter ceroferarios incedit.

Duodecim Presbyteri suo ordine juxta sedilia in fine presbyterii posita, hinc et inde stabunt, vel sedebunt, aut genuflectent, prout tempus postulabit, facies semper ad altare vertentes; post eos stabunt septem Diaconi, et post Diaconos septem Subdiaconi in gradibus presbyterii. Pontifex vero, postquam ante altare pervenerit, facit Confessionem; incipitur Introitus, et proceditur in Missa more consueto, usque ad illum locum Canonis, ubi dicitur:

Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, exclusive.

Priusquam ergo Pontifex verba ipsa dicat, facta reverentia Sacramento in altari consecrato, retrahit se ad partem Epistolæ altaris, ubi super alium Calicem vacuum abluit

digitos, et ad purificatorium extergit, et ablutio usque post communionem Pontificis reservatur. Tum facta iterum Sacramento reverentia, descendit primum gradum altaris, et ibidem accepta mitra, vadit ad dictam sedem sibi paratam in presbyterio, ab opposito altaris; et sedet super ipsam, versa facie ad altare, dictam mensam ante se habens, circumstantibus ministris, Sacerdotibus, et aliis paratis prædictis, in suis locis manentibus. Tunc Archidiaconus stans apud Pontificem dicit alta voce in tono Lectionis : *Oleum infirmorum.*

Et mox unus Subdiaconus ex septem paratis prædictis cum duobus Acolythis, hinc et inde associatus, vadit ad sacristiam, ubi accipiens ampullam olei, quod pro infirmis consecrari debet, coopertam, ut invenit, portat eam sinistro brachio circumdatam ante Pontificem, ubi eam tradit in manibus Archidiaconi, plane dicens :

Oleum infirmorum.

Archidiaconus præsentat illam Pontifici ad benedicendum, idem dicens, collocans eam coram eo supra mensam supradictam.

Pontifex surgens cum mitra exorcizat, et benedicit illud voce demissa, ita tamen quod a circumstantibus Sacerdotibus audiri possit, absolute dicens :

Exorcizo te, etc., cum Oratione ut in Pontificali.

His expletis, Oleum ipsum eo modo, quo apportatum fuit, ad sacrarium reportatur, et diligentissime conservatur. Tunc Pontifex reassumpta mitra, sedet, et lavat manus; tum surgit, et cum mitra, et cum ministris suis (cæteris Sacerdotibus, et aliis paratis in locis suis manentibus) accedit usque ad gradum altaris, ubi deposita mitra, facit reverentiam Sacramento, tum ascendit ad altare et incipiens ubi dimiserat, videlicet, *Per quem hæc omnia*, etc., procedit in Missa usque ad communionem Corporis, et Sanguinis inclusive, quam Pontifex ipse solus sumit. Quo facto, Diaconus ponit Hostiam consecratam pro crastina

die reservandam in Calicem, seu vasculum ad hoc paratum, et reverenter collocat ipsam super medium altaris. Deinde Pontifex communicat Diaconum et Subdiaconum, ac alios de Clero, et postquam se purificaverit, ac etiam primam digitorum ablutionem ex alio Calice sumpserit, facta reverentia Sacramento in altari posito, in secundo gradu altaris mitram accipit, et redit ad prædictam sedem cum ministris suis, et aliis Assistentibus, eo ordine quo præmissum est, et ibi cum mitra sedet. Tunc Archidiaconus stans apud Pontificem dicit alta voce in tono Lectionis :

Oleum ad sanctum Chrisma.

Et mox eadem voce, in tono subjungit:

Oleum Catechumenorum.

Quo dicto, oblato Pontifici thuribulo, Pontifex imponit incensum, et benedicit more solito. Tum duodecim Presbyteri, septem Diaconi, et septem Subdiaconi parati prædicti, et alii ministri, quot necessarii fuerint, eo ordine quo venerunt, pergunt ad sacrarium ad deferendum cum omni decore et reverentia Oleum Chrismale, et Oleum Catechumenorum, ministris tamen Pontificis cum eo remanentibus. Incedunt autem redeuntes ad Chorum cum ampullis, hoc ordine. Primo thuriferarius cum thuribulo fumigante, quem sequitur Subdiaconus crucem deferens, medius inter duos Acolythos cum cereis ardentibus; tum duo Cantores cantantes Versus : *O Redemptor*, ut infra habentur; quos sequuntur bini et bini Subdiaconi et Diaconi; deinde unus Subdiaconus portans vasculum cum balsamo, tum duo Diaconi ampullas olei ad sanctum Chrisma et pro oleo Catechumenorum portantes, qui habent mappulas mundas, sive vela ad collum, quorum extremitates ante pectus dependent, tenentes ipsas ampullas sinistris brachiis circumdatas, et extremitatibus mappularum, quæ a dextris dependent, involutas, et coopertas; ita tamen, ut a medio supra videri possint. Diaconus autem, qui Oleum ad sanctum Chrisma portat, a dexteris vadit; hos sequuntur

duodecim Sacerdotes, Diaconi, et Subdiaconi prædicti bini et bini. Quibus sic a sacristia versus Pontificem procedentibus, duo Cantores prædicti cantant Versus sequentes: *O Redemptor, ut in Pontificali.*

Eis igitur ordine præmisso, in Presbyterium Ecclesiæ cantando versus præmissos pervenientibus, Crux cum candelabris, et incenso situatur prope altare, juxta cornu Epistolæ; Archidiaconus, Diaconus et Subdiaconus, ministrantes, sint circa Pontificem hinc et inde. Sacerdotes vero duodecim parati juxta eos, duo cornua faciunt, sex hinc, et sex illinc, vertentes faciem ad altare, a lateribus assistentes Pontifici, tanquam ejus testes, et ministerii sacri Chrismatis cooperatores. Diaconi vero post tergum Pontificis, et post eos, Subdiaconi parati stant, tamquam ministri, et inspectores. Interim Diaconi ampullas olei Chrismalis, et olei Catechumenorum portantes, et Subdiaconus cum balsamo subsistunt, quousque omnes prædicti in suis locis fuerint ordinati. Omnibus itaque dispositis, Diaconus ampullam olei Chrismalis ferens venit ante Pontificem, et Archidiaconus illam involutam cum mappula, quam Diaconus ipse circa collum portavit, de manu ejus accipiens, eam sic involutam ostendit Pontifici sedenti, et illam super mensam ante Episcopum positam collocat, diligenter, alio Diacono ampullam aliam assidue inter brachia tenente. Tunc Subdiaconus vasculum cum balsamo portans, illud tradit Archidiacono, qui balsamum Pontifici similiter ostendens ipsum supra mensam collocat. Tum Pontifex, deposita mitra, surgit, et versus ad altare, habens ante se super mensam ampullam olei Chrismalis, et balsamum; ante omnia benedicit ipsum balsamum dicens:

℣. *Dominus vobiscum, et reliqua ut in Pontificali.*

Vetus autem Chrisma, et oleum Catechumenorum, ac infirmorum, si quod remanserat in ampullis, ponitur in lampadibus Ecclesiæ ante Sacramentum, ut comburatur.

Reliquum autem, quod est in pyxidibus, sive capsulis cum bombyce, igni comburitur; et novum deinde cum nova bombyce in pyxidibus, sive capsulis imponitur. Interim dum Chrisma, et oleum Catechumenorum ad sacristiam portantur, Pontifex sedens cum mitra lavat manus, deinde redit ad altare, prosequitur Missam, ut in Missali habetur, et dicto *Ite missa est*, dat benedictionem, et dicens Evangelium sancti Joannis, accedit ad faldistorium, ubi sedet cum mitra, et jubet Presbyteros attente, ut juxta Canonum traditionem Chrisma, et olea fideliter custodiant, et nulli sub prætextu medicinæ, vel maleficii tradere præsumant; alioquin honore priventur.

Caput V. *Ordo ad Synodum.*

Sacerdotes et Clerici universi qui ad Synodum de jure vel consuetudine venire tenentur, conveniunt in civitate, vel alio loco, prout Pontifex ordinaverit.

Prima autem die Synodi Pontifex summo mane cappam indutus, ab universo Clero cum superpelliceis comitatus ad Ecclesiam pergit; paratur in sede; celebrat Missam de Spiritu sancto, et præbet Clero sacram Communionem. Qua finita, paratur faldistorium ante medium altaris, juxta inferiorem gradum, per quem ad altare ascenditur; et alia sedes in plano altaris (poterit tamen faldistorium suo tempore, loco secundæ sedis, cum tempus erit, poni). Pontifex vero supra rochettum, vel si sit regularis supra superpelliceum amictu, stola, pluviali rubeo, et mitra pretiosa induitur, quibus paratus, baculum Pastoralem manu ferens, accedit coram altari; Diacono, et Subdiacono paratis rubeis ornamentis, ac si in Missa servire deberent, ipsum hinc et inde associantibus, et ibi ante faldistorium sibi paratum genuflexus, deposita mitra, incipit, schola prosequente, Antiphonam : *Exaudi*, et reliqua etiam pro secundo et tertio die *ut in Pontificali*.

Caput VI. *Ordo ad reconciliandum Apostatam, Schismaticum vel Hæreticum.*

Pontifex Apostatam, Schismaticum, vel Hæreticum reconciliare volens, paratus amictu, stola, pluviali albo, et mitra simplici sedet super faldistorium ante fores Ecclesiæ sibi paratum, coram quo genuflectit reconciliandus, quem interrogat Pontifex de fide, dicens : *Credis*, *et reliqua ut in Pontificali.*

Caput VII. *Ordo ad recipiendum processionaliter Prælatum vel Legatum.*

Cum Prælatus vel Legatus civitatem aliquam, vel oppidum insigne est ingressurus, processio Cleri ex more loci ordinata cum Cruce procedit illi obviam extra portam urbis, et cum Legatus, sive Prælatus advenerit, Prælatus ejus loci indutus amictu, stola, pluviali, et mitra pretiosis, sive primam dignitatem habens, indutus superpelliceo, et pluviali pretioso offert venienti crucem osculandam, quam Legatus seu Prælatus ex equo, vel si maluerit, descendens in terram super tapetem stratum genuflexus devote osculatur. Tum, si intrans est Episcopus, vel major, aut, Presbyter vel Episcopus Cardinalis, Cantores incipiunt, et prosequuntur Antiphonam : *Sacerdos* vel Responsorium : *Ecce Sacerdos*, etc., *ut in Pontificali.*

Si vero Legatus recipiendus sit Diaconus Cardinalis, cantatur Responsorium : *Fidelis*, etc.

Si autem duo, vel plures reciperentur Legati, etiam si non essent Episcopi, vel Presbyteri Cardinales, cantatur Antiphona : *Vos estis*, etc.

In porta autem urbis consueverunt Magistratus illius obviare Legato, vel Prælato primo intranti ac illum benigne suscipere, et associare, ac baldachinum super eum

deferre. Incœpta Antiphona, processio, quæ locum habere debet immediate ante crucem Prælati, nisi intersint Canonici Cathedralis Ecclesiæ, Ordine suo progreditur, et cantantur post dictas Antiphonas, seu Responsoria, alia Cantica, vel Hymni, prout magis placebit, usque ad Ecclesiam majorem, seu principalem loci. Si vero processioni intersint Canonici Ecclesiæ Cathedralis, illi soli possunt ire post crucem Legati immediate ante eum. Equitantes vero omnes equitare debent ante processionem, togati vero debent Legatum, seu Prælatum sequi. Cum Prælatus, seu Legatus descenderit, et intrat portam majoris, seu principalis Ecclesiæ, Prælatus Ecclesiæ, seu majorem dignitatem habens, indutus, ut supra, detecto capite offert illi aspersorium cum aqua benedicta, quod Prælatus, seu Legatus accipiens aspergit primo seipsum, deinde alios. Tum idem Prælatus Ecclesiæ, seu primam dignitatem habens, offert ei naviculam, aliquo alio Sacerdote superpelliceo induto thuribulum porrigente, et Legatus, seu Prælatus imponit incensum, et statim Prælatus Ecclesiæ, seu dignitatem habens incensat ipsum Prælatum; seu Legatum stantem cooperto capite, more consueto. Deinde procedunt ad altare majus Ecclesiæ, et ibi super faldistorio ante infimum gradum altaris parato procumbit, et orat Prælatus, seu Legatus. Interim vero Prælatus Ecclesiæ, seu dignitatem majorem habens stans in cornu Epistolæ altaris versus ad orantem detecto capite dicit :

℣. *Protector noster aspice Deus.*

℟. *Et respice in faciem Christi tui*, cum omnibus sequentibus, si receptus sit Prælatus, aut Legatus, Episcopus vel Presbyter Cardinalis. Si vero sit Diaconus Cardinalis, omisso Versu præcedente, dicit sequentes tantum :

℣. *Oratio, ut in Pontificali.*

His dictis, Cantores cantant aliquam Antiphonam eis magis placentem de Sancto Patrono Ecclesiæ cum Versiculo de eodem Sancto. Et cum dicitur Versiculus, surgens

Prælatus vel Legatus ascendit ad altare osculaturque illud in medio, deinde procedit ad cornu Epistolæ, ubi stans, ad ipsum altare versus, cantat Orationem de dicto Sancto; deinde ad medium altaris revertitur, ubi stans dat benedictionem solemnem populo dicens : *Sit nomen Domini benedictum*, etc.

Qua data, facit promulgari per unum ex suis, sive ex beneficiatis Ecclesiæ indulgentias, quas ipse interessentibus concedit; deinde Prælatus Ecclesiæ, et alii, dimissis paramentis, associant illum usque ad diversorium suum. Cum vero novus Prælatus primo ad Ecclesiam suam veniens recipitur, loco Orationis prædictæ *Omnipotens sempiterne Deus*, etc., dicitur sequens Oratio : *Deus omnium*, etc., *ut in Pontificali.*

Caput VIII. *Ordo ad visitandas Parochias.*

Pontifex visitaturus Diœcesim, et Parochias suas, cum ad civitatem seu oppida suæ Diœcesis pervenerit, recipitur processionaliter eo ordine, prout supra in receptione Prælati, seu Legati dictum est. Hoc solo dempto, quod loco Orationis, *Omnipotens sempiterne Deus*, *qui facis mirabilia magna*, etc., seu *Deus omnium*, etc., ipso Prælato ante altare in faldistorio genua flectente, dicitur sequens Oratio : *Deus humilium*, etc.

Qua finita, Pontifex surgens ascendit ad altare majus, osculaturque illud in medio, et ibidem populo solemniter benedicit.

Deinde, vel in medio Missæ, versus ad populum sedens proponit populo causas adventus sui, quia sacri Canones, et Ecclesiasticus ordo hoc fieri præcipiunt propter multa.

Primo ad absolvendas animas defunctorum.

Secundo, ut sciat, et videat qualiter Ecclesia ipsa spiritualiter et temporaliter gubernetur; quomodo se habeat in ornamentis, qualiter ibi Ecclesiastica Sacramenta mini-

strantur, et divina officia peraguntur; quale servitium ibi impenditur, qualis sit vita ministrorum et populi; ut ex officio inquisitionis suæ, per eum, si qua in præmissis corrigenda fuerint, corrigantur, et emendentur.

Tertio ad adulteria, fornicationes, sacrilegia, divinationes, et similia publica in populo punienda, ad quod interdum non sufficiunt Ecclesiarum Rectores; ostendens diligenter populo, quam damnabilia, et detestanda sunt crimina ipsa.

Quarto propter casus, qui de jure, vel consuetudine, ad Episcopum dumtaxat pertinere noscuntur, quia in Constitutionibus synodalibus continentur, in quibus nullus alius se intromittere potest; protestans plebi, quod si quis, vel si qua in aliquo ipsorum casuum, vel in quocumque alio, consilio ejus indiguerit, paratus sit benigne audire, et consilium, et absolutionem impendere; ac pœnitentiam misericorditer injungere salutarem.

Quinto ad exhibendum Sacramentum Confirmationis, cujus solus Episcopus ordinarius minister est.

Deinde inducit diligenter populum ad pœnitentiam, et instruit in Ecclesiasticis Sacramentis, et in Articulis Fidei et qualiter debent declinare a malo, et facere bonum; fugere vitia, et sectari virtutes; alteri non facere, quod sibi fieri nolunt. His expletis, fit populi confessio, et absolutio generalis, et indulgentia datur per Pontificem. Post hæc Pontifex, deposita cappa, induitur amictu, stola, pluviali violacei vel nigri coloris, et mitra simplici, et stans cum mitra juxta altare, versus ad populum incipit Antiphonam: *Si iniquitates, et reliqua ut in Pontificali.*

His peractis, depositis stola et pluviali nigris, seu violaceis, et assumptis albis, incipit visitationem a Sanctissima Eucharistia, ad Baptisterium, inde ad sancta Olea, ad sacras Reliquias, tum ad Altaria, et Capellas, et sacras Imagines, item ad sacristiam, et cœmeterium se confert; post ad ædes Canonicales, hospitalia, confraternitates, et alia

loca pia. Poterit postea Pontifex confirmare pueros, præmissa monitione, et aliis servatis, prout supra in principio de confirmandis dictum est.

Expedita itaque Confirmatione, et benedictis ornamentis, si qua benedicenda sunt, depositisque indumentis Ecclesiasticis, confessiones, et deinde querelas, si quæ sunt, audit. Tum de conversatione Cleri et populi, ac qualiter spiritualia et temporalia in ipsa Ecclesia ministrantur; et de libris ac ornamentis diligenter de plano inquirit.

Peracta demum visitatione illius loci, et omnibus expeditis, cum discedere voluerit Pontifex, in suo habitu communi accedit ad Ecclesiam, et stans ante altare in cornu Epistolæ versus ad illud, dicit Psalmum, *De profundis, et reliquis, ut in Pontificali.*

CAPUT IX. *De Officio quod post Missam solemnem pro Defunctis agitur.*

In exequiis alicujus Summi Pontificis, S. R. E. Cardinalis, seu Metropolitani, aut Episcopi proprii, seu Imperatoris, Regis, vel Ducis magni, aut Domini loci, finita Missa, ordinantur in loco, ubi absolutiones fieri debebunt, in capite loci, in medio, unum faldistorium pro illo, qui celebravit, et in quatuor angulis quatuor scabella, videlicet, in quolibet angulo unum scabellum. Subdiaconus accipit crucem processionalem; unus Acolythus accipit thuribulum cum igne, et naviculam cum thure, et cochleari, alius Acolythus vas aquæ benedictæ cum aspersorio, et duo alii Acolythi duo candelabra cum luminaribus ardentibus capiunt. Interim Prælatus, qui celebravit, apud faldistorium prope altare deponit planetam, et, si placet, poterit deponere dalmaticam, et tunicellam, et accipit pluviale nigrum, et mitram simplicem, et quatuor alii Prælati (si adsint) acce-

dent ad sacristiam, vel alium locum convenientem, et propinquum, ubi quilibet eorum accipit super rochettum, vel (si sit Regularis) supra superpelliceum, amictum, stolam, pluviale nigrum, et mitram simplicem, si ea uti possunt; sin minus biretum, et omnes sic parati accedunt apud Prælatum celebrantem paratum, cum quo vadunt ad castrum doloris, seu feretrum, aut sepulturam, vel alium locum, in quo absolutiones fieri consueverunt, hoc ordine. Præcedant duo Acolythi, unus cum thuribulo, et navicula incensi; alius cum vase aquæ benedictæ, et aspersorio; tum duo alii Acolythi cum duobus aliis candelabris, et candelis accensis, in quorum medio erit Subdiaconus, qui in Missa cantavit Epistolam, paratus deferens crucem; post eum duo juniores Prælati, deinde duo seniores, et quilibet eorum penes se habebit unum Capellanum superpelliceo indutum, qui mitra sibi serviat, et unum scutiferum, qui cereum accensum portet. Ultimo loco incedet Prælatus qui Missam celebravit, ad sinistram habens Diaconum paratum, qui eum comitetur; et post eum Capellani superpelliceis induti. Si vero non adsint quatuor Prælati, loco deficientium parantur digniores Canonici Ecclesiæ, vel alii in dignitate constituti supra superpellicea pluvialibus nigris; et ordine supradicto procedunt ad locum absolutionis, ubi cum fuerint, locantur hoc ordine. Thuriferarius cum Acolytho deferente aquam benedictam subsistunt in capite loci a parte dextera. Acolythi vero ceroferarii, ac Subdiaconus cum cruce vadunt ad pedes loci, et Subdiaconus cum cruce collocabit se in medio eorum. Junior Prælatus sedebit in scabello in angulo castri doloris ad pedem dexterum; alius post eum in angulo ad humerum sinistrum; tertius in angulo ad pedem sinistrum; quartus qui erit senior, in angulo ad humerum dexterum loci. Celebrans vero sedebit in faldistorio in capite loci in medio, ita ut crucem directo respiciat. Omnibus sic ordinatis, surget celebrans detecto capite, omnibus similiter

surgentibus, et incipiet in tono Lectionis, absolute Orationem : *Non intres*, etc.

Qua finita, omnes sedent coopertis capitibus, et Cantores incipiunt Responsorium : *Subvenite*, etc.

Tunc duo Acolythi cum thuribulo, et navicula, et aqua benedicta, et aspersorio accedent ad angulum dexterum capitis, ubi est dignior Prælatus; et se ad ejus dexteram collocabunt. Incœpto Versiculo : *Requiem æternam*, etc.

Acolythus dabit naviculam Diacono, et ipse accedet cum thuribulo ante dictum digniorem Prælatum, qui, ministrante Diacono naviculam, imponet thus in thuribulum ; finito Responsorio, Chorus cantat : *Kyrie, eleison, Christe, eleison, Kyrie, eleison.*

Et dum dicitur primum *Kyrie, eleison*, surgunt omnes detectis capitibus, et ultimo *Kyrie, eleison*, dicto, prædictus dignior Prælatus dicit voce intelligibili : *Pater noster.*

Quod secreto complet, et interim, accepto aspersorio cum aqua benedicta de manu Diaconi, aspergit sepulturam, seu lectum mortuorum ; circumcirca ambulans, incipiens a sua parte dextera, tertio aspergens quamlibet lecti partem lateralem, Diacono a dextris comitante, et fimbrias pluvialis sublevante, et dum transibit ante alios Prælatos, illos salutabit, et similiter cruci reverentiam faciet transiens ante illam ad pedes lecti. Postquam cum aspersorio circumierit lectum, et ad locum suum redierit, ibidem ab eodem Diacono capiet thuribulum, et lectum similiter circumcirca thurificabit, tertio in qualibet parte laterali thuribulum ducens, et cum redierit post thurificationem ad locum suum, ante scabellum stans intelligibili voce dicet Versiculos : et Orationes, *ut in Pontificali.*

Oratione finita, omnes sedent cum mitra, et Chorus cantat Responsorium : *Qui Lazarum*, etc.

Tunc duo Acolythi cum thuribulo, et navicula, et aqua benedicta, et aspersorio accedent ad secundum digniorem Prælatum sedentem in angulo ad sinistrum pedem, et se

ad ejus dexteram collocabunt. Incœpto Versiculo : *Requiem æternam*, etc., Acolythus dabit naviculam Diacono, et ipse accedet cum thuribulo ante dictum secundum digniorem Prælatum, qui, ministrante Diacono naviculam, imponet thus in thuribulum ; finito Responsorio, Chorus cantat :

Kyrie, eleison, Christe, eleison, Kyrie, eleison.

Et dum dicitur primum *Kyrie, eleison*, surgunt omnes detectis capitibus, et ultimo *Kyrie, eleison*, dicto, prædictus secundus dignior Prælatus dicit voce intelligibili : *Pater noster*.

Quod secreto complet, et interim accepto aspersorio cum aqua benedicta de manu Diaconi, aspergit sepulturam, seu lectum, circumcirca ambulans, incipiens a sua parte dextera, tertio aspergens quamlibet lecti partem lateralem, Diacono a dextris comitante, et fimbrias pluvialis sublevante, et dum transibit ante alios Prælatos, illos salutabit, et similiter cruci reverentiam faciet, transiens ante illam ad pedes lecti. Postquam cum aspersorio circumierit lectum, et ad locum suum redierit, ibidem ab eodem Diacono capiet thuribulum, et lectum similiter circumcirca thurificabit, tertio in qualibet parte laterali thuribulum ducens, et cum redierit post thurificationem ad locum suum, ante scabellum stans intelligibili voce dicet Versiculos : et Orationes, *ut in Pontificali*.

Dicto : *Requiescat in pace*, ℟. *Amen*, Prælati ipsi qui mitris utuntur, illas recipiunt, et omnes eo ordine, quo venerunt, revertuntur ad sacristiam, vel alium locum idoneum, ubi deponunt sacras vestes, et ad propria quisque revertitur.

Absolutiones istas quatuor vel quinque non semper in omnibus exequiis fieri convenit, sed tantum in primis exequiis, quæ fieri solent post obitum.

In exequiis vero anniversariis non debent fieri hujusmodi quatuor absolutiones, sed una tantum per Prælatum celebrantem, post Missam, vel si adesset castrum doloris, vel

alius locus, quo eundum esset ad absolvendum. Celebrans solus paratus, ut supra, præcedente cruce cum omnibus ministris superius narratis, et sequentibus cum suis Capellanis accedet ad castrum doloris, et ibidem dispositis ministris, ut supra dictum est, stans ante suum faldistorium in capite lecti dicit Orationem : *Non intres in judicium cum servo tuo,* etc., in tono prædicto; qua finita sedet, et Chorus cantat Responsorium : *Libera me, Domine,* etc., et *Kyrie, eleison*, ut supra.

Prælatus vero imponit incensum, ac aspergit, et incensat lectum ordine, quo supra dictum est, et demum dicit unam ex quinque præfatis Orationibus, quam maluerit, et in fine dicto Responsorio, *Requiem æternam*, etc., ordine, quo venit, revertitur ad sacristiam, vel alium locum deputatum, et ibidem depositis paramentis, recedit ad propria. Quod similiter servari poterit etiam in primis exequiis, ubi commode quatuor Prælati, qui post Missam, ut supra dictum est, absolvant, haberi non poterunt.

PARS OCTAVA.

INSTRUCTIO CLEMENTINA PRO ORATIONE XL HORARUM.

Ex italico sermone in latinum versa.

INSTRUCTIO et Ordo servandus in Oratione Quadraginta Horarum continua, cum expositione SS. Sacramenti pro Ecclesiæ necessitate, juxta piam SS. Pontificum mentem, de mandato Sanctitatis Suæ *Clementis XII* confirmata atque iterum promulgata.

Prosper Marefoschi, tituli S. Silvestri in capite Cardinalis, Sanctitatis Suæ Vicarius Generalis, etc.

Cum ab ipso tempore quo introducta est SS. Sacramenti expositio pro 40 Horarum Oratione continua, datæ fuerint plures ordinationes hujusmodi sacræ functionis decorem spectantes, cumque easdem apprime observare, necnon abusus in quibusdam Ecclesiis irreptos tolli curandum sit, de speciali mandato Sanctitatis Suæ, vivæ vocis oraculo nobis dato, in omnibus almæ Urbis Ecclesiis, tam patriarchalibus quam collegiatis et parochialibus, sicuti et in quavis alia Ecclesia, sive sæcularium, sive regularium, quolibet modo privilegiata, ac speciali mentione digna, in qua prædicta 40 Horarum Oratio obtinebit, sub infrascriptis pœnis, quæcumque in hac novissima Instructione præscribuntur, inviolabiliter observare ordinamus et præcipimus:

1. Supra januam Ecclesiæ, in qua fit expositio, et a capite vicinæ viæ, ponatur signum SS. Sacramenti sertis festivis ornatum, ut transeuntibus innotescat inibi fieri SS. Sacramenti expositionem.

2. SS. Sacramentum exponendum erit in altari majori

(exceptis tamen basilicis patriarchalibus, in quibus in alio altari exponi consuevit), cooperiunturque imagines vel statuæ quæ ibidem reperiuntur, item tribunæ parietes, altariaque vicina, deficientibus ornamentis fixis, pannis cooperiantur; verum caveatur ne inter apparatus sint historiæ resve profanæ.

In altari non ponantur Sanctorum reliquiæ aut statuæ (non exclusis tamen angelorum statuis quæ candelabrorum vicem gerunt); multo minus ponantur animarum purgatorii figuræ, cujusvis sint materiæ; quod etiam prohibetur in omnibus expositionibus particularibus, imo in iis quæ in illarum animarum suffragium quandoque instituuntur.

3. Super altare prædictum et in eminenti situ, sit tabernaculum, sive thronus cum baldachino proportionato albi coloris; supra cujus pedem ponatur corporale ad reponendum ostensorium aut custodiam radiis circumfulgentem; contra vero quivis absit ornatus ex quo SS. Sacramenti aspectus impediatur.

4. Ad altare continuo ardeant viginti saltem lumina, sex nempe candelæ unius libræ, quarum tres ab unoquoque latere crucis, et octo candelæ in superiori parte, cum aliis quatuor a partibus ostensorii, in cujus parte anteriori nullum omnino ponatur lumen; adsint tandem duo candelabra cum cereis, quorum unusquisque trium saltem sit librarum. Idem quoque, clausa Ecclesia, per noctem retineatur luminum numerus, quorum decem saltem sint ex cera: tempore autem vespertino, tot in Ecclesia ponantur lumina, quot ad vitandam confusionem sufficiant, accensaque remaneant usquedum januæ claudantur. Fenestræ altari expositionis vicinæ, etiam per diem claudi aut cooperiri poterunt, ad fovendam fidelium in oratione recollectionem.

5. Nemo sæcularis, etsi cujusvis societatis sacco vestitus, ad altare circumire audeat ad lumina curanda aut ad aliud quid agendum; sed adesse debet sacerdos, aut sal-

tem clericus, cum superpelliceo, quod super propriam vestem regulares etiam cujuslibet religionis induent; notandum præterea, ex decreto S. Rit. C. *Urbis 19 augusti* 1651, a quibuscumque personis cujusvis conditionis et ordinis, transeuntibus ante SS. Sacramentum expositum, in accessu et recessu, faciendam esse, flexis duobus genibus, reverentiam. Quod attinet ad sacerdotem, Missam privatam celebrantem, sciendum dari ejusdem S. Congr. decretum *Urbis 7 septembris* 1638, quo præscribitur ut, transiens ante altare in quo expositum manet SS. Sacramentum, adorationem faciat flexis genibus et capite detecto, dein surgat caput tegendo.

6. Durante expositione, in Ecclesiæ porta sive ad intra, sive ad extra, prout commodius erit, appendatur tapetum in veli forma, cum aliquo tamen spatio a lateribus, pro populi commoditate, illudque ita disponatur ut a via nunquam possit aspici SS. Sacramentum.

7. Per vices unus aut alter sacerdos, vel saltem aliqui in alio sacro ordine constituti, superpelliceo vestiti, si fieri potest (etsi regulares sint), continuo adsint genuflexi, non supra genuflexoria, sed ad aliquod scamnum, tapeto pannove rubro, aut alterius coloris et decentis qualitatis coopertum, prope infimum altaris gradum, orantes die ac nocte. Ubi autem existit aliqua confraternitas, suis vicibus pariter, assistant saltem duo confratres ad scamnum panno viridi alteriusve decentis coloris coopertum, sed extra presbyterium atque a dictis sacerdotibus distantes, et cum omni devotione in adstantium ædificationem orent, sed submissa voce, ne cæteris distractiones afferant.

8. In sacristia sit horologium, saltem pulveritium, ad singulorum adorationis tempus dignoscendum; de quo omni diei ac noctis hora dabitur signum cum majori campana.

9. Pridie expositionis vespere, dato signo pro *Ave, Maria*, ad commonendum populum, solemni modo cam-

panæ pulsentur; itemque fiat mane sub aurora, et, durante expositione, post alia omnia signa salutationis *Ave, Maria* : pariterque triplici vice de more pulsentur ante Missas solemnes.

10. In altari ubi est expositum SS. Sacramentum, nulla alia celebretur Missa præter solemnem in expositione et repositione. Hisce diebus (1) præter conventualem (in Ecclesiis in quibus datur obligatio eam cantandi), celebretur post Nonam Missa SS. Sacramenti votiva *pro re gravi*, exceptis tamen omnibus Dominicis 1æ aut 2æ classis, et omnibus diebus in quibus, juxta calendarium tam universale quam particulare illius Ecclesiæ in qua fit expositio, pariter fit officium 1æ aut 2æ classis, item excepta feria 4a Cinerum, feria 2a, 3a et 4a Majoris Hebdomadæ, omnibus diebus per octavas Paschæ et Pentecostes, vigiliis festorum Natalis Domini et Pentecostes, atque per octavam Epiphaniæ (2); in hisce Dominicis, aliisque diebus, et feriis exceptis, canetur Missa conventualis cum adjuncta oratione SS. Sacramenti *sub una conclusione* : quæ omnia in omnibus Ecclesiis, tum sæcularium, tum regularium servabuntur.

Die autem medio, præter Missam conventualem, post Nonam cantari debet votiva Missa *pro pace* vel alia a Sua Sanctitate præscripta, prout in elencho 40 Horarum expressum fuerit, sed semper sub eadem exceptione quoad dies supra relatos, et sub eadem regula quoad orationem.

Verum in Ecclesiis non collegiatis, et ubi non datur obligatio Missam conventualem cantandi; in præfato die medio solemniter canenda est prædicta Missa votiva, cum oratione et sub regula supra exposita pro Missa SS. Sacramenti. Ea tamen Missa canenda est in altari, ab eo in quo fit expositio, et ab eo in quo adsit tabernaculum cum in-

(1) Prima et tertia scilicet.

(2) Sic intelligendus est, ut bene probat Gardellini, textus Instructionis subobscurus.

cluso Sacramento, diverso. In ecclesiis autem quæ obligationem habent Missam conventualem cantandi, ea cantabitur in alio altari uti dictum est.

Expresse jubetur ut in diebus expositionis, medio, et repositionis, cum ministris paratis Missæ canantur, et non aliter, etiam in Ecclesiis regulárium, nonobstante quocumque eorum usu aut prætensa consuetudine in contrarium.

In Missis autem privatis, quæ, durante expositione, celebrantur, non pulsetur campanula ad elevationem, sed tantum in egressus celebrantis e sacristia, detur tenue signum cum solita campanula.

Non celebrentur Missæ *de Requiem*, tempore quo peragitur Oratio 40 Horarum; et Missæ SS. Sacramenti, quæ diebus a rubrica permissis celebrabuntur, pariter votivæ sint sine *Gloria* et *Credo*. In aliis vero Missis currentis diei, post orationes a rubrica præscriptas, addatur oratio SS. Sacramenti, ita mandante Sua Sanctitate.

11. Celebrans, SS. Sacramentum in processione delaturus, pluviali albo indutus erit, quando non celebraverit cum paramentis alterius coloris, nam in hoc casu color Missæ retineretur. Velum autem humerale erit albi coloris in quocumque casu, et sacrorum ministrorum paramenta ejusdem coloris ac celebrantis, ut supra. Pariter pallium altaris in quo fit expositio, semper erit albi coloris, quamvis diversi coloris sint, paramenta missæ solemnis quæ in hoc die celebratur. Item baldachinum inserviens processioni albi coloris esse debet.

12. Finita Missa solemni pro expositione, celebrans et ministri, factis Sacramento debitis reverentiis, ad latus epistolæ recedunt, ibique celebrans manipulum (pariterque ministri) deponit, planetam exuit pluvialeque assumet; incensum postea in duobus thuribulis ponet, illud non benedicendo, et cum ministris, in medio genuflexis, ter Sanctissimum adolebit. Postquam processio fuerit ordinata

(quæ ordinari incipiet, facta elevatione, aut prius, prout magis aut minus erit numerosa), diaconus, congruo tempore, facta super scabellum genuflexione, Sacramentum assumet, illudque stans genuflexo dabit sacerdoti, statimque, diacono genuflectente, celebrans, manibus ab extremitate veli humerali coopertis, illud assumet et surget (1). Incœpto dein a cantoribus hymno *Pange lingua*, etc., sub baldachino procedit, submissa voce psalmos et hymnos recitans cum ministris pluvialis fimbrias sustinentibus.

13. Processio ex toto Ecclesiæ clero componetur, crucifer in hac functione, non subdiaconali habitu, sed superpelliceo erit indutus. Intererunt, superpelliceo induti, et cum cereis ardentibus in manu, octo sacerdotes qui hinc inde a lateribus ante baldachinum ibunt, post ipsos subsequentur duo acolythi cum thuribulis, continuo per viam Sanctissimum incensantes; et, durante processione, campanæ solemniter pulsabuntur.

14. Intra Ecclesiam fiet processio; quod si Ecclesiæ angustia exigat, per plateam exire poterunt, sed non longius; et priusquam ab Ecclesia egrediatur, curandum erit ut plateæ via nitide fuerit mundata. Ubi vero occurrit officina, tempore processionis erit claudenda.

15. Quod si existant sæcularium confraternitates, sive sacco sint induti, sive non, tam eorum guardiani et officiales, quam confratres, omnes simul ii capitulariter progredientur ante ibi præsentem sæcularem et regularem clerum, cui semper digniorem locum cedere debebunt. Imo prohibetur districte ne earum guardiani aliique officiales, sub quovis prætextu consuetudinis aliove quocumque, audeant post baldachinum incedere, sub pœna, etc. Possunt tamen dicti officiales manicos baldachini portare, officium sane magni honoris, ut ait *Cæremoniale Episcoporum*, lib. II, cap. 33 : *Deputentur nobiles viri*, *barones*, etc.

(1) Tunc non datur benedictio.

Quinimo dicto clero tam sæculari quam regulari præcipimus ut in propriis Ecclesiis usum contrarium non permittant, sub pœnis in edicto anni 1689 expressis.

16. Cum processio in Ecclesiam regressa fuerit, jamque ad infimum Altaris majoris gradum celebrans pervenerit, diaconus genuflexus Sanctissimum recipiet ab eodem celebrante (qui statim ipse genuflectet, velum humerale deponens), illudque infra throno reponet ac ad suum locum redibit, factis debitis reverentiis : statim vero cantores (cum mora) cantabunt *Tantum ergo*, etc., et, dum intonant *Genitori genitoque*, celebrans, cum ministris erectus, ibidem in medio et absque benedictione incensum ponet in thuribulo, et genuflexus ter Sacramentum adolebit. Hymno autem finito omissoque *Panem de cœlo*, etc., canentur litaniæ positæ in libro pro 40 Horarum Oratione edito. (Quo libro jure et absque ulla immutatione utendum erit in alia quavis Sanctissimi expositione particulari.) Precibus jam dictis, celebrans (cui librum sustinebunt ministri) erectus, et absque nova genuflexione, manibus junctis, cantabit *Dominus vobiscum*, cum orationibus subsequentibus; quibus finitis, omnes genuflexi brevem instituent orationem, post quam recedunt, teguntque caput, dum e conspectu SS. Sacramenti recesserint; sicque incipiunt Preces 40 Horarum.

17. Juxta S. R. C. celebrans uti non debet cubiculari sede, sed scamno (brachia non habente) cujus ornetur pars posterior rubri alteriusve decentis coloris panno, et in quo simul cum ministris sedeat. Multo minus sedibus cubicularis uti debent in Ecclesiis guardiani, deputati et officiales confraternitatum, societatum aut congregationum laicalium; sed sedebunt in scamno cum dorso, brachia tamen a lateribus non habente, et absque ullo usu cussinorum, sicuti et absque gradino et genuflexorio coram ipsis; illud autem scamnum omnino extra presbyterium collocabitur, quando prædicti Missis aut vesperis solemnibus assistent,

aut quando in presbyterio a clero celebrabitur aliqua sacra cæremonia, aut quando concio erit in Ecclesia, juxta pluries declarata a S. C. R. et in particulari, per Decretum generale diei 13 martii 1688. Attamen, si ob Ecclesiæ formam conveniens locus non daretur extra presbyterium, tunc concedi poterit ut guardianorum scamnum collocari possit in unius lateris facie, extra terminum presbyterii. Viris et mulieribus cujuslibet status aut conditionis (exceptis regiis personis, ubi adsunt) districte prohibetur ne in presbyterio seu circuitu altaris in quo expositum est Venerabile, ingrediantur et orent, cum præfatus locus occupari solum debeat ab ecclesiasticis, divino ministerio aut adorationis officio addictis. Idque observandum est non solum in Ecclesiis in quibus ordinaria recurrit expositio, sed etiam in aliis omnibus, in quibus ex Indulto Apostolico, aut ex alia legitima facultate, expositio fieri licet per breve tempus, contingat. Rem ita fieri providebunt superiores aut sacellani, etiam adhibita scamnorum congerie, si opus fuerit. Mandamus præterea ac præcipimus rectoribus et superioribus cujusvis Ecclesiæ tam sæcularibus quam regularibus, ut, durante expositione, non præsumant quodlibet sedium genus cuipiam personæ cujusvis sexus, gradus et conditionis, et reverentiæ mandare.

18. Tempore expositionis, licet particularis, non apponantur in Ecclesiis, lances ad eleemosynas deponendas, neque stabunt ad eas recipiendas religiosi aliive ecclesiastici, neque laici sicuti neque clerici, confratres, mandatarii aliæve personæ quæstuantes per Ecclesiam circuibunt. Multo minus id agere poterunt pauperes, qui ab Ecclesiæ januis decem cannis distantes stabunt, sub pœnis, etc. Idcirco cura pariter erit superioribus et sacellanis aliisque assistentibus custodibus, orantium scilicet fidelium distractionis vitandæ gratia, invigilare ne Ecclesiam ingrediantur pauperes; cum rite possint benefici extra Ecclesiam eleemosynas dare, prout ordinavit S. Sanctitas Cle-

mens XI, in speciali edicto in quo omnibus fidelibus prohibet ne in Ecclesiis eleemosynam distribuant.

19. Notandum orationi finem in una Ecclesia dari non licere, nisi postquam eadem in altera jam incœperit, idque servabitur ab unaquaque Ecclesia, etsi basilica aut collegiata, aut quolibet modo privilegiata.

20. Finita repositionis Missa, celebrans assumet pluviale (observando ritum respective supra descriptum pro Missa expositionis), et cum ministris coram SS. Sacramento in medio super infimum altaris gradum genuflectet. Cantores statim intonabunt litanias, quæ continuabuntur usque ad *Domine, exaudi orationem meam*, inclusive. Deinde erectus celebrans, cum ministris in medio, ponet incensum absque benedictione, et genuflexus ter SS. Sacramentum adolebit, atque assumet velum humerale.

Incensatione peracta, diaconus, cum debitis reverentiis, Sacramentum e throno levabit, statimque pedibus stans genuflexo celebranti illud consignabit, ipso genuflectente diacono statim ac Sacramentum consignaverit. Cæterum observanda veniunt respective quæ supra, ubi de expositione agebatur, de cæremoniis ac ritu processionis, dicta fuere, etc.

21. Post processionem, celebrante ad infimum altaris gradum regresso, diaconus genuflexus ab ipso pedibus stante recipiet Sanctissimum, coram quo celebrans immediate genuflectet, velumque humerale deponet.

Diaconus autem illud in medio altaris supra corporale reponet, et ad suum locum redibit. Celebrans vero, sub *Genitori genitoque* cum ministris erectus, absque benedictione incensum ponet, ut supra, et Sacramentum incensabit. Cantores dicent versiculum *Panem de cœlo*, etc., (cui adjiciendum *Alleluia*, tempore paschali ac per totam octavam *Corporis Christi* in qualibet expositione), tum celebrans erectus, nec iterum genuflectens, sustinentibus librum ministris (omisso *Dominus vobiscum*, ex decreto

S. R. C.), orationes, manibus junctis, cantabit; quibus finitis, genuflexus humerale velum assumet, atque solus ad altare ascendens, debitis factis reverentiis, in manibus uti dictum jam fuit, cum veli humeralis extremitatibus, ostensorium capiet, quocum populo benedictionem impertietur, atque Sacramento supra corporale reposito, descendet suoque loco genuflexus manebit Statim diaconus aut sacerdos cum stola, debitis factis reverentiis, Sacramentum includet in tabernaculo, quod ad hunc finem in altari expositionis retinendum erit, hostia autem consecrata in Missa consumenda est, sive in hac, sive in sequenti die. His peractis, proficiscuntur, sicque finem obtinebit Oratio 40 Horarum.

22. Tempore quo durabit eadem Oratio, districte interdicitur prædicare; verum si quis, ad fovendam fidelium erga SS. Sacramentum devotionem, brevem concionem post vesperas instituere velit, licentiam a Nobis, aut a S. Excell. Nostro Vice-Gerente, etiam pro Ecclesiis regularium, et quomodocumque privilegiatis petere debebit, et non modo in expositione 40 Horarum, sed etiam in qualibet expositione : quæ licentia dari debet in scriptis. Prædicaturus autem in ordine saltem diaconali erit, atque superpelliceo indutus, quamvis regularis sit, sed sine stola, capite discooperto, prope altare in quo Sanctissimum manet expositum, atque tandem in eo situ ut auditores non adducat ad actus irreverentiæ, convertendo terga ad Sacramentum.

23. Ecclesiæ in quibus instituetur 40 Horarum Oratio, vespere donec aderit populus ad orandum, apertæ manere debebunt; quoniam tamen hac in re aliqua determinatio horæ stabiliri nequit, tum ob Ecclesiarum situm, tum ob temporum mutationem, ideo circa horam tertiam in æstivo, et circa quintam in hiemali tempore claudi poterunt. Advertendum interea, quod, etiam januis clausis, conti-

nuari debet Oratio prout dictum fuit nº 8, cum dicta Oratio nunquam interrumpi potest, ex decreto S. R. C.

24. Romæ in qualibet Ecclesia, ad informationem fidelium, in apparenti loco affixus remanebit Elenchus 40 Horarum.

25. Pariter in quavis Ecclesia, in qua expositionem institui statutum est, in sacristia continuo affixa erit præsens Instructio, ut nemo valeat regularum ac præscriptorum in ea traditorum ignorantiam prætendere.

26. Extra ordinem in Elencho 40 Horarum assignatum, nullus rector, curatus, aut sacellanus, exponere SS. Sacramentum audeat, sub quovis prætextu, aut consuetudine, ob causam gravem, aut pro infirmis, absque speciali Breve Sanctitatis Suæ, aut saltem absque licentia a Nobis, vel a S. Excell. Vice-Gerente et a deputato 40 Horarum subscripta; qua obtenta, exponetur Venerabile in altari aut in capella obducto velo, et servato supradicto 20 luminum numero. Observandum item adamussim tempus quo expositio durare potest, prout in dicta licentia assignatur, sub pœnis, etc.

27. Tandem districte præcipitur, ut omnia supra enuntiati Ordinis inviolabiliter observentur.

Datum ex solita residentia Nostra, hac 1ª die septembris 1736.

P. Card. *Vicarius.*

Carolus Guazzuglia, *Deputatus.*

Nicolaus Antonius *Canonicus* Cuggio *Secretarius.*

INDEX.

PARS PRIMA.

SUMMORUM PONTIFICUM CONSTITUTIONES ET SACRÆ RITUUM CONGREGATIONIS GENERALIA QUÆDAM DECRETA.

SECTIO PRIMA.

DE BREVIARIO ROMANO.

SECTIO SECUNDA.

DE MISSALI ROMANO.

SECTIO TERTIA.

DE RITUALI, CÆREMONIALI EPISCOPORUM ET PONTIFICALI ROMANO.

PARS SECUNDA.

DE COMPUTO ECCLESIASTICO JUXTA BREVIARIUM ET MISSALE ROMANUM.

PARS TERTIA.

RUBRICÆ GENERALES BREVIARII ET RUBRICÆ SPECIALES E CORPORE BREVIARII EXCERPTÆ.

SECTIO PRIMA.

SECTIO ALTERA.

RUBRICÆ SPECIALES E CORPORE BREVIARII EXCERPTÆ.

Ex Proprio de Tempore.

Ex Proprio Sanctorum.

Ex Communi Sanctorum.

PARS QUARTA.

RUBRICÆ GENERALES MISSALIS ET RUBRICÆ SPECIALES E CORPORE MISSALIS EXCERPTÆ.

SECTIO PRIMA.

Ritus servandus in Celebratione Missæ.

SECTIO ALTERA.

RUBRICÆ SPECIALES E CORPORE MISSALIS EXCERPTÆ.

Ex Proprio Tempore.

PARS QUINTA.

EXCERPTA E RITUALI ROMANO.

PARS SEXTA,

EXCERPTA EX CÆREMONIALI EPISCOPORUM.

PARS SEPTIMA.

EXTRACTA EX PONTIFICALI ROMANO.

PARS OCTAVA.

FINIS INDICIS.

PARISIIS. — TYPIS SIMONIS RAÇON ET SOCIORUM, VIA D'ERFURTH, 1.

CHEZ LES MÊMES LIBRAIRES

CÉRÉMONIAL ROMAIN

OU

COURS ABRÉGÉ DE LITURGIE PRATIQUE

Contenant l'explication du Bréviaire, du Missel et du Rituel, les Cérémonies de la Messe privée et solennelle et celle des différents temps de l'année, par M. l'abbé Falise, à l'usage des églises qui suivent le rit romain. — Deuxième édition, augmentée du Cérémonial des Offices pontificaux, revêtue d'une Lettre de S. Ém. le cardinal Gousset et des Approbations de Mgr l'archevêque de Paris et de Mgr l'évêque de Luçon. 1 vol. in-8, 1855. — Prix : 4 fr. 50 c.

MANUEL DE L'OFFICE DIVIN

ET DE LA MESSE BASSE

Comprenant les rubriques et les rites du Bréviaire et du Missel romain, exposés et expliqués d'une manière simple et pratique; suivis des règles, questions, avis, décisions, observations et principes qui s'y rapportent, par l'abbé ***, avec le concours d'un ancien supérieur de séminaire et l'autorisation de l'Ordinaire. — 1 vol. in-12, 1855. — Prix : 3 fr.

DIVISION DE L'OUVRAGE

PREMIÈRE PARTIE. Exposé des rubriques du *Bréviaire romain*. — Abrégé de cet exposé. — Règles et questions qui se rapportent aux fêtes des patrons, aux translations, aux commémoraisons, aux offices accordés par priviléges, etc., etc. — Avis, Décisions, Observations, concernant l'occurrence et la concurrence, plusieurs fêtes nouvelles ou élevées à un degré supérieur, celles de Dédicace, etc., etc. — Principes théologiques applicables à la récitation de l'Office divin, etc., etc.

DEUXIÈME PARTIE. Exposé des rubriques du *Missel romain*. — Abrégé de cet exposé. — Fonctions des servants de messe et des prêtres qui assistent un évêque à la messe basse. — Règles et questions qui se rapportent aux messes de Noël, du Jeudi et du Samedi Saints, aux messes de *Requiem*, au binage, etc., etc. — Avis, Décisions, Observations, concernant les messes votives, la célébration du saint sacrifice dans les églises étrangères et dans les oratoires, les messes devant le Saint-Sacrement, les autels privilégiés, etc., etc. — Principes résumés des rubriques du missel, *de defectibus*, etc.

Nota. — On trouvera au commencement du volume un Répertoire alphabétique des rubriques de l'Office divin récité *privatim* et de la messe basse, qui épargnera la difficulté des recherches.

TRAITÉ DES SAINTS ORDRES

Par M. Olier, curé, fondateur du séminaire de Saint-Sulpice de Paris, avec des notes latines tirées des meilleurs commentaires sur l'Écriture sainte, les conciles, les Pères de l'Église, etc. — Nouvelle et jolie édition revue avec soin par MM. de Saint-Sulpice. Paris, 1856. Gr. in-32. — Prix : 1 fr. 50 c.

PARIS. — IMP. SIMON RAÇON ET COMP., RUE D'ERFURTH, 1.